



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:


- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>







Vendo de loimbra em 1817.

V. de S. P. de Mag.^{es}

[Faint, illegible handwritten text]

CAROLI ANTONII
LIB. BARON. DE MARTINI

S. C. R. A. M. IN SUPR. JUDIC. TRIBUN. A CONSIL. AULIC.
ET JUR. NATUR. P. P. O.

DE JURE NATURAE
POSITIONES,

DILUCIDIORI STYLO ET ORDINE


A DOCT. JOSEPHO FERNANDES
ALVARES FORTUNA,

S. PORT. ECCL. CAN. DOCT., MILIT. CHR. ORD. EQUITE,
ET IN CONIMBR. ACADEMIA JUR. NATUR. P. P. O.

AD USUM AUDITORUM

IN DUOS LIBROS

DIGESTAE.



LIBER I.

CONIMBRICAE:
TYPIS ACADEMICIS.

A. D. MDCCLXV.

*Quidnam esse , Brute , causæ putem ; cur , cum
constemus ex animo , et corpore , corporis curandi ,
tuendique causa , quaesita ars ejus , atque utilitas
animi autem medicina nec tam desiderata sit , ante-
quam inventa ; nec tam culta postquam cognita est ;
nec tam multis grata , et probata ; pluribus etiam
suspecta , et inuisa ?*

CICERO Tusc. Disp. III, pr.

PRAEFATIO.

Qui in Academiis erudiendae Juventuti operam navant, re quidem ipsa quotidie experiuntur, ut jam Claris. conquerebatur HEINECCIUS, quam durae servituti illi omnes sint obnoxii, qui aliorum libellos explanare tenentur. Saepe enim talia sunt Auctorum principia, qualia ipsi probare non possunt; et saepe adeo longe ex sublimioribus Metaphysices notionibus petita, ut veluti data opera omnia tenebris involvisse ipsi eorum Auctores videantur. Aliquando etiam contingit, ut vel doctrinas nonnullas, easque utilissimas, uno veluti fasce collegisse contenti, nullo certo indubioque argumento superstruant: vel rebus nugatoriis, et ἀπεροδιούτοις valde immorentur, maximasque agant nugas; in aliis vero, perquam scitu necessariis, adeo sint breves, ut eas saltu magis transilire, quam attingere videantur: vel aliqua adeo inordinate, et confuse pertractent, ut nihil sit in libello, quod certam habeat sedem: ex quo necessario sequitur, ut Docentes multa, quae scripsit Auctor, magno cum temporis dispendio refellere cogantur; multa, quae omi-

sit, supplere; et in rebus nihili saepe numero magno cum taedio immorari: Discentes autem res tam interruptas, et obscure, implicateque pertractatas vel non intelligere, vel non, nisi magno arduoque labore, continuaque animi fluctuatione, interpretari valeant; ac proinde veluti per labyrinthum perducti ad optatum finem vel nunquam, vel perdifficillime tantum pervenire possint.

Jam vero quam molesta etiam, latebrosaue ferantur semita, qui in succinctis Disciplinarum Institutionibus adornandis operam suam collocant, ii satis superque norunt, quibus improbum huncce, durumque laborem excipere contigit. Si quid enim, quod publici saporis non sit, in lucem edere cogitent, in hac praesertim litterarum luce, qua nihil, nisi praeunte Philosophiae lumine collustratum, probabile existimatur, eomentis acumine, eaque rerum cognitione parati esse debent, ut non magis quae dicenda, quam quo ordine, ratione, et modo dicenda sint, curent. Praecipua namque rerum capita eos colligere oportet; gravissima prolixius pertractare; levia brevi oratione persequi; inutilia prorsus resecare; obscurioribus lumen inferre, brevitatemque consecutando obscuritatem vitare; omnia denique momenti e genuinis cujusque Disciplinae fontibus haustis confirmare, eoque consilio disponere, ut singulae operis partes, secum

apte conjunctae, in ordinatissimum, ac pulcherrimum corpus demum coalescant; quod cum difficillimum sit, summumque scribentis judicium, solertiamque requirat, nemini profecto mirum esse potest, si, quae est humanae mentis inconstantia, ac mutabilitas, quod prius in vulgus adriserat, postmodum displiceat, et in tanta Epitomarum copia, quas feracissima ingeniorum nostra tulit aetas, inopia quodammodo laboremus.

Cum itaque ab Alma Academia nostra Conimbricensi adoptatae, ac veluti civitate donatae maneat *Positiones Juris Naturae, Civitatis, et Gentium* a CLARIS. BARONE DE MARTINI in Vindobonensis, et ceterarum Austriae Academiarum usum scriptae; eas tamen ab impedimentis illis, quae omnibus Epitomarum scriptoribus natura accidere solent, minime esse immunes perpetuo decem annorum eas explanandi usu didicerim; utitur enim Claris. Auctor, ut omnibus quidem notum est, abstractissima, et ab abditissimis Metaphysices penetralibus petita cogitandi ratione; orationem praeterea adhibet nimis pressam, asperamque; ac identidem nonnulla nimis strictim, ac jejune pertractat, quae utique liberaliorem stylum postularent; quo fit, ut ad hujus perbellae Disciplinae aditum, qui amoenus, laetusque apparere debet, tyrones, quasi expavescentes, vel prorsus ab incoepto deterreantur, vel eum, quem oportet, laboris sui

fructum referre non possint : eam ob rem , consumpta jam postrema Conimbricensi Claris. DE MARTINI Editione, operisque ad aliam recudendam pene properantibus, e discentium re fore mihi visum fuit , si viam , quam vir Clarissimus institerat , ego quoque percurrens , eandem ipsis planiorem , et expeditionem redditurus , quae ille omisit, supplerem ; quae perstrinxit , latius explicarem ; quae sublimius tradidit , ad auditorum intelligentiam propius admoverem ; quaeque obscurius congegit , diducerem , et expedirem ; omnia denique lucidiori ordine digererem , styloque proponerem , non illo quidem compto , et eloquentiae luminibus distincto ; sed perspicuo , et auditorum intellectui , materieiue indoli quam maxime consentaneo. Ea enim identidem animum pulsabat cogitatio , me , si id laboris detrectarem , non meo satis officio facturum , cum Academica lege cautum sit , ut si qua Praeceptores in quotidianis praedicationibus in melius referenda reperiant , ea diligenter animadvertant , ut sequentes Editiones quam accuratissimae , et scholarum usui , totiusque disciplinae *divinorum* accommodatissimae in lucem prodeant ; quo fiet , ut Academica studia continenti communique tot doctissimorum virorum , quibus erudienda commissa fuit Lusitana Juventus , opera ac labore in dies perfectiora reddantur.

Nemo igitur existimet , me , ambitione

ductum, a Viri Clarissimi, optimeque de Jurisprudencia meriti, ex quo et ego profeci, placitis discedere velle; in praesenti namque Editione eandem tanti Viri doctrinam maxima ex parte contineri memor gratusque luculenter profiteor. Idcirco ipsas Auctorum, quibus CLARIS. DE MARTINI in suo libro conficiendo usum fuisse patet, sententias, et dicta in pauca collata tantummodo retuli; et ipsamet loca, ex quibus excerpta, ut ea tyrones consulere, et propositum argumentum investigare, facilius comprehendere, et prolixius explanare possint, ad calcem uniuscujusque Capituli adnotavi.

Elenchum praeterea rerum omnium, quae in libello comprehenduntur, per Praelectiones distributarum adjunxi, ut non modo veluti prima facie, quale Juris Naturae sit objectum, concipere discentes possint; sed ut etiam, quale sibi anni spatio injunctum sit opus agnoscentes, illud per singulos profestos dies dispartientes continuo quidem, sed non molesto, labore et superare, et penitus exsolvere valeant.

Cum vero hujus conficiendae Editionis causa mihi communis utilitas, et officii ratio tantummodo fuisset, tandem benevolos Lectores monitos velim, perquam gratum mihi fore, si pro ea, quae honestos viros, ac germanae Jurisprudenciae studiosos decet, humanitate, quidquid vel parum accurate cogitatum,

VIII. P R A E F A T I O.

vel minus concinne dictum displiceat, me non dissimulanter commonefaciant; quo pacto non solum me praeclaro devincient beneficio, perpetuam gratiam habiturum, sed communi quoque discentium profectui velificabunt. Ita enim fiet, ut eorum meisque posterioribus curis expolita sequens Editio multo perfectior in lucem prodeat. Haec fuit omnino ratio consilii mei; haec erant, de quibus Lectores monitos esse oportebat. Conimbriacae: Kalend. Septembr. A. D. MDCCCXIV.



ELENCHUS

REERUM OMNIUM, QUAE IN HOC PRIMO
LIBRO CONTINENTUR, ET IN SINGULIS
PRAELECTIONIBUS PERTRACTANDAE.

P A R S I.

CAPUT I. *De Natura hominis* pag. 1.

PRAELECTIO I. Moralis Naturae Legis notionem dabimus, et eam solis hominibus, non vero animalibus ceteris, datam a Natura fuisse ostendemus. De natura hominis disseremus; et homines, quamvis ad unum animalium genus spectent, et eis in compluribus sint similes, ab omnibus tamen, tam quoad corpus, quam quoad animam praesertim, et ejus facultatum excellentiam, valde quidem differre demonstrabimus. Princ. — 8.

PRAEL. II. Sunt enim soli homines I. ratione praediti; §. 9 — 11.

PRAEL. III. Et II. voluntate; III. sensuque morali; §. 12. — 16.

PRAEL. IV. Atque IV. libertate, quae facultates, omnis moralitatis principium

ae fundamentum, in animalibus ceteris minime quidem reperiuntur; sed meri tantummodo instinctus; appetitus sensitivi, et nudum arbitrium. §. 17 — 23.

PRAEL. V. et VI. Sunt etiam soli homines V. sermocinandi facultate praediti; ac proinde VI. ad conjunctim, et socialiter cum sui similibus vivendum geniti; solumque VII. ad veram felicitatem creati, non eam tantum, quae in hac vita obtineri potest, sed perfectiorem aliam, omnibusque numeris absolutam, a DEO Optimo, et summe Bono mentibus humanis, ab hac corporis compage solutis, ab aeterno paratam §. 24 — 30.

PRAEL. VII. Sed quamvis perquam praestantissimis dotibus a Natura sint homines exornati, hallucinationibus tamen, erroribus, et casibus quamplurimis, tamquam entia creata et contingentia, sunt obnoxii. §. 31 — 35.

PRAEL. VIII. Non ea tamen tanta, atque ita gravia sunt, ut eis mederi impossibile sit omnino, aut ex iis probabili conjectura deduci debeat, homines fati quodam, aut necessitate aliqua regi, ut asserunt Fatalistae; vel natura esse praeavos, ut contendunt Hobbesius, atque Puffendorfius. §. 36 — 40.

PRAEL. IX. Ex analysi naturae humanae tantummodo deducitur, homines, ut tam

ad ultimum creationis finem, DEI scilicet gloriae manifestationem, quam ad intermedios ceteros, esse nimirum, et bene esse, recta contendere possint, directione quidem morali, seu lege indigere; et ejus quidem esse capaces; et quodam insuper interno principio eam cognoscendi, humanae naturae tantummodo proprio, nullisque animalibus aliis communi, praeditos: proindeque solos inter animalia cetera, qui legem moralem capere possint. §. 41.

CAPUT II. De Lege, obligatione, et jure generatim - - - pag. 32.

PRAEL. X. Legum generatim notionem dabimus; et, quis eas ferre; quae earum sint proprietates, vis, et auctoritas, exponemus. § 42 — 46.

PRAEL. XI. Ex Legibus oriri obligationes, jura, et officia; et ad similitudinem cujuslibet obligationis physicae, vi cujus ens ligatum non aliter, quam ad modum quo ligatum, movere se potest, ita representatione consecratorum legis moraliter obligatos nos manere demonstrabimus. Horum vocabulorum notionem dabimus, et adeo inter se correlata ac inseparabilia ea esse ostendemus, ut lege posita, aut sublata, ea necessario ponantur, aut tollantur. §. 47 — 52.

PRAEL. XII. De modo recte adimplendi leges disseremus ; solosque homines , et inter eos qui ratione polleant ; et solas eorum actiones , quae in ratione , ac libertate principium habeant , legum moralium decretis et sanctionibus subjectas esse demonstrabimus. Varia legum genera , et species referemus , earum distinctionem ab ipsarum auctore , subjectis , materia , atque forma deducentes.

§. 53 — 58.

PRAEL. XIII, et XIV. De solutione obligationis moralis generatim verba faciemus ; et speciatim , cum collisio adsit. De collisione pertractantes , quae hoc de argumento disputari solent , ad sequentes regulas redigemus :

I. Cum duae leges , nec mutatae , nec alias contrariae , casu aliquo , aut eventu peculiari , adeo inter se discrepent , ut amborum custodia omnino sit impossibilis , locum tum habet necessitatis jus , seu facultas exceptionem faciendi. Ita autem instituenda exceptio ; ut lex fortior , seu quae consecutaria maioris ponderis contineat , debiliori praeferatur.

II. Cum vero in tali statu constituti fuerimus , ut ratione necessitatis alterius absolute invincibilis , sive in nobis ipsis , sive in aliqua externa causa principium ea habeat , nulla omnino agendi libertas

adsit ; tum locum habet regula *necessitas caret lege*, omnisque proinde vis, ac legis obligatio cessat.

III. Quod si tamen hypothetica tantummodo fuerit necessitas, ut oppositum facere sit quidem possibile, sed ex ejusmodi actione grave aliquod malum a nobis perferendum necessario sequatur ; tum etiam omnino legis obligatio solvitur, omnisque ejus vis, et auctoritas cessat, cum necessitas fuerit extrema, seu vitae periculum involvat. Illae vero excipiendae actiones, aut actionum intermissiones, quae in alicujus legis divinae negativae ad officia erga DEUM spectantis violationem tendant, seu in DEI contumeliam, aut divinae gloriae obscuracionem *immediate* vergant.

IV. Ubi vero non extrema fuerit necessitas, sed gravis tantummodo ; tum malum quodvis physicum perferre potius debemus, quam malum aliquod morale committere, seu legem violare ; ex duobusque malis physicis eligere minus ; ex duobus autem moralibus ullum unquam. Quid autem sit necessitatis favor, et cum locum habere debeat, exponemus.

§. 59 — 70.

**CAPUT III. De variis actionum boni-
num generibus** = = = pag. 48.

PRAEL. XV. Ut de Legum adplicatione , et de humanorum actuum imputatione facilius et recte judicare possimus , eorum diversa genera , diversaeque species considerandae.

Primo itaque discernendi actus physici a moralibus , illi scilicet , qui principium in ratione , ac libertate habeant , ab illis qui non. Dein explorandum , an respectu hominis possibles , impossibles , necessariive sint ; et an impossibilitas , aut necessitas sit absoluta , an hypothetica tantum ; eaque extrema , aut tantummodo gravis ; consequenterque an actus humani sint absolute voluntarii , et liberi ; an involuntarii , coacti , et inviti. Horum vocabulorum notionem dabimus. §. 71 — 83.

PRAEL. XVI. Postea , an etiam respectu legis sint possibles , seu ab ea neque prohibiti , neque praecepti ; aut impossibles , seu prohibiti ; vel necessarii , seu praecepti ; iique ex eorum genere , qui aliquando , aut nunquam exceptionem admittunt. Denique , an boni , vel mali respectu legis ; an scilicet legi convenientes , vel disconvenientes sint : et an boni , vel mali respectu agentis ; ni-

mirum an physice tantum, sed non moraliter; an moraliter, sed non physice; vel an physice et moraliter simul legi sint conformes, aut repugnantes. §. 84 — 95.

PRAEL. XVII. De moralitate, seu bonitate et malitia actionum, tam respectu legis, quam agentis, dissectimus; demonstrabimusque etiam, 1) bonitatem, ac malitiam actionum eis esse inhaerentem, ac intrinsecam; ideoque actiones a legibus praecipari, aut prohiberi, quia natura bonae, aut malae sint, non vero quia a legibus praecipiantur, aut vetentur: 2) nullas actiones morales indifferentes dici posse, nisi objective, seu quoad diversum illas perpetrandi modum. §. 96 — 100.

CAPUT IV. *De morali hominum statu* — — — — — pag. 61.

PRAEL. XVIII. Plurimum etiam ad moralitatem humanarum actionum cognoscendam confert, diversos hominum status noscere. De eis itaque sermonem instituendo, sub duplici relatione statum hominis considerabimus:

I. Ratione illarum determinationum, quae de homine absolute considerato affirmari possint; sub eoque respectu illum 1) in *physicum, et moralem* dispescemus, prout

ad corporis, aut animae qualitates referatur; 2) in *perfectum*, et *imperfectum*; prout membris omnibus, rationisque usu praeditus sit homo, aut non; et 3) in *absolutam*, et *hypotheticam*, prout determinationes ejusmodi statum constituentes in ipsa hominis natura, vel in aliquo ipsius hominis facto, principium habeant.

II. Ratione obligationum, jurium, et officiorum, quibus homo gaudeat, et quibus obstrictus sit, juxta positionem, aut stationem illam, in qua collocatus existet; quae, si in sola Natura principium habeat, statum, quem *absolutum* dicimus, constituit; si vero in ipsius hominis facto aliquo, *hypotheticum* §. 101 — 106.

PRAEL. XIX. De primaevo statu, in quo homines a Natura collocati fuerunt, disseremus; adversusque LUCRETIVM, et alios, neque belluinum; neque ex legem; neque adeo miserum, et aerumnosum, ut illi depingunt, ostendemus. §. 107 — 114.

CAPUT V. De Legum Naturae existentia, et eas cognoscendi principio, earumque proprietatibus - - - pag. 71.

PRAEL. XX. DEI bonitati repugnat, solum hominem, omnium entium creatorum

perfectiorem, ex legem relinquere. Hoc itaque dono etiam a DEO exornatum hominem fuisse, 1) ex ejus jure in homines; 2) ex summa ejus bonitate, et providentia; 3) ex creationis fine; 4) ex ipsius hominis natura; et 5) ex ipsis consecrariis actionibus nostris indivulso nexu cohaerentibus satis superque liquet.

A veto tamen immaniter aberrant, qui naturae humanae viribus nimium indulgentes Naturae Legem in ipso homine quaerunt, et in ejus ratione constituunt; non animadvertentes limitatam, imbecillumque esse rationem humanam, et hallucinationibus, quamplurimisque erroribus subjectam. Extra hominem quaerenda lex moralis, et in sola DEI voluntate collocanda; rationem vero investiganda tantum, atque discenda. §. 115—123.

PRAEL. XXI. De principio subjectivo, objectivoque Naturae Leges cognoscendi disseremus; et a Clariss. DE MART. propositum, a fine rerum creatarum deductum, et rationis ope cognitu facile, verum esse, perspicuum; et adaequatum; seu ex quo, veluti ex fonte, omnes, et non aliae, Naturae Leges promanant, enodabimus. §. 124—130.

PRAEL. XXII. Proprietates Naturae Legum exponemus, easque 1) veras, 2) certas.

**

que esse demonstrabimus; veri boni scilicet, naturaeque hominis congruentis, notionis stabilitas, et ex principiis evidentibus necessaria consequitione deductas: 3) perspicuas, 4) sufficienterque promulgatas; seu ab omnibus cognitu faciles, ac veluti in hominum corde inscriptas: et 5) sufficienti etiam sanctione armatas; quin dubitationem afferat, virtutem ignominia, et vitium praemio saepenumero affici, bonisque male, et malis prospere res procedere. §. 131 — 136.

PRAEL. XXIII. Sicut et 6) universales, seu quibusvis moralibus actionibus hominum, et quibuscumque, quae late patet orbis, hominibus communes; et 7) aeternas; 8) necessarias; ac 9) immutabiles. §. 137 — 140.

CAPUT VI. *De Juribus, atque officiis hominum, generatim.* pag. 86.

PRAEL. XXIV. Ex Naturae Legibus immediate necessarioque nascuntur, ut effectus ex sua causa, jura, ac officia, quibus homines gaudent, et quibus adstricti manent. Adeo autem inter se correlata ea sunt, ut, cognita demonstrataque lege, statim cognita et demonstrata manent, et vice versa. De hominum ita-

que juribus, pro agendi facultate acceptis, loquemur, et ea considerabimus:

I. Ratione legum, a quibus descendunt: et, prout eae fuerint, a) affirmativae scilicet, aut negativae, vel b) nihil praecipientes, aut vetantes, illa, 1) in *jura stricte talia*, et 2) in *jura permissiva* distinguemus: illa per *facultatem moralem* faciendi quod a lege praecipitur, et omittendi quod vetitur, designantes; et haec per *moralem libertatem* hominis sese ex sua voluntate determinandi ad ea agenda, vel non agenda, quae a lege permittuntur.

II. Ratione principii, seu causae, a qua proveniunt: et, prout in ipsa essentia ac natura hominis, aut in aliquo ipsius facto principium habeant, ea 1) in *contracta*, seu *absoluta*; et 2) in *adquisita*, seu *hypothetica* distinguemus; ideo *contracta*, et *absoluta* illa dicentes, quod ad essentiam ac naturam hominis spectent, ac proinde cum homine nascantur, et eadem ac aequalia omnibus sint, et non modo in statu absoluto, et primaevo, sed in quocumque, etiam hypothetico, locum habeant, et ab eorum exercitio nec se absolvere, nec ab alio exsolvi, spoliarique homines possint; haec autem *contracta*, et *hypothetica*, quia in voluntate, et facto ipsius homi-

nis principium habeant, et in solo statu hypothetico eis sit locus.

Utraque in *primitiva*, et *derivativa* etiam discescimus, prout immediate, vel mediate tantum a sufficienti sua causa dimanent. §. 141 — 151.

PRAEL. XXV. Jura hominum connata et primitiva exponemus, aequalitatis scilicet, et libertatis naturalis; jus ad conservationem; ad res vitae necessarias; securitatis; defensionis; violentiae, et belli: adversusque HOBBSIUM, bellum minime statum hominum naturalem dici posse, demonstrabimus. §. 152 — 160.

PRAEL. XXVI. Ratione etiam ad alios jura hominum III. in *perfecta*, ac *imperfecta* discernemus; per illa designantes, quae in eo, quod nostrum est, principium habeant, et quae proinde jus alterum cogendi continent; per haec vero, quae in merito tantum, et dignitate; et ideo jure cogendi destituuntur. §. 161 — 167.

PRAEL. XXVII. De juribus hypotheticis generatim disseremus; et postea de officiis hominum sermonem instituentes, ea I. ratione principii, a quo proveniant, 1) in divina naturalia; 2) in divina positiva; 3) in Ecclesiastica; et 4) in Civilia distinguemus; et II. ratione objecti, in quo versentur, 1) in officia erga DEUM,

seu *pietatis*, 2) in officia erga nos, seu *honestatis*, si ad internum; et *decentiae*, si ad externum statum spectent; et 3) in officia erga alios, seu *Iustitiae*, si in *re* suo; et *aequitatis*, si in merito tantum principium habeant. §. 168—173.

PRAEL. XXVIII. De officiorum usu practico faciemus verba, et quid virtus, quid vitium; et quae virtutes intellectuales, morales, philosophicae, christianae, et civiles dicantur; et quae ratione obiecti diversae numerari earum species possint; exponemus. §. 174—177.

CAPUT VII. *De modo actiones nostras ad legem accommodandi, seu de conscientia* - - - - - pag. 108.

PRAEL. XXIX. Verum modum recte agendi, adimplendique legum praescripta indicabimus; ac proinde de conscientia sermonem instituemus, et **TOLLANDUM**, **SPINOSAM**que adversus, qui inanem putant conscientiae ideam, eamque insulso iudicio vulgi assignant, vel pro vano Ministrorum Cultus terriculamento venditant, conscientia praeditos esse homines, diversasque ejus esse species, demonstrabimus. §. 178—184.

PRAEL. XXX. Et cum nec semper veritatem invenire nobis sit possibile, sed

aliquando in errore, et aliquando in dubio versemur; quid dicendum de moralitate actionis in errore invincibili, et nobis incognito, principium habentis; quidque faciendum quando dubia, vel probabilis tantum fuerit conscientia, et quando probabilis cum probabiliore confligat, explicabimus. §. 185 — 191.

CAPUT VIII. *De modo actionibus nostris, et alienis applicandi legem, seu de imputatione* - - - - - pag. 118.

PRAEL. XXXI. De applicatione legum ad facta, seu de imputatione, aut iudicio de actionum nostrarum bonitate, aut malitia, tam respectu legis, quam agentis, postquam fuerint perpetratae, disputabimus; et 1) solos homines, et inter eos qui tantum ratione polleant; et 2) solas actiones in ratione ac libertate principium habentes; et 3) ab aliqua lege praecipuas, aut vetitas, imputationi subjectas esse demonstrabimus. §. 192—195.

PRAEL. XXXII. Ex defectu rationis ab imputatione, et legum sanctione immunes declarabimus, quotquot commissiones, aut omissiones in statu imperfecto hominis principium habeant, ex. gr. infantiae, dementiae, furoris, ignorantiae invincibilis, ebrietatis summae ac

involuntariae, aut somni. Aliquas vero exceptiones, quae faciendae, referemus.

§. 196 — 202.

PRAEL. XXXIII. Immunes etiam eas esse demonstrabimus, quae ab hominibus libertate privatis fuerint peractae; veluti 1) motus vitales; 2) actiones in aliqua necessitate interna, aut externa insuperabili principium habentes; 3) casus, qui neque praevideri, neque evitari possint; et 4) facta ab altero unice patrata.

Hos tamen excipiemus actus, 1) ad quorum existentiam quovis modo homo conferat; sicut et 2) qui ex affectibus, et habitibus proficiscantur; et 3) quos involuntarie, coacte, aut invite, in alicujus scilicet necessitatis hypotheticae statu, homo fecerit; quamvis commiseratione quidem aliqua sint digni, et necessitatis favore mitius judicandi. §. 203 — 207.

PRAEL. XXXIV. Quae causae mediatæ, ac morales alicujus facti dicendae, et quomodo de earum moralitate judicandum, explicabimus. §. 208 — 211.

PRAEL. XXXV. De gradu moralitatis, et imputationis mensura disseremus; et actiones esse alias aliis honestiores, aut turpiores, maiorique proinde, aut minori imputationi subjectas, demonstrabimus. §. 212 — 214.

CAPUT IX. De Juris Naturae partibus,
et ejusque usu, et praestantia pag. 134.

PRAEL. XXXVI. Aliam Juris notionem ab illa, de qua in Cap. VI., valde differentem dabimus, illud scilicet 1) pro legum complexu, vel 2) pro Jurisprudencia accipientes. De diversis Legum complexibus, et de diversis Jurisprudenciae speciebus generatim pertractabimus; et de Jurisprudencia, Jureque Naturali speciatim disserentes, illud in Absolutum, et Hypotheticum, prout ad naturalem, vel ad hypotheticum hominum statum complexus legum pertineat, distinguemus. §. 215 — 222.

PRAEL. XXXVII. Sub Jure Naturali Absoluto illas comprehendemus leges, quibus actiones hominis absolute, seu soli, considerati, aut in statu aliquo a Natura collocati, ut creationis finem adimplere possint, diriguntur. Ethicum hoc Jus dicimus, ab ~~de~~ mos, ex hisce quippe Legibus voluntatis nostrae inclinationes ex representatione boni generatim ortae, et speciatim pii, honesti, utilis, decori, jucundi, aequi, et justii, quae mores vulgo appellantur, moderari debent: Absolutum autem, quia in omni statu, et hypothetico etiam, et semper locum habeant.

Sub Hypothetico autem, quae ad status hypotheticos, seu ad aliquam privatam hypothesin, tam in hominis faeto, quam in ipsa Natura principium habentem, tantummodo spectant. Et cum vel ad statum sociale, vel non sociale, redigi omnes possint, non immerito Jus Naturae Hypotheticum in non Sociale, et Sociale distinguemus.

Sub Hypothetico non Sociali, cum ad omnes hypotheses, praeterquam sociales, istud se extendat, et omnes referre veluti impossibile sit, praecipuae tamen hominum curae, ac dissidia super rebus ad vitam commode traducendam necessariis versentur, illas leges comprehendemus, quae ad rerum proprietatem acquirendam spectant, et obligationes, jura, officiaque nostra ex proprietate provenientia dirigunt.

Sub Hypothetico autem Sociali illas, quae actiones hominum in quavis societate propter finem aliquem unitorum regendas pertinent. Et cum homines 1) vel in quavis societate, quam ipsis constituere placeat, uniti vivant, ut commodum utilitatemque aliquam percipere unusquisque privatim possit; vel 2) in societate civili, ut a) commodum utilitatemque publicam consequantur, vel b) ut unaquaeque civitas, quod commune

et bonum generatim respectu utrarumque fuerit, et unicuique speciatim honestum, utile, ac jucundum, consequi possint; non sine quidem sufficienti ratione Jus Hypotheticum Sociale in tres subdividemus partes; 1) in Jus scilicet Oeconomicum, 2) in Jus Politicum, seu Civitatis, aut Publicum Universale; et 3) tandem in Jus Gentium. §. 223 — 231.

PRAEL. XXXVIII. Juris Naturae usum, utilitatem, ac necessitatem adversus ejus osores, qui latis Evangelicis Legibus, et constitutis per totum terrarum orbem Civitatibus, illud inane, supervacaneumque esse contendunt, demonstrabimus; et solum Naturalibus Legibus, non vero Evangelicis, aut Civilibus negotia Gentium dirigi, earumque dissidia componi posse confirmabimus. §. 232. — 237.

PRAEL. XXXIX. Ipsi Theologiae Dogmaticae, et Morali, Juri Civili, et Ecclesiastico magna luce Juris Naturae exactam cognitionem esse; et omnibus, qui Scientiis Moralibus dant operam, omnino necessariam comprobabimus. §. 238 — 245.

CAPUT X. *De officiis erga DEUM, seu de pietate naturali* - - pag. 154.

PRAEL. XL. Expositis juribus, et officiis hominum generatim, sequitur, ut de horum usu, seu de officiis speciatim pertractemus. Inter omnia igitur primum locum habere officia erga DEUM, ad eaque perficienda ipsammet naturam nos instigare, et in ipsa DEI voluntate principium ea habere demonstrabimus. Omnia autem ad duo praecipua capita referemus, 1) DEI scilicet, et ejus perfectionum cognitionem, et 2) cultum ei praestandum; sub illo Theoreticam, et sub hoc Practicam Religionis partem comprehendentes. De Theoretica religionis parte verba faciemus, et quae necessario, quin dari ulla possit excusabilis ignorantia, a nobis credenda, et agenda; et qui sint verae DEI cognitioni oppositi errores, explicabimus. §. 246 — 256.

PRAEL. XLI. De Practica Religionis parte sermonem habebimus, et in interno, externoque cultu eam consistere; cultum autem internum in DEI amore, timoreque, ac reverentia, fide, spe, et acquiescentia in eo, et in obedientia, ac obsequio positum esse ostendemus. §. 257 — 265.

PRAEL. XLII. Ex interno cultu necessario oriri externum, ad eumque pertinere orationes, hymnos, cantus, templa, imagines, picturas, et dies festos, ac caerimonias; et externo cultu DEUM venerari nobis omnino necessarium esse manifestabimus; et errores tam interno, quam externo cultui oppositos referemus. § 266 — 273.

PRAEL. XLIII. Quid de libertate conscientiae dici soleat, enodabimus; et nullam, vel quamlibet sine ullo delectu, religionem habere, licitum non esse hominibus; sed necessario ad eligendam, ac amplectendam religionem, quae tam theoretice, quam practice sit vera, obligatione omnium maxima adstrictos omnes homines esse, demonstrabimus. §. 274 — 278.

PRAEL. XLIV. De Religione naturali verba faciemus, et solam veram, et in qua etiam sola vera salus obtineri possit, esse Religionem a CHRISTO revelatam, ac edoctam; et consequenter eam solam eligendam, amplectendamque ab omnibus hominibus esse, adversus Deistas, Indifferentistas, Naturalistasque ceteros comprobabimus. 279 — 285.

CAPUT XI. *De officiis erga nos, seu de honestate naturali.* pag. 177.

PRAEL. XLV. Sequuntur erga nos officia; nihil enim praeter **DEUM** nobis proprius, maioriq̄ amore dignus. Hominem igitur se ipsum amare, ac proinde, tam quoad internum, quam externum statum, se perficere teneri; eaque de causa se ipsum noscere, et in excelsendis tam animae, quam corporis facultatibus, ut sapientiam, ac prudentiam, cunctis omnino necessariam, acquirere possit, curam et operam ponere debere, manifestabimus. Quae itaque erga animam nostra sint officia, exponemus. §. 286 — 294.

PRAEL. XLVI. Officia erga corpus nostrum indicabimus; et nobismet ipsis, sique directe, neque indirecte, ullove unquam in eventu, mortem consciscere fas esse, demonstrabimus. §. 295 — 302.

PRAEL. XLVII. Quae ad externum statum pertinent; ostendemus; consequenterque homines ad res vitae commode ducendae necessarias acquirendas curam et operam adhibere teneri; ac proinde honestum aliquod vitae genus eligere, aut, si nihil egeant, in re aliqua versari, ac evitare otium, desidemque aetatem minime traducere; explanabimus. Quo-

modo de rebus acquisitis utendum; et quam necessarium sit hominibus *temperantiam* colere, non illam tantum, quae immodicos appetitus cibi, potionis, cet.; sed quae omnes affectuum impetus, et excessus moderatur, explicabimus. §. 302 — 308.

PRAEL. XLVIII. Quantum etiam necessarium sit hominibus, ut se perficere, et bene beateque inter sui similes vivere possint, aliorum voluntates sibi allicere, bonamque existimationem acquirere, augere, conservare, adversusque ipsos calumniatores tueri; ac idcirco *honestatem* ac *modestiam* in suorum officiorum exercitio, et *fortitudinem animi* tam in prospera, quam in adversa fortuna manifestare; et omnem vitare *ambitionem* ac *arrogantiam*, se nimirum aliorum amore dignos efficientes, et laudem, honorem, et gloriam expectantes, non vero expetentes, aut efflagitantes, demonstrabimus. §. 309 — 315.

PRAEL. XLIX. De horum officiorum collisione pertractabimus; et in casu absolutae, ac extremae necessitatis cessare legem; in casu autem non extremae locum habere exceptionem, ostendemus; dummodo tamen inter officia erga nos, et officia erga DEUM negativa, in quibus ulla unquam, nec extremae neces-

sitatis, exceptio locum habet, non sit
collisio. §. 316 — 322.

CAPUT XII. De officiis erga alias im-
perfectis, seu de aequitate natura-
li. pag. 199.

PRAEL. L. Non modo autem, ut felices esse
possimus, necessaria nobis est religio,
sapientia, et prudentia, corporis inte-
gritas, res ad vitam necessariae, et opti-
ma existimatio; sed necessarium insu-
per, ut nostri similes, sicut nosmet
ipsos, amemus. De caritate igitur ser-
monem habebimus, et horum officio-
rum necessitatem, fundamentum, et ob-
jectum, exponemus; eaque in indefini-
ta, ac definita distinguemus, et modum,
quo horum exercitio nostri similes ju-
vare, eorumque perfectiones promovere
possimus, ostendemus. §. 323 — 336.

PRAEL. LI. Officia definita in officia inno-
xiae, et noxiae utilitatis, seu huma-
nitatis, aut beneficentiae, dissernemus;
et in omnes indistinctim, etiam inimi-
cos, et hostes, humanas nos esse de-
bere; beneficia autem sapienter dispen-
sanda esse, licet aliquando in vitis, etiam,
nolentibus, et ingratis, quamvis ingratu-
dine nihil turpius, tribuenda, demon-
strabimus. §. 337 — 344.

PRAEL. LII. Quatinvis imperfecta ea officia
 vocentur, quia nimirum in merito tan-
 tum principium habeant, et jure cogendi
 destituta sint; ad ea tamen praestanda
 et exsequenda, aequae ac cetera Naturae
 Legi mandata, adstrictos nos esse, nul-
 lum dubium; sicut et ad damnum, ex
 iniqua eorum denegatione ortum, repa-
 randum. In officia perfecta aliquando
 ea converti, etiam demonstrabimus. §.
 345 — 351.

**CAPUT XIII. De officiis erga alios abso-
 latis perfectis, seu de justitia stricte
 sumpta** — pag. 213.

PRAEL. LIII. Nulla utilitate nobis erunt
 praedictae virtutes, nisi *justitiam* etiam
 excolumus, seu nisi neminem laedere,
 et jus omnium cuique tribuere curemus.
 Haec officia absoluta, et perfecta dici-
 mus, quia ad naturam, ac essentiam
 hominis spectant; b) In quodcumque sta-
 tu, per semper, locum habeant, et c) ex
 ejus denegatione jus cogendi oritur. Ho-
 rum necessitatem, principium, et obje-
 ctum, et utraque organa, tam quoad in-
 ternum, quam externum eorum statum,
 adstrictissimus, ostendemus. §. 352. —
 358.

PRAEL. LIV. De datione, et modo ejus

quantitatem definiendi, atque reparandi, cum ab uno, aut a pluribus, aut a rationis usu destitutis fuerit illatum, disseremus. §. 359 — 364.

PRAEL. LV. De horum officiorum collisione pertractabimus; et 1) naturalem sequi nos teneri legem, quae in collisionis statu, quod maiores perfectiones involvat, eligere jubet; ac proinde 2) officia justitiae quibuscumque commoditatis, utilitatisve nostrae praeferenda esse; 3) incolumitatis vero nostrae, aut alterius, officiis etiam justitiae, demonstrabimus. Quae autem necessaria sint, ut ab omni imputatione ejusmodi factum sit immune, aut saltem ut favore necessitatis judicari possit, exponemus. §. 365 — 369.

PRAEL. LVI. De collisione incolumitatis nostrae cum alterius incolumitate verba faciemus; demonstrabimusque, 1) neutra praeferenda officia, sed in eodem statu relinquenda esse omnia, divinaeque providentiae nosmet committere debere, cum ejusmodi necessitas a DEO proveniat; contra vero, licitam ac honestam esse quamlibet nosmet conservandi rationem, etiam cum ipsa adgressoris nece conjunctam, cum ab ejus malitia ejusmodi necessitas proveniat, et nulla alia nosmet servandi via pateat. §. 370 — 382.

PRAEL. LVII. Varias collisionis species referemus, et 1) an licita sit violenta defensio pro integritate corporis; pro pudicitia; pro existimatione, et honore; pro rebus, juribusque nostris defendendis: et 2) an aliquando juri nostro renuntiare, et defensionem omittere sit permissum, praeceptum, aut prohibitum, disputabimus. §. 383 — 392.

CAPUT XIV. *De officiis circa significationem mentis* - - - pag. 233.

PRAEL. LVIII. Non solum factis, sed nostro etiam sermone alios laedere possumus. Officia itaque circa significationem mentis generatim exponemus, et de variis sensa animi nostri declarandi modis speciatim disseremus. §. 393. — 403.

PRAEL. LIX. De mendacii, et falsiloquii moralitate disputabimus, et nunquam, ne joco quidem, aut oblectationis causa, mentiri licitum esse ostendemus. Easdem tamen exceptiones, quas cetera officia habent, hoc etiam habere demonstrabimus. §. 404 — 414.

PRAEL. LX. De sermonibus, et factis simulatis; de reservationibus pure mentalibus, aut externe tantum; et de aliis mendaciorum latebris, eorumque moralitate verba faciemus. §. 415 — 420.

P A R S II.

CAPUT I. *De rerum proprietatis origine, et generalibus eam acquirendi modis* - - - - - pag. 251.

PRAEL. LXI. Expositis obligationibus, juribus, et officiis hominum, quae absoluta, et connata dicimus; de illis nunc instituemus sermonem, quae acquisita, et hypothetica dicuntur; seu quae non in omni statu, sed in quibusdam tantum hypothesebus, locum habent. Incipiendo igitur ab eis, quae ad rerum proprietatem acquirendi modos, et obligationes, jura, ac officia ex ea provenientia spectant, vocabulorum, quibus utendum, notionem dabimus; et, de proprietatis origine loquendo, primaevos homines in negativa, ut probabilius videtur, communiione vixisse, nullasque res in principio singulorum, aut alicujus fuisse proprias; sed vacuas, et nullius, in medioque positas, ac veluti unum cunctis patrimonium constituentes, ostendemus. §. 421 — 428.

PRAEL. LXII. Ab eo autem rerum statu recessisse homines demonstrabimus; 1) quod crescente humano genere, in dies-

que aucto, minime ad servandam vitam res sponte natae sufficerent; 2) necessariumque proinde fuisset agris adhibere culturam; 3) et exinde inter agricolas, et otio deditos, cum aliorum tamen damno vivere volentes, frequentia orirentur dissidia; et 4) quod homines, ubi primum rerum creatarum, et earum relationum, et usuum clariorem notitiam acquisivere, voluptate, avaritia, atque ambitione statim affici coepissent.

Quoad autem modum, quo primitus usi fuissent, ut res sibi necessariae non deessent, et ab earum apprehensione, et usu ignavos excluderent, eum in occupatione collocamus, seu rei dominium non habentis, et sibi necessariae, adprehensione, et asservatione cum animo ut propriam sibi habendi, et ceteros ab ejus usu excludendi: quae quidem possessio principio, ex necessitate, corporalis, et physica, postquam homines moribus imbuti, et ad humanitatem informari coeperunt, mentalis esse coepit, quin rem sub custodia physica tenere, aut in ea sine intermissione insidere opus fuisset. §. 429 — 436.

PRAEL. LXIII. De moralitate hujusce rerum proprietatem acquirendi modi dis-

pitabimus; ejusque titulum, seu rationem sufficientem, ex qua justitia ejus demonstratur, 1) a connata obligatione nosmet conservandi; 2) a jure ad res necessarias ex ea derivato; et 3) a facultate morali quaecumque faciendi, quae legibus non adversentur, deducemus.

Alterum res jam ab alio occupatas, quod ideo derivativus dicitur, acquirendi modum exponemus; et eum in petitione rei, et in concessione, ac traditione, ab ejus domino facta, collocabimus; titulum autem in ejus voluntate, et consensu. §. 437 — 445.

CAPUT II. De originario rerum acquirendarum modo - - - pag. 264.

PRAEL. LXIV. Cum itaque duplex sit rerum acquirendarum modus, alter rerum nullius, et ideo *originarius* dictus; et alter rerum dominum jam habentium, *derivativus* appellatus; de originario sermonem instituemus, et illum dupliciter etiam considerabimus, 1) in *simpliciter* nempe *talem*, et 2) *secundum quid*, prout ad rem ipsam, aut ad ejus fructus, vel quodlibet ei accedens referatur. Primum *occupationem*; alterum vero *accessionem* nominabimus.

De *occupatione* verba faciemus, et quis occupare, quae res occupari possint, et quomodo occupentur animalia, et an a venatore jam vulnerata, vel ab alicujus custodia *evadentia* occupari jure possint; et an licitum animalia occidere, in cibum convertere, cet., demonstrabimus.

§. 446 — 455.

PRAEL. LXV. De modo res mobiles et immobiles occupandi pertractabimus; et quae constitutis Civitatibus *adespota* dici, et jure occupari possint; et quid de ICtorum sententia circa occupationem bellicam sentiendum sit, exponemus §. 456 — 459.

PRAEL. LXVI. De originario altero rerum acquirendarum modo, *accessione* scilicet, disseremus; et eam in *naturalem*, *industrialem*, et *mixtam* considerantes, et uniuscujusque species exponentes, regulas, quae circa hujusmodi acquirendi modum observandae, referemus; ICtorumque opinationes circa adjudicationem accessorii, an scilicet rei, an ejus domino adtribuendum, enodabimus. §. 460 — 466.

**CAPUT III. De juribus, et obligationibus,
quae ex proprietate derivantur pag. 281.**

PRAEL. LXVII. Jura ex proprietate provenientia exponemus, scilicet 1) jus rem occupatam possidendi, ac proinde a) retinendi, b) tuendi, et c) a quocumque injusto detentore repetendi; 2) jus omnia emolumenta ex ea percipiendi, consequenterque a) ea utendi, b) fruendi, c) specificandi; et 3) jus de ea disponendi a) in totum, b) aut in partem, et c) quovis titulo, gratuito, vel oneroso.
§. 467 — 471.

PRAEL. LXVIII. Obligationes etiam referemus, et ad duo praecipua capita eas reducemus, 1) neminem scilicet in suorum jurium exercitio turbare, nec quovis modo, ex. gr. furto, rapina, invasione, aut defraudatione qualibet laedere: et 2) damnum datum reparare; rem scilicet a) restituendo; vel, si non extet, b) convenientem satisfactionem praestando, alia nimirum in locum earum, quae fuerunt diminutae, veluti vicaria substituendo. Ad ipsas res in extrema necessitate ablatas, aut destructas resarciendas nos teneri demonstrabimus.
§. 472 — 481.

PRAEL. LXIX. Verum modum, quo rerum immobilium facienda restitutio, et

ad quae teneatur bonae aut malae fidei possessor, explicabimus. §. 482 — 489.

PRAEL. LXX. et LXXI. An per ~~capio-~~*ncapionem*, seu possessionem *a*) longaevo tempore, *b*) bona fide, *c*) justo titulo continuam, legitime res alienae acquirantur, ita ut a restituendi obligatione solutus sit ejusmodi possessor, disputabimus; et legi ordinis minime repugnantem esse hunc a Civilibus Legibus praescriptum acquirendi modum, demonstrabimus. §. 490 — 499.

CAPUT IV. *De derivativo rerum acquirendarum modo; seu de pactis generatim* - - - - pag. 304.

PRAEL. LXXII. et LXXIII. De altero rerum acquirendarum modo, ad res scilicet, quae dominum jam habent, spectante, qui *derivativus* ideo dicitur, et per pacta exerceri solet, sermonem instituemus. Pactorum notionem dabimus, eorumque essentiam 1) in consensu, et 2) in possibilitate rem promissam praestandi collocabimus. De consensu verba faciemus, et eum 1) plane ac aperte, et vicissim manifestatum; 2) verum; 3) ac liberum, consequenterque *a*) sine ignorantia, atque errore praestitum; *b*) dolo

non elicatum; c) neque vi, aut metu extortum debere esse manifestabimus. §. 500 — 516.

PRAEL. LXXIV. Quinam pacisci legitime possint, et an per alios facta promissio valeat; et quae pactorum esse debeat materia, explicabimus: et de effectu, ac moralitate promissionis physice, aut moraliter impossibilis, altero pactorum requisito, disseremus. §. 517 — 527.

PRAEL. LXXV. An pacta contra leges celebrata effectum aliquem producant, implerive debeant, disputabimus; et generatim loquendo, invalida ea esse, nullumque ex iis jus provenire, demonstrabimus. Quae vero fieri debeant exceptiones, et quibus in eventibus, explicabimus. §. 528 — 530.

PRAEL. LXXVI. Diversa pactorum genera, pro diverso modo, et forma, qua paciscentibus voluntatem suam declarare placuerit, exponemus; et ea 1) in expressa, et tacita; 2) pura, et conditionalia; et 3) unilateralia, et bilateralia, seu benefica, et onerosa distinguemus; et uniuscujusque essentiam, ac naturam manifestabimus. §. 531 — 535.

CAPUT V. De obligationibus, et juribus, quae ex pactis nascuntur pag. 330.

PRAEL. LXXVII. De pactorum necessitate disseremus; et quam sancte, ac religiose fidem datam custodire, et promissa adimplere necessarium sit hominibus, exponemus. §. 536 — 539.

PRAEL. LXXVIII. Jura ex pactis provenientia referemus; et, statim ac in idem paciscentes consentiant, proprietatem rei promissae in acceptantem transferri, quin necessaria sit traditio, nisi ad possessionem physicam consequendam, demonstrabimus. §. 540 — 543.

CAPUT VI. De pactis beneficiis speciatim - - - - - pag. 338.

PRAEL. LXXIX. De pactis beneficiis instituendo sermonem, cum hujusmodi pacta verae donationes sint, et donari possit 1) res quaelibet corporalis, aut incorporalis; 2) usus rei fungibilis, vel 3) non fungibilis; 4) usus operarum nostrarum ad alterius res custodiendas; 5) vel ad negotium aliquod gerendum, ad quinque species ea omnia redigemus: 1) *donationem* scilicet stricte talem, 2) *mutuum*, 3) *commodatum*, 4) *depositum*, et 5) *mandatum*. De donatione rei sin-

gularis, tam inter vivos, quam mortis causa pertractabimus; hujusceque pacti regulas, et jura, ac officia ex eo provenientia, explicabimus. §. 544. — 550.

PRAEL. LXXX. et LXXXI. Non solum rem quamlibet singularem, sed universa quoque bona, juraque nostra donare, et in alios transferre possumus. Tribus modis, 1) pacto scilicet successorio, 2) testamento, et 3) successione ab intestato, hoc fieri potest. De pacto igitur successorio, et de testamento faciemus verba; et jura, ac obligationes testatoris, et heredis; testamentorum solemnitates, et requisita; sicut et varios, quibus infirmantur, modos exponemus. §. 551 — 564.

PRAEL. LXXXII. et LXXXIII. De successione ab intestato disseremus; et qui naturalis sit ordo succedendi; quod ejus principium, ac fundamentum; et quae circa descendentes, adscendentes, et collaterales, ac adfines observanda, exponemus. §. 565 — 576.

PRAEL. LXXXIV. De moralitate hujusrerum alterius acquirendarum modi, per successionem ex testamento, vel ab intestato, disputabimus; et legi ordinis eum quam maxime consentaneum esse demonstrabimus. §. 577 — 583.

PRAEL. LXXXV. De donatione usus rerum fungibilium, et non fungibilium, seu de pacto *mutui*, et *commodati* disseremus; et quid circa unumquodque licitum; et quae obligationes, et officia paciscentium sint, explicabimus. §. 584 — 591.

PRAEL. LXXXVI. De donatione usus operarum, sive de *deposito*, et *mandato*, pertractabimus §. 592 — 599.

CAPUT VII. *De pactis onerosis, seu de commercio generatim; et de rerum pretio* - - - - - pag. 376.

PRAEL. LXXXVII et LXXXVIII. Sequuntur pacta bilateralia, seu onerosa; quibus scilicet aliquid vicissim datur, et accipitur, et consequenter quibus suos contractus, suaque commercia, exercere homines solent. Commercii itaque exponemus originem; et cum praecipua ejus lex in aequalitate rerum permutandarum sit posita, quia nihil gratis dare homines volunt, sed tantundem, quantum in alios transferunt, accipere; verum modum aequationem inveniendi, rerumque pretium per earum utilitatem, raritatem, aliaque adjuncta definiendi, demonstrabimus. §. 600 — 609.

PRAEL. LXXXIX et XC. Rerum pretium in vulgare, et eminentis distinguemus; et de eminentis, seu pecuniae, origine disseremus. De usu pecuniae chartaceae, coriaceae, plumbeae, et metallicae, cetera verba faciemus; et cur ad materiam pecuniae electa pretiosiora metalla fuissent; necessariumque sit eam signare, ac numerare; et cur ad solum Civitatis Principem rei monetariae cura spectare debeat: sicut et quis utilior extrinsecum monetarum pretium determinandi modus, exponemus. §. 610 — 619.

CAPUT VIII. *De pactis onerosis, seu variis permutationum formis* pag. 392.

PRAEL. XCI. Varias sunt pactorum bilateralium, seu permutationum species. Frequentiores tamen sunt. 1) *Permutatio*, speciatim sumpta, seu rei cujuslibet, vel pretii vulgaris cum altera re, seu cum pretio vulgari commutatio; 2) *emptio et venditio*, seu commutatio rei cujuslibet cum pretio eminenti, vel cum certa pecuniae quantitate; 3) *locatio et conductio*, seu commutatio usus rei cujuslibet non fungibilis, aut operae cum certa pecuniae quantitate; 4) *emphyteusis*, seu commutatio domini utiliter rei alicujus cum obligatione certum ca-

nonem annuum praestandi ; 5) *feudum* , seu commutatio domini utilis alicujus rei cum obligatione praestandi fidelitatem , hoc est , curam et diligentiam , ne aliquid in alterius praejudicium fiat ; 6) *foenus* , seu *contractus foenebris* , commutatio scilicet usus rei fungibilis cum pecunia , opera , aut re qualibet ; 7) *cambium* , seu commutatio pecuniae cum pecunia ; et tandem 8) *societas* , cum nimirum res , vel operae in commune lucrum conferuntur.

Quid igitur circa *permutationem* , et *emptionem ac venditionem* observari debeat , ut aequalitas obtineatur ; et quae ejusmodi pacta celebrantium obligationes , et jura sint , exponemus. §. 620 — 630.

PRAEL. XCII. De *locatione et conductione* pertractabimus ; et obligationes , ac jura locatoris et conductoris referemus ; et casus , in quibus mercedis , aut pensionis remissio locum habere debeat , explicabimus. §. 631 — 641.

PRAEL. XCIII et XCIV. De contractibus circa *permutationem domini utilis rei alicujus cum canone annuo* , aut opera aliqua , *emphyteusi* scilicet , et *feudo* verba faciemus ; et obligationes , ac jura ex hisce contractibus emanantia exponemus. §. 642 — 653.

PRAEL. XCV. De *contractu foenebri* sermonem instituemus ; et iisdem legibus , ac ceteri bilaterales contractus , subjectum eum esse ; consequenterque minime Naturae Legi repugnantem dici posse , dummodo aequalitas servetur , demonstrabimus. §. 654 — 659.

PRAEL. XCVI. Quomodo intelligenda Veteris ac Novi Testamenti , Sanctorumque PP. effata aliqua , ex quibus deduci debere quamplurimi conjiciunt , illicitum omnino esse hunc contractum , et divina positiva lege prohibitum , exponemus. §. 660 — 663.

PRAEL. XCVII. Adversus Casuistas aliquos ostendemus , 1) Civilium Imperantium jus officiumque esse , rerum pretium , earumque usus determinare , contractusque omnes , consequenterque foenebrem etiam , prout Reipublicae finis , et boni publici collisio exigat , suis legibus ordinare , ac moderari ; proindeque 2) minime necessarium esse , existente Legge , ad inventos ab eis titulos *damni emergentis* , aut *lucris cessantis* confugere , ut de hujusce contractus moralitate judicemus , verumque illum legitime celebrandi modum cognoscamus. §. 664 — 671.

PRAEL. XCVIII et XCIX. De contractibus , quibus pecunia cum pecunia com-

mutatur, 1) *cambio* scilicet, 2) *montibus pietatis*, 3) *anatocismo*, 4) *foenere nautico*, 5) *quasi nautico*, 6) *bodemeria*, et 7) *assecuracione* verba faciemus; verumque modum eos legitime celebrandi, ut ab usurae labe sint immunes, exponemus, quin 1) ad *contractum trinum*, seu *ficam societatem*, 2) ad *emptionem census*, aut *annuorum reddituum*, ad *mohatram*, aut quosvis alios a Casuistis inventos contractus perfugere sit necesse, in quibus omnia re quidem simulata geruntur; et, ni leges, tam naturales, quam positivae, verum modum ejusmodi contractus celebrandi praescribentes, observentur, ab usuraria labe immunes minime dici possunt.

Horum omnium contractuum essentiam, ac moralitatem, et obligationes, ac jura ex eis emanantia explicabimus. §. 672—688.

PRAEL. C et CI. De aliis bilateralibus contractibus, quos studio acquirendi, et suum augendi, et vitam commode traducendi ducti homines invenere, et quos ob aleam, seu incertum eventum, in quo principium, ac fundamentum habent, *aleatorios* dixere, pertractabimus. Eorum frequentiores sunt, 1) *emptio spei*, 2) *emptio per aversionem*, 3) *sponsiones*, vulgo *apostas*, 4) *lotaria*, 5) *olla fortunae*, 6) *de-*

cisio per sortes, et 7) *Contractus lusorii* dicti.

De horum omnium moralitate disseremus, verumque modum eos legitime celebrandi exponemus; et tandem de alio bilaterali contractu; in quo res, aut operas suas in commune lócrum invicem communicare homines solent, et *Societatem* dicunt, verba faciemus. §. 689 —

705.

CAPUT IX. *De pactis accessoriis* p. 450.

PRAEL. CII et CIII. Sunt et alia pacta, quae *accessoria*, seu *cautiones* dicere solent, eo quod in maiorem firmitatem, ad vitandamque infidorum perfidiam, ceteris contractibus adjici solent. Frequentiora sunt *fidejussio*, *pignus*, et *hypotheca*; pactumque etiam *antichreseos*, et *legis commissoriae*, quibus pignori adjici solet. Horum itaque essentiam, et jura, ac obligationes ex illis provenientia explicabimus. §. 706 — 714.

PRAEL. CIV. Praeter fidejussoriam, et pignoratitiam; aliis etiam cautiones invenere homines, *asseverationes* scilicet, seu *constatationes*, quibus veracitatem, sinceritatemque suam confirmarent. Inter eas jure ac merito praecipua, et sanctior habetur, qua ad vindictam divinam, sub

conditione falsiloquii moralis provocamus, et *jusjurandum* dicitur.

De moralitate jurisjurandi disseremus; et licitum illud esse, et ad ipsummet cultum externum, si, prout fieri debeat, praestetur, spectare demonstrabimus.

§. 715. — 723.

PRAEL. CV. De effectu jurisjurandi pertractabimus, et eos a veritate aberrare prorsus, qui pacta a lege aliqua prohibita accedente juramento valida fieri, et in interno, externoque etiam, foro obligationem producere debere contendunt, demonstrabimus. §. 724 — 728.

CAPUT X. *De modis, quibus jura, et obligationes hominum cessant, aut amittuntur* — — — — — pag. 470.

PRAEL. CVI. Superest, ut de modis, quibus obligationes, juraque nostra cessant, aut amittuntur, sermonem instituamus. Enumerari solent 1) *promissio solutio*, 2) *rei interitus*, 3) *alterius perfidia*, 4) *compensatio*, 5) *conditionis defectus*, 6) *remissio, seu condonatio*, et *mutuus dissensus*, 7) *novatio*, 8) *confusio*, et tandem 9) *mors*. De singulis itaque suo ordine pertractabimus. §. 729 — 744.

SERIES CAPITUM.

PARS I.

CAP. I. *De Natura hominis* - pag. 1.
CAP. II. *De Lege, obligatione, et jure generatim* - - - - - 32.
CAP. III. *De variis actionum hominum generibus* - - - - - 48.
CAP. IV. *De morali hominum statu* - - - - - 62.
CAP. V. *De Legum Naturae existentia, et eas cognoscendi principio, earumque proprietatibus* - - - - - 71.
CAP. VI. *De Juribus, atque officiis hominum, generatim* - - - - - 86.
CAP. VII. *De modo actiones nostras ad legem accommodandi, seu de conscientia* - - - - - 108.
CAP. VIII. *De modo actionibus nostris, et aliens applicandi legem, seu de imputatione* - - - - - 118.
CAP. IX. *De Juris Naturae partibus, ejusque usu, et praestantia* - - - - - 134.
CAP. X. *De officiis erga DEUM, seu de pietate naturali* - - - - - 154.

*** 2

CAP. XI. De officiis erga nos, seu de honestate naturali - - - - - 177.

CAP. XII. De officiis erga alios imperfectis, seu de aequitate naturali - - - - - 199.

CAP. XIII. De officiis erga alios absolutis perfectis, seu de justitia stricte sumpta - I - 2 - 3 - 4 - 5 - - - - 213.

CAP. XIV. De officiis circa significationem mentis - - - - - 233.

PARS II.

CAP. I. De rerum proprietatis originibus, et generalibus eam acquirendi mediis, et rationibus - - - - - 251.

CAP. II. De originaria rerum acquirendarum modo - - - - - 264.

CAP. III. De juribus, et obligationibus, quae ex proprietate derivantur - - - - - 281.

CAP. IV. De derivativo rerum acquirendarum modo, seu de pactis generationis - - - - - 304.

CAP. V. De obligationibus, et juribus, quae ex pactis nascuntur - - - - - 339.

CAP. VI. De pactis beneficiis, speciatim - - - - - 338.

CAP. VII. De pactis oneratis, seu de commercio generatim, et de rerum pretio - - - - - 376.

- CAP. VIII. *De pactis onerosis, seu variis permutationum formis* - - - 392.
- CAP. IX. *De pactis accessoriis* - - - 450.
- CAP. X. *De modis, quibus jura, et obligationes hominum cessant, aut amittuntur* - - - - - 470.



111

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..



POSITIONUM
DE
JURE NATURAE
PARS I.
SEU
JUS NAT. ABSOLUTUM,
AUT ETHICUM.

POSITIONUM
DE
JURE NATURAE

PARS I.

DE JURE ASSOCIATIONUM
AUSTRIACUM

POSITIONES
JURIS NATURAE.

LIBER PRIMUS

DE

JURE NATURAE ABSOLUTO, SEU ETHICO,
ET DE HYPOTHETICO NON SOCIALI.

P A R S I.

DE

JURE NATURAE ABSOLUTO, SEU ETHICO.

C A P U T I.

DE NATURA HOMINIS.

JUS Naturae dicitur illarum Legum complexus, quae a Natura, DEO scilicet, hominis, ac rerum omnium Creatoris, Moderatoreque Omnipotenti, ac Omniscio, ab aeterno praescriptae fuerunt, ut homo juxta eas actiones suas moderando, se conservare, perficere, et creationis suae finem adimplere possit. Ideo autem *Naturales* dicuntur, quod

Tom. 1.

A

in essentia, naturaque hominis principium, ac rationem sufficientem habeant, et homo natura sua, usu nempe rationis, eas detegere, cognoscereque possit. Unde, cum ad eam perfectam cognitionem acquirendam necessarium omnino sit hominis naturam praenoscere, non immerito ab ejus natura earum expositionem auspicamur.

Hominis notio.

§. 1. Homo ita fortasse dictus ab *humo*, qua DEI manu vivificata, sicut cetera animalia omnia, quae vita et sentiendi facultate praedita, formatus, est animal duabus substantiis, inter se quidem diversis, sed valde conjunctissimis, corpore scilicet et anima, constans. Harum substantiarum conjunctio essentiam et vitam hominis; separatio autem mortem constituit.

De Corpore.

§. 2. Corpus, ut cuivis intimo sensu notum, est ens compositum, in latum, longum, et profundum extensum; organicum; vegetans; ex ossibus; nervis, sensuum sedibus; fibris, et musculis, motus instrumentis; et sanguine, aliisque fluidis constatum, et intertextum. Oritur ex ovulis; nudum; infirmum; imbecille; fragile; inerme; opis alienae indigum; et morbis; atque omnibus naturae casibus, legibusque mundi principa-

libus subjectum. Cibo, potu, aere, atque igne adolescit, donec tandem veluti ad maturitatem perveniens, torpentibus membris, hebescentibus, aut praemorientibus sensibus, paulatim regressitur, senescit, moritur.

Schol. Duo considerari possunt humani corporis status; 1) perfectionis scilicet, seu sanitatis; et 2) imperfectio- nis, seu morbi, prout scilicet membris omnibus constet, et omnia in scopum essentialem conspirent, aptaque sint ad nativas suas functiones peragendas, vel non.

Perfectio dicitur concordia variorum, seu in idem conspiratio, adeo ut in eo statu ens collocet, ut nihil ad suum implendum finem desit, aut supersit.

Corporis essentia.

§. 3. Majores nostri essentiam, ac natu- ram, in corporibus considerare solent. Essen- tiam, a modo eorum compositionis deducentes, illud dicunt, quod primum est in ente, et in se continet principium (a), ac rationem sufficientem, cur cetera in corpore sint, vel inesse possint.

De essentia itaque humani corporis lo- quendo, eam explicant ex conceptu cujusdam machinae mechanico-pyrobolico-hydraulicae, ex aliis scilicet compositae, et partibus soli- dis, ac fluidis conflatae, et in principio quo- dam interno suarum functionum, et motuum rationem habentis.

(a) *Principium*, quo vocabulo frequenter utimur, illud dicimus, quod in se rationem continet, cur aliquid po- tius sit, quam non sit. Discerni solet 1) ratione objecti in principium possibilitatis, existentiae, et cognitionis;

2) ratione subjecti, in internum, et externum; et 3) rationis effectus, in efficiens, et removens.

Corporis natura.

§. 4. Naturam dicunt, quod aliquid nasci, conservare facit. Hinc, optima quidem, ac debita cum ratione, DEUM ^{nat'} ^{αὐτοῦ} Naturam, et Naturam Naturantem vocant, quod rerum omnium principium, et fons, et sine DEO nec quidquam aliud, ne intrinsecus quidem, possibile sit. Mundum etiam Naturam dicunt, sed Naturatam, quia virtutem quidem gignendi, et conservandi habeat, sed a Natura Naturante, DEO Opt. Max., provenientem. Dein ad particularem entium creatorum naturam descendentes, eam in principio quodam interno, actuoso, et efficienti collocant, et de humani corporis natura loquendo, eam in dicto principio interno, actuoso, et efficienti collocatam esse docent, viribus scilicet corporis motricibus, per variam partium structuram determinatis.

De Anima.

§. 5. Quid vero sit anima, cum sit invisibilis, difficulter sane describi, determinareque potest. Hominem autem anima esse praeditum, eamque esse ens simplex, incorporeum, et immortale; sui, rerumque extra se positarum conscium; sensuum nimirum ope res externas percipiens, et rationis usa

CAP. I. DE NATURA HOMINIS. §

an bonae, vel malae, sibi convenientes, an disconvenientes, cognoscens; ac proinde eas appetens, aut aversans; et ad eas consequendas, aut repellendas, accommodatos motus in corpore, actionum suarum externarum instrumento, excitans, ex effectibus, qui testantur de sua causa, satis ac super manifestum est.

Animae natura.

§. 6. Veteres Philosophi, cum multa in hominibus ceteris animalibus communia observassent, duplici modo hominem considerarunt; partim scilicet ex notione *animalis*; et partim ex notione *animalis rationalis*. Quot enim animae actiones, seu agendi modos excogitarunt, tot ejus confecere facultates; et eas ex modo, fine, effectu, quamplurimisque aliis relationibus describentes, et specialibus nominibus designantes, quas hominibus, et ceteris animalibus communes judicarunt, *inferiores et animales*; et, quas hominum proprias, *superiores et rationales* nominarunt. Sub illis comprehenderunt sensationes, perceptionem, imaginationem, reminiscentiam, appetitus, aversationes, instinctus, affectus, spontaneitatem, arbitrium, et loquelam: et sub his attentionem, reflexionem, intellectum, judicium, ingenium, ratiocinationem, et sermonem.

Naturam igitur humanae animae expo-

nentes, eam in principio interno, actuoso, et efficienti non modo facultatum inferiorum, animalibus omnibus communem, sed superiorum etiam, hominum tantummodo propriarum, seu in principio quodam rationali, sapienti, ac prudenti (a), collocarunt, quod in hominibus solummodo observatur, nihilque commune cum ceteris animalibus continet; ac proinde hominem penitus a ceteris animalibus omnibus secernit.

(a) *Sapientia* est habitus actionibus liberis fines naturae nostrae convenientes praescribendi, et media ad eos ductentia eligendi. Unde Sapiens dicitur qui finem, et media rite invicem connectit. *Prudentia* est habitus media sapienter excogitata prompte exsequendi, ut finis intentus obtineatur. *Sapientia* delineat; *Prudentia* exsequitur.

Anima Humana a ceterorum animalium omnium omnino differens.

§. 7. Et quamvis comprobatum experientia sit, animalia omnia sentire; utilia, et noxia internoscere; appetere; aversari; affectibus aliquando excitari; et veluti loquela quadam sensationes, appetitus, et affectus suos certis quibusdam sonis, et gestibus valde quidem significantibus, manifestare, ut observatur ex. gr. in cane, cum dominum adulat, cum ludit cum aliis, cum irascitur, cum morbo afficitur; ea omnia tamen a mero instinctu, et sensatione grata, aut ingrata provenire, et in simplici cognitione obscura, et confusa praesentium objectorum tantummodo

terminari, etiam experientia, ac observatione comprobatum. Quae autem de aliquibus mirabilia sane narrantur, in DEI voluntate rationem habent; qui, cum ab ejus liberrima voluntate penderet ea creare, aut non creare, et hoc, vel illo modo, alia his, et alia illis proprietatibus donare voluit, quomodo sibi placuit, et nos observamus.

Differens etiam humanum Corpus.

§. 8. In ipsa excellentiori forma corporis a ceteris animalibus homo secernitur; solus enim erectus graditur, solus caput et vultum in caelum protendit, et solus inter animalia, quibus circumdatur, et quibuscum in hoc Telluris cortice, stupendis divinae majestatis indiciiis oblecto, ab omnium Creatore DEO Opt. Max. collocatus, sensuum ope artificium, et pulcritudinem DEI admiratur, et ratione mundum contemplanis ex opere creatorem DEUM Omnipotentem, Omniscium, et summe Bonum agnoscit, et veneratione prosequitur.

De Ratione.

§. 9. Ratio, praecipua, ac nobilissima humanae animae facultas, qua nescio, an quid divinitus humano generi datum fuit praestantius, et qua a ceteris animantibus omnibus homo distinguitur, et ceteris DEI operibus praestabilius esse demonstratur, est

illa animae nostrae facultas, cujus vi non modo res corporeas, sed incorporeas etiam sibi repraesentat; et illas non modo confuse, sed et clare, ac distincte percipit; earum causas, effectus, fines, et relationes omnes, quas se inter et nos habere possunt, explorat, atque detegit; cum aliis comparat, et ex similitudine, proportionem, associationem, abstractionem, et imaginationem alias ideas sibi efformat; de earum veritate, ac falsitate judicat; antecedentia, consequentia, et connexa perquirat; et meditatione, conjecturaque futura colligit; de omnibus ratiocinatur; conclusiones universales deducit; et verum a falso, bonum a malo, et quod sibi perfectionem, imperfectionemve afferre potest, discernit.

*Seb. I. Vocabulum Ratio, et Intellectus in Philosophia Morali pro uno, ac eodem frequenter accipitur. Veteres Intellectum dicunt facultatem res distincte percipiendi; et Rationem facultatem res distincte percipiendi, et de eis judicandi, ac ratiocinandi: alii autem facultatem nexum veritatum universalium percipiendi; et hinc apud eos rationi conforme, et congruum, illud erat, quod veritatibus cognitis, et propositionibus universalibus conveniens fuisset. Omnes vero, quotquot enumerantur, animae facultates per vocabulum *rationem*, aut *mentem* exprimuntur; sub ratione enim comprehenduntur, suntque veluti rationis, aut mentis operationes, sine qua caecae, et brutae, sicut et ratio sine eis inutilis, et sterilis. Eadem est mens, quae percipit, quae judicat, ratiocinatur, appetit, cetera.*

*Seb. II. Veritas est vacuitas a repugnantia; contra falsitas. Dicitur *naturalis*, cum judicia nostra ad objecta referuntur; *formalis*, cum ad ideas; et *moralis*, cum ad verba, aut ad leges, et talia sunt judicia nostra, qualia esse debent.*

CAP. I. DE NATURA HOMINIS. 9

Bonum dicitur quidquid nos conservat, aut perficit; contra *malum*. *Bonum* *apparet* quod conservare, ac perficere videtur, cum se vera destruat, aut imperfectiorem reddat; contra *malum* *apparet*. Tale est bonum, aut malum minus maioris impedimentum; illud enim est comparative malum, et hoc comparative bonum.

Conservare nos ea dicuntur, quae ad existentiam, et durationem status praesentis inserviunt; *perficere*, quae meliores reddunt, augent, et amplificanc nostras animae facultates, corporis vires, et facultate externas necessarias, et utiles ad status nostri praestantiam.

Homo ratione praeditus.

§. 10. Sunt qui cum TOLANDO, ceteraque *Materialistarum* turba, *rationem* hominis post Protoplasti lapsum depravatam omnino mansisse, nullosque fere ejus gradus nobis superfuisse contendunt. Quantum vero a veritate distent, satis superque demonstrant tot, quot extant, scientiarum systemata eruditione praestantissima, et artium inventiones, numeroque propemodum infiniti viri, artibus et doctrina instructissimi.

Homo sapiens non nascitur; discere tamen potest, quiaquid voluerit.

§. 11. Equidem homo in actu doctus, sapiensque non nascitur; infantes enim, si non edocerentur, manum sine ullo timore ad flammam admoverent, et frusta ligni, aut foenum in os ingererent. Experientia tamen comprobatum, posse hominem matura aetate, et integra mente, debita adhibita diligentia, quidquid voluerit addiscere; saltem

generalia illa principia, quae ad vitam conservandam, et honeste tranquilleque traducendam necessaria sunt; et contra stupidos, ac bardos effeci, qui nullam in suis excolendis facultatibus industriam, atque operam collocant.

Schol. Non itaque Natura, sed incuria, segnitieque nostra accusanda. Et cum humana ratio, ut oculi luce, principiis, ac praecedentibus ideis indigeat, est enim instrumentum, quo adquiruntur scientiae, et vicissim scientiae instrumenta, quibus ratio maior, et recta efficitur; manifestum sane, necessarium omnino nostram officium esse, ut quisque suis sensibus utatur, cum rerum natura conversetur, et idearum copiam, quae cognitionum est materies, acquirere studeat, secum ipso plurimum meditetur, viros doctos consulat, et eos imitari curet; prae oculis praesertim habendo, quam breve, velox, et fortitum nostri aevi sit tempus, et infantiae, ac senectutis annos, in poenam aliquando vivacis, minime numerandos.

Maxima pars hominum in ignorantiae coeno tota vita defixa manet, quod in veritatibus necessariis ac utilibus ad discendis tempus, et operam nullam impendunt.

De Voluntate.

§. 12. Inutilis foret veri et falsi, boni et mali discrimen nosse (§. 9); si ea etiam facultate, *Voluntate* scilicet, non fuissetis donati, qua ad illud, quod bonum, et nobis conveniens noscimus; inclinare; et ab eo, quod malum, et disconveniens, declinare nos possemus.

Hac autem facultate esse hominem praeditum, ex ipsa propria cujusque experientia patet. Ea namque est humanae animae natu-

ra, et indoles, ut simul ac objecta species cujusdam sit, quod nobis bonum, aut malum futurum esse cogitemus, statim ad illud appetendum, aut effugiendum, conatum incitamentumque vehemens in nobis sentiamus; eoque vehementius, quo intentior fuerit organorum sensuum irritatio, ab externorum objectorum impressione proveniens, intentiorque proinde voluptatis, aut taedii, seu doloris sensatio; duo illa vitae conservationis principia, quorum vi Natura ad objecta vitae consentanea nos impellit, et a noxiis retrahit.

§. 13. Ad ea ipsa, quae vera sunt mala, et homo aliquando appetit, ideo se anima inclinatur, quod bona sibi repraesentantur, saltem pro praesenti illo rerum statu, quo illa appetit, licet aliquando alia in occasione ea ipsa forsitan aversari soleat. Equidem stolidus esset homo, qui mala ideo quod mala, nisi in aliquo collisionis statu, appeteret. Homo est avarus, ambitiosus, et ultionis appetens, quia si pecunia desit, si ab aliis contemnatur, si injuriam ab alio illatam non ulciscatur, miserum, ac infelicem se judicat.

Schol. Voluptas generaliter dicitur quaevis grata sensatio; speciatim vero boni, seu perfectionis perceptio. *Taedium*, seu dolor contra. Voluptas vera, perpetua, nullaque aegritudine contaminanda dicitur, quae in virtute, seu legum custodia principium habet: *falsa*, opinata, apparens, et quae plerumque in aegritudinem vertitur, quae in vitiis, et actionibus legibus contrariis.

Ab appetitu sensitivo discrimen.

§. 14. Appetendi et aversandi facultate cetera etiam animalia sunt praedita, et ideo veteres eam facultatem, ut *superiorem*, et *inferiorem* considerarunt (§. 6), et inferiorem *appetitum sensitivum* dixere. In eo autem ea facultas, cum de hominibus affirmatur, ab animalibus ceteris communi valde differt, quod in animalibus aliis omnino *sensitiva*, et principium habeat in sensatione grata, aut ingrata, voluptate scilicet, aut dolore, qua semel percepta, statim animal appetit, aut aversatur, et necessario se inclinat, aut effugit; in homine autem *rationalis* sit, et principium habens in ratione, non prius se inclinando, aut declinando, quam de objecti representati natura deliberet, et an vere bonum, an vere malum, et sibi conveniens, aut disconveniens cognoscat. Tum itaque *appetitus sensitivus*, aut subitanea animae inclinatio ad quod bonum sibi representatur, aut declinatio ab eo, quod malum, nomine *appetitus rationalis*, seu *voluntatis* insignitur, cum a ratione fuerit probatus, et de appetitionis, aut aversationis suae natura anima certior fiat.

Judicia itaque boni convenientis, aut mali disconvenientis sunt voluntatis nostrae principia; et ideo dicta volitionis, ac nolitionis motiva, seu momenta.

Voluntatis descriptio.

§. 15. Unde cum de voluntate hominis verba fecerimus, ea solum facultas prae oculis habenda, cujus vi ad appetendum, aut aversandum se anima inclinatur, aut declinat, postquam ei sufficientia motiva, seu momenta a ratione repraesentata fuerint, quibus ad appetendum, aut aversandum se inclinare conveniens judicet.

Adeo velle et nolle cum ratione ^{est} conjunctum, ut neque unum sine altero cogitari, neque homo voluntate praeditus dici possit, qui ratione careat.

Naturalibus quibusdam propensionibus est etiam homo praeditus.

§. 16. Illud etiam nonnunquam accidit, ut homo citra cogitationem, sensationemve ullam, ab objectorum externorum impressione proveniente, ad aliquid appetendum, aut aversandum stimuletur. Talis est cibi, et potus appetitio, amor existantiae, et commodi, propensio in melius bonum, et in felicitatem, cura natorum, sui similium dilectio, cetera. Hoc autem hominem quibusdam etiam propensionibus naturalibus donatum fuisse, satis quidem manifestat.

Ejusmodi propensiones, cum ad animalia cetera referuntur, *instinctus*; cum ad hominem, *propensiones naturales* dici solent, *sensus*

moralis, et *conscientia naturalis*, quod scilicet sine ullo ratiocinio bonum a malo, et honestum a turpi naturaliter homo secernat. Naturales dicuntur, 1) quia essentiae, et naturae hominis convenient, 2) eadem in hominibus omnibus reperiantur, et 3) minime repugnet, eo etiam dono hominem exornare voluisse ejus Creatorem DEUM Opt. Max., ut creationis suae finem facilius adimplere posset.

Interim tamen non desunt, qui eas proensiones non connatas esse hominibus, sed ab usu diuturno rerum, quae vitae consentaneae, aut adversae sunt, ortum suum ducere contendant. Probe tamen secernendae a proensionibus, et habitibus adventitiis, qui a sensationibus gratis, aut ingratis proveniunt, saepenumero malis, imperfectionemque afferentibus.

De Libertate.

§. 17. Non modo facultate cognoscendi (§. 9), et appetendi, et se inclinandi ad quod bonum, et sibi conveniens, et declinandi ab eo, quod malum, et sibi disconveniens judicat (§. 12), humana anima ab ejus Creatore DEO Opt. Max. exornata fuit; sed *libertate* etiam, vi cujus, postquam de natura suae appetitionis, aut aversationis certior fit, principio quodam interno, ei inhaerenti, et insito, sine ulla internae, externaeve alicui necessitati subjectione, non modo media illa eligit, quae ad praecipuum

finem obtinendum aptiora iudicat, sed convenientes ad id motus in corpore, externarum suarum actionum instrumento, excitat, et, prout sibi placet, et quando, et quomodo vult, hoc, vel illo, vel opposito etiam modo, (a) in usu ponit.

(a) Hinc illa Scholasticorum distinctio in libertatem determinationis, executionis, contradictionis, et cessationis.

A spontaneitate, et arbitrio discernitur.

§. 18. Cum de ea facultate, ut inferiori, et ceteris animalibus communi disseritur, *spontaneitas* generatim dicitur, seu facultas animalis per principium internum, et efficiens aliquid agendi sine ulla externa vi; speciatim autem *nudum arbitrium*, seu facultas agendi sine ulla externa vi, quidquid ei physice et subjective fuerit contingens, seu viribus agentis haud repugnans; aliis namque possibilea quaedam, quae non aliis. Quod enim ex. gr. homini robusto, aut alicujus artis perito possibile, homini debili, aut artis ignaro impossibile est.

Sicut ergo appetitus sensitivus voluntas dicitur (§. 14), ita etiam spontaneitas, et arbitrium libertas nominatur, cum a ratione moderatur.

Homo libertate praeditus.

§. 19. Qui hominem ratione spoliare tentat (§. 10), ut fortasse omnem moralitatis,

et hujusce nostrae Disciplinae fundamentum subruant, atque convellant, irrito tamen conatu, hominem tamquam machinam nobis depingunt, et, sicut cetera in mundo, hominem etiam, velot hujusce magnae machinae partem, *fato* quodam, seu ineluctabili causarum nexu, ut aiunt, regi, omnesque proinde ejus actiones necessarias omnino esse, contendunt.

Nulla tamen necessitate interna, neque *ut prole co-* externa hominem moveri, satis sit animad-
noscat. vertere, nos cogitare, imaginari, appetere, aversari, ratiocinari, movere caput, oculos, pedes, cet., et aliquid agere, vel non agere, prout, et quando volumus; statimque omnes eas actiones dari, simul ac nobis in mentem veniant; et horum omnium motuum nos causam, et conscios esse; scireque etiam rationem, qua moveri, aut non moveri volumus; quae quidem omnia in machinam minime cadunt, neque in causas necessarias, quae totis suis viribus, et uno, atque eodem modo semper agunt.

Refellitur argumentum.

§. 20. Neque adsertam hominis libertatem confringit ineluctabilis illa necessitas, qua intellectus noster ad id, quod evidens, et voluntas ad id, quod sibi repraesentatur bonum, semper et necessario se inclinatur, sicut et a falso et malo, semper ac neces-

sario declinat. In eo enim ipso libertas hominis clarius adhuc demonstratur; cum enim non alius rationis finis, quam veritatis inventio, verum scilicet a falso, bonum a malo, et verum bonum, verumque malum ab apparenti, et opinato discernere, veraque media ad illud adipiscendum aut effugiendum detegere; absurdum sane foret, si finem nos adepti actiones haustis veri boni cognitionibus congruentes non faceremus.

§. 21. Equidem in illis bonis, quae generatim, et universaliter bona sunt, et prima intuitu ab omnibus ut talia dignoscuntur, nullum locum habere potest electio; finem enim, quo noster tendebat labor, jam adepti fuimus; sed in privatis tantummodo, et in illis, quae sub diversis formis et speciebus se nobis praesentant, veluti iucundi, aut honesti, aut utilis, quae omnia a vero bono inseparabilia; et nos pervertunt, ac decipiunt; quae etiam cum vera, magis convenientia tamen in hac, quam in illa hypothesis esse possunt. Interim tamen etiam in illis rei certitudinem penitus examinare, et nos cohibere posse, prout voluerimus, in quo quidem libertas posita, nullum dubium.

§. 22. Neque libertas idem est ac licentia, seu facultas agendi quidquid libuerit, ex gr. venenum devorare, nudum incidere, alios laedere, mala bonis praeferre, cetetera; sed faciendi propria vi, et sine dependentia

ab alio, quidquid voluerimus, quod ad conservationem, perfectionemque nostram conferat, et rectae rationi, DEIque mandatis minime adversetur.

§. 23. Maioris etiam ponderis non est argumentum aliud, quod ad internam necessitatem asserendam ab Imperfectione organorum sensuum, facultatumque nostrarum limitatione deducunt. In certamen etiam adducendo, cur has potius, quam alias, aut cur non maiores facultates nobis dederit hominis, retinque omnium Creator DEUS.

Haec enim in DEI voluntate rationem habent, qui, cum hominem creare, vel non creare, et eo, vel alio modo posset, eo, quo observamus, et cognoscimus, creare voluit. His ergo dotibus contentos nos esse oportet, quibus nos ornata Natura voluit; in DEI autem iudicia inquirere, cur has, non alias, nec perfectiores dederit, tam arrogans, ineptumque est, ac si quis curiosius exquirat, cur materiae soliditas, et igni calor sit inditus; cur materiae metallicae aquam, et acrem mole sua non exaequet; aut cur, cum volent praecipibus pennis aquilae, nos hominem repamus.

Sextaque etiam est homo praeditus.

§. 24. Praeter has mirabiles adeo humanae naturae dotes, alia etiam non minus praestanti, sermone scilicet, hominem, et so-

Ium hominem exornavit ejus Creator DEUS Opt. Max., cujus virtute perceptiones suas, appetitus, et cogitationes omnes sonis articulatis clare, ac distincte, firmæ, sineque ullo dubio manifestare possit.

Ad societatem creatus.

§. 25. Hoc autem dono, non modo a ceteris animalibus distinctum omnino esse hominem, sed ad conjunctim, ac socialiter cum sui similibus vivendum a Natura creatum fuisse comprobatur.

Equidem, cum DEUS omnes cogitationes hominum sine sermone, signove alio perspiciat, animalia autem per signa, quibus ad-suefacta, nos satis intelligant, nihil reliquum, quam ^{ut of} ~~quod~~ nostri, et aliorum causa, ac proinde ad cum nostri similibus vivendum eo dono a Natura nos præditos, Nostri causa, *fuisse dica-*
mus.
 non ut nobiscum cogitationes nostras communice-
 mus, earum enim satis nos conscii; sed ut alios certiores reddamus de eo, quod nobis fieri, aut in quo eos juvare velimus. Aliorum autem, ut eis, quæ scire eorum interest, et quid utile futurum sit, indicare possimus, et ita fraterne, amice, ac socialiter vivamus; societatem universalem per totum terrarum orbem sparsam constituentes.

§. 26. Ipsa humana conditio hoc ipsum clarius, ac evidenter demonstrat. Nascitur enim homo rerum omnium indigus, suæ ra-

tionis usum ignorans, neque edere, bibere, fari, incedere, frigus, aut aestum depellere, nulloque modo se conservare sciens, infra paucas horas sane periturus, si aliorum auxilio destituatur. Ea naturalis hominum infirmitas, ac imbecillitas, quam omnibus communem esse quisque, parum etiam reflectendo, cognoscit, et cujus ratione negro solus se perficere potest, sed necessarium omnino, ut conjunctis viribus, facultatibusque suis se mutuo homines adjuvent; argumento evidentissimo est, non alium fuisse Creatoris finem, omnium perfectionem aeque intendentis, quam ut conjunctim ac socialiter homines viverent, et ita se mutuo perficerent, et creationis finem adimplere possent. Hinc congenita est hominibus omnibus ad societatem inclinatio.

Schol. Pauca sane utilitate, emolumentoque forent recensitae hactenus humanae dotes, nisi homo socialiter viveret. Aiebat *Ancimedes* nullam ex scientiis voluptatem nos capere posse, si soli viveremus; seque, si in caelum raperetur, astraque omnia coram spectaret, nullam inde voluptatem percipienturum, si in terram revertere, et ea, quae viderat, enarrare aliis non posset.

Atque ad felicitatem.

§. 27. Cum DEUS mundi, de se fortuiti, causa liberrima, ac sapientissima sit, fieri profecto non potest, ut hoc universum, adeoque hominem frustra et nihilo creando, finem aliquem etiam remotissimum non specta-

ret (a). Equidem rem paulo accuratius expendentibus, nihil aliud in mentem subit, quam quod DEUS, ut ex mirabilibus ejus operibus patet, sit Ens Necessarium, Independens, et Perfectissimum, nullaque omnino re indigens, et consequenter non alia de causa mundum hunc adspectabilem, et hominem creasse, quam ad suarum perfectionum, suaeque gloriae manifestationem. Tota quidem mundi machina Dei existentiam, omnipotentiam, omniscientiam, et summam bonitatem manifestant. *Caeli enarrant gloriam DEI, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* PSALM. XVIII.

(a) *Finis* dicitur illud, propter quod causa efficiens aliquid agit, ut ipsum sit, vel fiat.

Medium quod rationem continet, cur finis actum consequatur.

Finis considerari potest 1) ultimus, 2) intermedius, et 3) remotus, continens hic rationem intermedii, intermedius ultimi.

§. 28. Est vero finis iste generalis, et ultimus, et ad totum Universum spectans, et ad quem reliqui omnes referuntur. Ad alium autem specialem finem, praeter hunc ultimum, DEUM hominem creasse, ut nempe in eo mundo vivat, et bene, ac feliciter vivat, ut ita finem ultimum, seu DEI gloriam, et Conditoris sui perfectiones manifestare, et illustrare possit, plurima demonstrant.

Primo: *Congenita illa hominis ad felicitatem*

tem propensio : omnibus enim hoc a Natura tributum, ut incredibili quodam felicitatis desiderio teneantur (§. 12). Neque eo progredi insaniae quisquam potest, ut vitae beatæ dulcedine nec capiatur, nec ad felicitatem consequendam actiones suas omnes, et consilia referre profiteatur. Sane illi etiam, qui, cum vita sordida sint, virtutis gloriam pro nihilo ducunt, si sibi consentanei esse volunt, fateantur necesse est, se id unum omnium maxime agere, ut beatitate fruantur. Quamvis enim nihil magis vitio verae felicitati adversetur, neque vita beata ulla esse possit, nisi cum honestate, et justitia conjuncta; nemo tamen ita projecta natura est, ut vitiis ea de causa se delectari affirmet, quia vitia esse intelligit, sed quia seu ignoratione veri, seu errore circumventus, verum cernere non potest, nubemque, ut aiunt, pro Junone sumit.

Secundo: *Ipsius hominis natura* : cum enim *nationem* a Deo acciperet, ut verum a falso, et bonum a malo discernere sciret, et quod sibi conveniens, aut disconveniens cognosceret (§. 9); *voluntatem*, ut ad quod sibi conveniens se inclinaret, et ab illo, quod imperfectionem afferret, declinaret (§. 12); *libertatem*, ut media ad illud obtinendum, aut fugiendum aptiora eligeret (§. 17); *corpus*, ut per varios motus appetitus, aut aversiones suas, explere possit (§. 3); et *sermonem*, ut per vocem cum aliis sui similibus com-

municaret, et vires facultatesque suas conjungerent, seque mutuo iuvarent (§. 25); nihil quidem nobis cogitandum superest, quam quod DEUS hominem, et solum hominem, felicitatis capacem creando, eo etiam finem creaverit, ut verae felicitatis participem redderet. Si namque vult, ut simus, et nosmet conservemur; etiam, ut bene simus, et perfectiores nos reddamur, ut ita finis ultimus adimpleatur, DEUM velle credendum.

Corollar. Divinae igitur gloriae manifestatio est ultimus creationis finis; hominis autem existentia perfectior, et rectus suarum facultatum usus sunt fines intermedii.

Quid felicitas?

§. 29. Felicitas seu *beatitudo* status dicitur, quo voluptas vera, seu perceptio veri boni perdurat; contra *infelicitas* seu *miseria*, in quo taedium, seu dolor, et perceptio veri mali: illa bonorum, et perfectionum, haec malorum, et imperfectionum cumulum continet. Tam perspicua inest mentibus nostris felicitatis notio, ut nemo sit omnium, qui non tum demum se felicem profiteatur, cum constanti quadam, ac perpetua tranquillitate animi, voluptateque fruitur sine ulla aegritudinis admixtione.

An hac mortali vita felicitate ulla homo gaudeat?

§. 30. Dupliciter considerari solet felicitas; *perfecta* alia, in omnimoda mentis tran-

quillitate, et incommutate a quovis taedio; et alia imperfecta, in maxima possibili quiete animi, seu in maxima possibili bonorum summa, et minima malorum posita. Illa tamen tanta felicitas, numeris omnibus absoluta, in hanc vitam mortalem minime cadit; est enim ratio nostra erroribus quamplurimis obnoxia, et corpus nostrum doloribus, atque morbis plurimis subjectum. In eo tamen repudiandus error ille, qui multorum animos invasit, quasi omnis felicitas e vita hac mortali malorum comparatione exulet. Illa enim animi tranquillitas, quae ex vitae integritate conscientia, affectuumque seu moderatione, seu etiam vacuitate nascitur, tantum habet suavitatis, ut, si cetera omnia absint, sola par sit tuendo felicitatis nomini.

Mala physica, quibus agitantur homines, in immensum augent divinae bonitatis, et providentiae hostes; et mirum, quantum dolorum assiduitatem, et acerbitatem, morborumque frequentiam, improbae vitae praemia, exaugeant. Satis vero insipienter temereque dicunt; malorum enim, quibus crebro vita hominis imperitur, non tanta est vis, ut felicitatis spem omnem adimat: manet enim suavis ille e bonis sensus, manet tranquillitas animi, virtutis vera comes, qua praediti aut contemnunt mala, aut forti animo perferunt.

Schol. Interim tamen, quamvis vera quidem sit haec hujus vitae felicitas, ita comparata est humana anima, ut nescio

quid excellentius, et bonis omnibus praestabilius appetat, et quod sit extra omne periculum amittendi constitutum. Hoc autem summum bonum, in quo anima nostra placidissime acquiescat, solus DEUS est, quo neque maius quidquam, neque melius intelligi potest, ad quod proinde summum bonum consequendum toto pectore, totisque viribus incumbendam nobis, virtutem excolendo, religionemque praesortim, quae non modo hominibus hanc tribuit felicitatem, quae, dum hanc vitam vivimus, summa merito habetur, sed et viam parat, qua ad eam contendendam sit, quae mentibus ab hac corporis compage solutis ab Immortali DEO nobis parata est. De his vero *Ethices* DD. consule.

Homo hallucinationibus, et erroribus quamplurimis subjectus.

§. 31. Sed quamvis dotibus adeo praestantibus Natura hominem exornasset, cum tamen ea rerum omnium creaturarum natura sit, et conditio, ut finitae, contingentes, mutabilesque sint, consequenterque perfectione ea destitutae, quae solum Entis Necessarii, Independentis, ac Perfectissimi propria, *est* fieri quidem non potest, veluti usu proprio infelici quodam fato! noscimus, quin multa quidem ignoremus, quotidie hallucinemur, et in erroribus quamplurimis versemur (a), consequenterque a vero tramite frequenter aberremus, et, quemadmodum Ixion nubem pro Junone, ita nos quoque bona apparentia, et opinata pro veris bonis, et mala apparentia, et opinata pro veris malis amplectamur.

(a) Non immerito majores nostri dixere, duos esse rationis morbos, 1) ignorantiam scilicet, in qua nascimur, et 2) errores, quos adquirimus, vel a) ratione imbecillitate, et

parvae nostrarum facultatum capacitatis; vel b) organorum sensuum imperfectionis; vel c) corporis constitutionis; d) affectuum; et e) aetatis institutionis defectu.

Quoad intellectum.

§. 32. Quicumque sane volet se ipsum, aliosque homines paulisper scrutari, non ibit sane inficjas, se quidem aliquando, cur aliquid a repugnantia vacuum sit, vel non sit, rationem sufficientem ostendere posse, aliquando non posse, id est, certam aliquando cognitionem consequi, aliquando incertam tantummodo. Praeterea animadvertet, multos homines, sive ob naturalem maturae aetatis defectum, sanae mentis, aut institutionis, sive ob superveniens somni, ebrietatis, aliusve morbi impedimentum, sufficienti rationis usu destitui; omnes vero, ob humanae intelligentiae circumscriptionem, innumerarum rerum cognitione carere, et non paucas concipere ideas ab objecto plane discrepantes.

Quoad voluntatem.

§. 33. Ea est voluntatis humanae indoles, ac naturae lex, ut posita repraesentatione boni, aut mali, et positis volendi, aut nolendi momentis, statim nos excitari, ac determinari ad adipiscendum, aut aversandum sentiamus (§. 12). Cum vero sensus, perceptionis instrumenta, ob eorum imperfectionem in errorem saepe nos inducant, et consequenter intellectus in idea boni, ac mali

multoties erret (§. 31), ac proinde momenta volendi, aut nolendi non semper vera, ac genuina, sed spuria, opinata, et apparentia per sæpe sint; manifestum sane frequenter etiam apparentia, et opinata bona pro veris nos amplecti, et apparentia, ac opinata mala pro veris nos aversari. Illud etiam non nunquam accidit, ut adeo nos pertinet, ac percellat boni repræsentatio, et ita augeatur appetitus sensitivus, ut nullum reflexioni relinquat locum, et sensus praevaleat; anima autem affectui, aut perturbationi subsit.

Quid affectus, et habitus?

§. 34. Intensiores isti appetitus, aut aversiones dicuntur *affectus*, et principium habent in voluptate, aut taedio, et ideo *grati*, aut *ingrati* denominantur. Ab his, tamquam primariis, ceteri omnes descendunt, diversis, et specialibus nominibus designati, veluti si a repræsentatione boni, vel mali præteriti, præsentis, aut futuri, *desiderium*, *laetitia*, *spes*; *poenitentia*, *tristitia*, *metus*; si a repræsentatione jucundi, honesti, aut utilis, *gloria*, *ambitio*, *avaritia*; *ira*, *pudor*, *invidia*; si a repræsentatione facilius, aut difficilius mediocrius ad bonum acquirendum, aut malum depellendum, *fiducia*, *audacia*; *diffidentia*, *desperatio*, cet.

§. 35. Ex affectibus, si per frequentes vi-
ces recurrant, nascuntur *habitus*, modo bo-

si, modo mali, sicut etiam affectus, prout principium, a quo proveniant, veri nempe, aut apparentis boni perceptione. Positi autem sunt habitus in facilitate, ac promptitudine agendi, quae si in legibus custodiendis acquiritur, *virtus*; si in iisdem violandis, *viciositas* nuncupatur.

Curandum tamen, ut omnes affectus nostros, tam bonos, quam malos, ne ceterorum animalium more, quae sola sensatione ducuntur, erroribus nosmet objiciamus, rationis imperio, ac disciplinae subjiciamus, ut et bonorum excessum cohibeamus, et malos habitus ex affectibus provenientes in bonos commutemus.

Non impossibile huic malo mederi.

sit. §. 36. Non ea tamen tanta sunt, ut eis mederi impossibile. Cum enim hallucinationes, erroresque numero pene infiniti, quibus homo versatur, in intellectus, ac voluntatis vitio principium habeant, nihil aliud sequitur, quam quod ad culturam suarum facultatum cuique esse incumbendum, ut vincatur ignorantia, depellantur errores, eaque evitetur cognitionum confusio, quae in discernendo honesto a turpi, et vero bono ab apparenti obvenire solet. Posse autem hominem quidquid voluerit discere, experientia satis superque comprobata res est (§. II).

§. 37. Et quamvis diuturni habitus alteram veluti naturam constituent, impedimento tamen a deo insuperabili non sunt, ut debita

adhibita diligentia superari non possint; aliter frustra essent leges, et iniquae poenae, legibus sancitae. Excœlenda igitur ratio, et ejus imperio subjicienda voluntas; collectandum insuper cum vitiorum blandimentis; sensationum principis obstandum; vitanda occasio, et prae oculis actionis consecutaria ponenda; melius agendi expendenda momenta; inclinationesque malae in bonas commutandae, et ea in habitibus depellendis diligentia ponenda, quam in eis contrahendis impendimus. Hoc autem possibile infinita propemodum numero illorum exempla demonstrant, qui affectibus, et habitibus deliti, vitiisque immersi, tandem, dum tristes, poenitendosque flagitiorum eventus, et conscientiae acuta vulnera ita senserunt, ut ferre amplius non possent, ad mentem sanioerem redierunt, posteaque bene, recteque vixerunt.

Homo non est natura pravus.

§. 38. Intoleranda igitur est HOBBESTII, ac PUFFENDORFII sententia, homines natura malos asserentium, ad eorumque essentiam, ac naturam referentium) cupiditatem hominis in alios saeviendi, magnasque discordias excitandi, sive ob ingeniorum contentionem, sive ob ejusdem rei appetitum; et b) parata instrumenta, ac nocendi media (a). Naturales enim vim repellendi stimulos contaminant, et corruptos multorum habitus communem natu-

ram faciunt. Naturale illud solum dicendum, quod in essentia, ac natura hominis principium habet, et in omnibus hominibus simile omnino, et idem reperitur.

(a) *Biographia* hominum, qui in perfectionibus acquirendis, conservandis, et amplificandis, operam ponunt, minime dubio argumento est, tunc solum naturalis esse hominem, cum ei educatio deest.

Aliquorum de natura hominis opinio refellitur.

§. 39. Non desunt etiam, qui ab ingenio, et indole, seu a maiori, vel minori cultura rationis, et voluntatis, consequenterque a virtutibus intellectualibus, et moralibus, sicut et a vitiis, et habitibus malis naturam hominis deducunt; quia etsi eadem facultates omnibus obtigissent, varius tamen in quovis subjecto sit earum gradus, exercitatio, et vigor. Cum vero tam ingenium, quam indoles ab acquisito agendi habitu, ac dissimili corporis partium dispositione, et sanguinis, et humorum mixtura, seu temperamento, ut aiunt, eaque ipsa a seminis, aetatis, climatis, vicitus, valetudinis, institutionis, exemplorum, et studiorum varietate proveniant, quae quidem non eadem in omnibus, nec in eodem homine semper, nec ita comparata, ut libertatem homini auferant (§. 37); evidens naturalia minime dicenda.

§. 40. In peius fuit THOMASIVS, qui ex variis hominum inclinationibus singulos

specie differre, diversamque omnium naturam esse arguit. Equidem si alicujus rei particularis appetitus, aut aversatio diversam hominis speciem, et aliam naturam faceret, variae species, variaeque naturae de uno, ac eodem homine asserendae essent; quam plurima enim, valdeque diversa appetit, et idem ipsum, quod heri voluit, aversatur hodie.

Quid ergo de natura hominis dicendum?

§. 41. Ex hucusque positis satis superque evincitur, quid de natura hominis dicendum; scilicet de genere animalium esse, ex duabus substantiis, quae ejus essentiam constituunt, compositum, corpore nempe, et anima (§. 1): corpore quidem mechanico-pyrobolico-hydraulico, principio quodam interno, actusoso, et efficienti omnium ejus motuum praedito (§. 4); morbis tamen, pluribusque aerumnis, et tandem dissolutioni subiecto (§. 2); ac proinde maxima cura, et certis quibusdam officiis a nobis praestandis indigenti: anima autem spiritali, rationali, et immortali (§. 5), ad aeternamque felicitatem creata (§. 28), hominum tantummodo propria, diversaque omnino ab ea, quae in ceteris observatur animalibus, vita, et sentiendi, appetendi, ac aversandi facultate, et spontaneitate, et arbitrio praeditis (§. 7) (a); et quae in se principium, ac rationem sufficientem omnium facultatum, quibus nos

praediti, continet (§. 6); limitata tamen, ac finita, hallucinationibus, et erroribus quamplurimis obnoxia (§. 31), et quae proinde ordinis, ac directionis est capax; norma tamen indigens, ut juxta eam actus suos omnes componere sciat, et possit, et ita tam ultimum, quam intermedios ceteros creationis suae fines adimplere valeat.

(a) Quae de brutorum anima, seu eo intelligentiae dono, quo cetera animalia praedita, disputari solent, a Philosophiae Rationalis DD. discenda: est enim, hoc ab instituto nostro alienum; in eumque evagari campum, longum sane foret. Ideo autem de facultatibus inferioribus, et animalium propriis mentionem fecimus, et Claris. de Martini vestigiis plane insistimus, quod fere omnes Juris Naturae Scriptores, qui in omnium manibus versantur, hanc amplecti suere ratiocinandi methodum, in qua si non versati, et aliam vocabulis, quibus utuntur, notionem affingamus, nec eos rite interpretabimur, aut intelligemus, nec in conclusionibus conveniemus.

V. WOLFF, *Psychol. Empir. et Rat.*, BONNET, *Essai analyt. sur les facultés de l'ame.* DE FELICE, *Leçons de Droit de la N., et des G.*, Lec. I.

C A P U T II.

DE LEGE, OBLIGATIONE, ET JURE GENERATIM.

§. 42. **C**UM itaque indubium sit, eam esse humanae mentis naturam, ut directionis sit capax, et certa agendi norma indigeat, ut juxta eam actiones suas componendo, se tuto conservare, perficere, et creationis finem ad-

implere possit (§. 40), reliquum sane, ut an ea norma existat, qualis sit, et quis ejus auctor, nunc exquiramus. Vocabulorum tamen notionem, quibus necessario utendum, veluti legis, obligationis, juris, officii, sicut et ea principia, quae rationem sufficientem sequentium continent, ut sunt varia actionum hominum genera, varique eorum status, ut generatim prius hoc in loco exponamus, ipsa ordinis ratio expostulat.

Quid norma, regula, seu lex.

§. 43. Norma, seu regula proprie dicitur Fabrorum instrumentum, quo omnia dirigunt, ac metiuntur. Per translationem tamen pro formula quadam sumitur, qua quid agendum, et quomodo, enuntiatur; denominatione ex eo sumpta, quod directam, consequenterque brevioram viam proponat, qua sine anfractu, sed recta ad propositum aliquem finem pervenire possimus.

Romani dixerunt legem, quia publice legabatur, ut omnibus esset nota, et ab omnibus custodiri posset.

Legis proprietates.

§. 44. Cum non alius normae, regulae, seu legis sit finis, quam bene agendi modum praescribere, ut hallucinationes, et errores, quibus subjecti (§. 31), evitemus, et verum bonum cognoscendo, recteque agendo, nos-

met conservemus, ac perficiamus, et destructionem, ac imperfectionem effugiamus; manifestum est, legem debere esse veri boni, et veri mali criterium, ac proinde:

1) *Veram*, principium scilicet in notione veri boni habentem:

2) *Certum*, bonum praecipiendo, et malum vetando, quod, iudicio recte instituto, fini, quem intendimus, conveniens disconvenienseve esse, recto necessarioque ordine concludatur:

3) *Perspiciam*, stilo nempe brevi, claro, et omni ambiguitate destituto conceptam, ut tam a doctis, quam indoctis aequae intelligi possit:

4) *Sufficienter promulgatam*, ut legislatoris voluntas sciri, intelligique possit, et quid agendum, vel non agendum, omnibus sit notum:

5) *Obligatoriam*, consecutaria scilicet iam bona, iam mala, praemia nimirum, aut poenas actionibus connectentem, ut momentis, sive motivis inserviant (§. 15), voluntatem hominis ad se inclinandum, aut declinandum stimulantibus;

6) Ac proinde duas habere partes, *decretum* scilicet, seu edictum, quod *materiale* legis dicunt, quo quid agendum, vel non agendum enuntiatur; et *sanctionem*, quod legis *formale*, in qua consecutaria, tamquam motiva ad agendum, vel non agendum sti-

mulantia, cum factis connexa determinantur, quae, si bona, praemia; si mala, poenae denominantur:

7) Ab eo *latam*, aut *propositam*, qui bonum, aut malum aliquod actionibus connectendi jure gaudeat.

Quis leges ferre possit.

§. 45. Ut autem quilibet leges ferre, seu poenas, aut praemia aliorum actionibus connectere jure possit, necessarium omnino; 1) ut justam causam habeat obsequium ab aliis exigendi; 2) ut prudentia eminenti, et summa bonitate polleat, ut sciat, et velit perfectionem, ac felicitatem subditorum promoveri; 3) denique, ut potestate sit praeditus mala illis repraesentandi, qui obsequium denegent.

Corol. Hinc legum distinctio a consiliis amicorum, conciatorum exhortationibus, minis latronum, cet.; nullum enim dominationis jus habent, ut sui similes, et aequales ad aliquid agendum, vel faciendum adstringere possint.

Schol. In naturali statu, cum omnino aequalia sint jura hominum, et quo jure unus alteri, ut aliquid faceret, vel non faceret, imperare vellet, eodem huic vicissim illius actiones posset moderari, necessarium etiam, ut pactum aliquod praecedat, quo $\tau\delta$ suum unius in $\tau\delta$ suum alterius transferatur, et ita primaeva, ac naturalis hominis libertas, ac independentia limitetur.

Omne igitur imperium origine sua in pacto hominum, et Naturae lege, seu Dei voluntate rationem sufficientem habet. A Deo namque nobis tributa ratio, et lex, quae ordinem servandum praescribit, et orta collisione, qualis in statu segrege, et anarchico, civilem ineundam societatem, et imperium stabilendum dictavit. Merito nos docuit APOSTOL. *non esse potestatem nisi a Deo.* EPIST. AD ROM., CAP. XIII.

Legum vis , et auctoritas.

§. 46. Ea autem vis , et auctoritas legum est , ut nos veluti vinculis , et catenis ligent , ut eo , non vero opposito , vel alio modo , quam quod a lege praescriptus , agere ~~debeamus~~ *debeamus* ; sunt enim bona , aut mala repraesentata , vincula moralia , quae nos obligant ad certo quodam modo agendum , si bonum adipisci , et malum repraesentatum effugere velimus.

Obligatio physica.

§. 47. Obligare generatim dicitur , quodlibet ens vinculis adeo fortiter devincire , ut , nisi ad modum , quo ligatum , se movere non valeat.

In ejusmodi actu adest , 1) vis ligans : 2) vis ligata : 3) nexus constrictio : 4) certa positio : et 5) necessitas vi ligatae imposita ad metam , modumque illum haerendi , quo ligata.

Activa , et passiva.

48. Actus itaque , quo ens circumligatur , et quem vis ligans exercet , dicitur *obligatio activa* ; necessitas , qua manet vis ligata non aliter se movendi , quam ad modum , quo ligatur , *obligatio passiva* nominatur ; et modus , secundum quem vis ligata moveri debet , *norma* , seu regula adpellatur.

§. 49. Unde , posita obligatione activa , ponitur passiva , poniturque regula , seu lex ,

et vicissim ; consequenterque nulla obligatio passiva sine activa , et sine lege ; neque lex sine legislatore , seu sine obligatione activa .

Obligatio moralis.

§. 50. Eadem , quae de obligatione physica , de morali etiam dicuntur. Repraesentatio namque boni , aut mali , et ejus cum actione copulatio , sunt vincula moralia , quibus homo ad appetendum , vel aversandum , et ad agendum , vel non agendum obligatur , consequenterque *obligationem activam* constituunt ; necessitas , qua homo constituitur ad agendum , vel non agendum juxta formam , a vi obligante , seu a lege praescriptam , *obligatio passiva* est ; et modus praescriptus , seu quem nobis ratio suggerit , ut voluntatem vis obligantis adimpleamus , *lex*.

§. 51. Moralem itaque *obligationem activam* dicemus veri boni , aut veri mali cum actione copulationem : *passivam* , necessitatem actiones nostras liberas obligationi morali activae , seu legi conformandi : *legem* autem , propositionem moraliter obligantem , seu bonum , aut malum , quod ex actione sequitur , enuntiantem , ut ex ejus repraesentatione , veluti vinculis ligati , ad agendum , vel non agendum nosmet determinemus.

Jus , et Officium.

§. 52. Cum , posita lege , seu obligatione

activa, ponatur etiam obligatio passiva (§.49), seu necessitas faciendi quod a lege praecipitur, et omittendi quod ab ea prohibetur; manifestum, ad illos peragendos actus nos teneri, qui obligationi, seu legi implendae necessarii. Hanc agendi facultatem *Jus* dicimus; et hujus juris exercitium, seu actionem, quam ad implendam legem fecerimus, *Officium*.

Adeo affinia, seu potius inseparabilia, sunt ea vocabula *Lex*, *Obligatio*, *Jus*, et *Officium*, ut *correlata* ideo dicantur, et, quod de uno, de alio etiam affirmetur. Equidem uno posito, cetera necessario ponuntur: ex lege enim nascitur obligatio, et ex ea jus, ac ex eo officium; sicut et obligatio respectu nostri, agendi quod bonum, et conveniens; et respectu aliorum, minime in juris nostri exercitio nos turbandi, aut laedendi; aliter enim frustratum, ac inutile jus nostrum.

Schol. Vocabulum jus *πολιτικόν* est, et variis notionibus obnoxium; sumitur enim; 1) et proprie, pro eo, quod *directum*, seu rectum est, metaphora a linea directa, seu recta deducta, ad denotandum jure agere idem esse, ac via recta, breviori, ac faciliori ad finem, qui praecoptatur, contendere; 2) sumitur consequenter pro eo, quod *bonum et conveniens*; ac proinde 3) pro lege etiam; 4) pro *facultate morali agendi*, id est, potentia agendi non physica tantum, sed ratione probata; 5) pro *complexu legum determinati cujusdam generis*; et denique 6) pro *legum prudentia*, seu scientia, et habitu actiones nostras legibus conformandi, et leges obvenientibus speciebus applicandi.

Quando legibus quis obtemperare, vel eas violare dicatur.

§. 53. Qui convenientiam actionis cum lege pro fine habet, is legem custodit. Adesse tamen debet viva legum cognitio, conatus efficax ad eas implendas; dein aptiora ad id media eligenda; removenda impedimenta, et occasio captanda.

§. 54. Contra violat legem, seu peccat, qui id facit, quod vetitum, aut, quod præceptum est, omittit, sive ob ignorantiam vincibilem, sive ob defectum voluntatis efficaciæ; qui remedia implendæ legis negligit; qui non tollit impedimenta, et qui aptam occasionem non arripit, vel plane adversam investigat.

Legis subjectum, et objectum.

§. 55. Cum itaque leges minime adimplentur, quin prius earum viva obtineatur cognitio, aptiora media ad eas implendas eligantur, impedimenta removeantur, et occasio captetur (§. 53); evidens solum homines, et inter eos qui ratione, ac libertate poleant, legibus dici posse subjectos; et consequenter illos etiam solum hominum actus, qui morales, seu liberi dicuntur, principium scilicet in ratione habentes, possibles, et subjective contingentes (§. 18.), non verò necessitati alicui, internæ, aut externæ, obnoxii.

Schol. Cum Romani Jurisconsulti Jus Naturae dixerunt *quod natura omnia animalia docuit*, non quidem nos docere voluerunt, animalia irrationalia legibus Naturae moralibus etiam subjecta esse; tum enim Jus Naturae proprie descripserunt, cum illud nominavere *quod ratio inter omnes homines constituit*; sed instinctus, et propensiones esse, in Natura ipsa principium habentur, et hominibus, ac animalibus ceteris communes.

Legum distinctio ratione legislatoris.

§. 56. Distingui leges possunt, 1) ratione legislatoris in *divinas*, et *humanas*; *divinae* autem in *naturales*, et *positivas*. Dicuntur *divinae naturales*, quae DEUM auctorem habent, et principium ac rationem sufficientem non modo in ejus voluntate, sed in ipsa etiam essentia, naturaque hominum, ac proinde rationis ope cognoscere homo potest: *divinae positivas*, quae DEUM auctorem habent, sed principium, ac rationem sufficientem in ejus sola voluntate, et praevia tantum promulgatione cognoscuntur. Tales sunt, quas DEUS Moysi, et ceteris Patriarchis revelavit, et quas Servator, et Dominus Noster JESUS CHRISTUS discipulos suos edocuit, et per universum orbem omnes gentes edocere jussit.

Ad *humanas* quod attinet, eae principium in hominum voluntate habent, et sufficienti promulgatione tantum dignoscuntur. Tot autem denominationes sortiuntur, quot legislatores fuerint, aut hominum societates, ad quas spectent. Hinc leges Ecclesiasticae, et Civiles; Lusitanae; Anglicae; Hispanicae; cet.

Ratione subjecti, materiae, et formae.

§. 57. Distinguuntur etiam 2) ratione subjecti in *universales*, *particulares*, et *singulares*: 3) ratione materiae in tot species, quot objecta, super quibus versentur, ex. gr. leges circa agriculturam, commercium, artes, et opificia, navigationem, militiam, cet.; et 4) ratione formae decreti, et sanctionis in *affirmativas*, et *negativas*, seu imperantes, et prohibentes; in *permittentes*; et in *invitantes*, et *cogentes*, seu praemiantes, et punientes.

De legibus permissivis.

§. 58. Quaeri solet, an sint leges permissivae, seu an verae dici debeant leges, quae nihil praecipiunt, neque prohibent, sed facultatem moralem agendi, vel non agendi, et modo, quo sibi placeat, cuique liberam relinquunt. Veras quidem non esse leges ex eo patet, quia nulla lex sine obligatione activa (§. 49); in usu tamen ita dici positum, quia omnes hominum actiones tacitae, et generali sanctioni subjectae sunt, si naturali libertate in aliorum damnum homo abutatur, aut alterum juro suo uti impediat.

Non improprie tamen permissivae leges dicentur, quae aliquid disjunctive, ac indeterminate praescribant; permissum enim erit cuique hanc, vel illam actionem eligere, dummodo praescriptum legis adimpleat.

Quando legis obligatio cesset.

§. 59. Cessat generatim legis obligatio, cum motivorum cum actione nexus omnino desinit, quod plerumque evenit cum status hominis mutatur; qui enim pater, maritus, imperans, subditus, ad quaedam tenetur, ad quae mutato statu minime adstringitur: speciatim vero, et de legibus positivis loquendo, cum legislator legem suam abrogat, vel derogat (a), totam scilicet, aut ejus partem, nullum amplius effectum habere declarando; vel etiam cum dispensationem, seu relaxationem obligationis alicui justa de causa impertiat.

(a) Cum apud Romanos leges constituerentur in Comitibus, rogatione Magistratus; hinc vocabula *abrogatio*, cum prorsus tollebantur; *derogatio*, cum pars; *obrogatio*, cum aliquid mutabatur; et *subrogatio*, cum adjiciebatur.

Legum collisio, et quid in collisionis statu faciendum.

§. 60. Accidit saepenumero, ut duae leges nec mutatae, nec contrariae, casu tamen, et eventu particulari ita inter se discrepent, ut ambas adimplere sit impossibile.

In ejusmodi itaque statu, qui legum *collisio* dicitur, non aliud superest medium, quam ad *exceptionem* recurrere, quae in nobismet determinandis ad agendum uni legi convenienter, alteri vero disconvenienter propter collisionem consistit. Sic autem institui ex-

ceptio debet, ut lex fortior debiliori semper praeferatur, illa scilicet, quae maiores perfectiones involvat: dicitur namque lex nunc fortis, nunc debilis, maior, minor, composita, simplex, prout fuerit decretorum, et consecratorum quantitas, et qualitas; legis enim robur ex obligationis quantitate, ea vero ex momentorum cum actione copulatorum pondere, ac viribus aestimatur.

Jus necessitatis.

§. 61. Aliquando tamen in sum casum demittimur, ut ad ipsam exceptionem faciendam nobis desinat omnino media, vel talis oriatur officiorum inter se conflictus, ut ad implendam legem aliquod grave malum necessario nobis patiendum, ipsave amittenda vita. Tunc quidem nulla dubitatio est, necessitatem absolutam et simplicem, ac extremam non habere legem; hypotheticam vero, et non extremam, eam habere legem, ut id praeferatur semper, quod ad maiores obtinendas perfectiones valeat, ac porro ut anteponatur bonum totius bono partis, finis medio, malum minus maiori, et incertum certo.

§. 62. Illa itaque facultas moralis legem negligendi debiliorem, ut propter conflictum legi fortiori pareatur, *Jus necessitatis* vocari, juribusque stricte talibus adscribi solet.

Favor necessitatis.

§. 63. Non vero confundendum *Jus necessitatis* cum *favore necessitatis*. Dicitur *necessitatis favor* commiseratio illa, et excusatio, quam meretur in necessitate constitutus, quem a constanti proposito adimplendi legem impemosa hujusmodi necessitas dimovet, ut mitius judicetur. Inevitabilis enim in tali statu animi perturbatio, angor, et dolores, deliberandi facultatem extenuant, nullumque locum plerumque relinquunt, ut de justitia, injustitia, et actionis suscipiendae, aut omittendae recte judicari possit. Inservit autem, tam in necessitate absoluta, quam in hypothetica, extrema, et non extrema, vel ad tollendam omnem imputationem, vel ad eam minuendam, si falsam quis fecerit exceptionem.

Necessitatis notio.

§. 64. Dicitur necessitas status ille, sive positio, in qua homo collocatus legem adimplere nequit. Dupliciter considerari potest, 1) *absoluta et simplex*, cum legi parere omnino homini impossibile, sive necessitate interna, quia sit mente captus, aut paralyticus; sive externa, quia ab aliquo vi adeo insuperabili fuerit coactus; ut nec opposito, ne alio quovis modo agere possit; et 2) *hypothetica*, cum sine ullo suo periculo legem custodire nequit; quod si vitam in discrimen adducat, *neces-*

sitas extrema ; et si quodlibet aliud sit malum physicum grave , aut minus grave , *necessitas non extrema , maior , vel minor* , pro magnitudine periculi , appellatur.

Quando locum habeat necessitatis jus , et favor.

§. 65. Locum habet jus ; et necessitatis favor , non modo cum necessitas fuerit absoluta et extrema (§. 64) ; sed aliquando etiam cum nec absoluta , nec extrema ; sunt enim dolores , quae viro etiam constantissimo terrorem injiciunt , et sunt calamitates ipsa morte acerbiores.

§. 66. Non semper tamen verum , quod vulgo jactant , *necessitatem non habere legem* . Nihil ea regula , quasi si ex tripode audita esset , frequentius in ore hominum est , nihilque turpe , ac nefarium , quod necessitate non excusent.

Equidem ; si vera omnino fuisset , male quidem egissent Babylonii pueri , et religionis Martyres , qui nullo cruciatuum genere se adduci passi fuere , ut aliquantulum thuris flammæ injicerent , et impio , ac nefario sacrificio se polluerent ; et stolidus fuisset JOSEPH , et SUSANNA , qui vitae , et libertatis adire periculum , quam ille heræ , haec senum libidini servire , maluerunt ; et nemo sanus vitio verteret militi fugam , si imminente hoste , cui se resistere non posse animadverteret , stationem desereret.

Quoad leges divinas negativas.

§. 67. Distinguendae igitur leges divinae ab humanis, et leges divinae negativae ab affirmativis. Quoad leges divinas negativas, quae hominem obligant ad ea omnia omit-
tenda, quae ignominiam aliquam, aut divinae gloriae *obscuracionem* immediate involvant, nullo umquam necessitatis etiam extremae favore excusandus, qui eas violet; non enim alia ratione vitam conservare, et reliquas omnes nostras facultates custodire, et nos perficere tenemur, nisi quatenus media sunt necessaria ad finem ultimum creationis nostrae implendum, DEI scilicet gloriam manifestandam; ab eo enim ex nihilo creati, existentiam accepimus, et sine ejus voluntate, ac nutu neque conservari, neque punctum temporis existere possumus.

§. 68. Siquis itaque NERO hominem falsos deos colere, pejerare, aliudve committere jubeat, quod immediate DEI gloriae, ejusque divinis attributis repugnet; dira quaevis potius ferenda, quam quidquam cum DEI injuria conjunctum committere. Quare id omnino tenendum, totius inhonestatis nullam esse capitaliorem, quam quae contrahitur contemptu Supremi Numinis, et divinae gloriae *obscuracione*. V. MATTH. C. X. V. 32.

Quoad affirmativas.

§. 69. Quod vero ad leges divinas affirmativas attinet, cum ad illas implendas sufficienti occasione sit opus, quae quidem deficit, si nobis pereundum; et alio tempore officio nostro fungi possimus; et ipsemet SEKVATOR, et D. N. JESUS CHRISTUS docuerit, non creatum hominem propter sabbatum: manifestum est, non modo in extrema, sed in gravi etiam necessitate, et rerum discrimine, locum habere jus, et favorem necessitatis, si actionem aliquam, quae ad gloriam DEI immediate illustrandam conducet, gravi aliqua necessitate praetermittamus.

Magnopere tamen cavendum, ne falsa fiat exceptio, et ne credamus, in omnibus eventibus locum habere necessitatis favorem. Quoad igitur non extremae necessitatis collisionem illa tenenda regula: *Ex duobus malis physicis minus eligendum: Ex duobus moralibus neutrum, ni jus necessitatis adsit: Ex duobus, quorum alterum physicum, alterum morale, physicum eligendum.*

Schol. Impia, ac nefanda illa doctrina, et nequiores, ac nefandiores, ut ita dicam, qui eam tradiderunt, nullam scilicet dari umquam collisionem, in qua deserendum vitae conservationis officium; et infirmæ, aegraeque valetudinis praetextu omnes divinas, ecclesiasticas, et civiles leges percurrunt. Perimus, aut maximis calamitatibus vexamur, sed lege servata, sicut et peste, incendio, terrae motu, morbo, aliove modo evenire potest. Supremi Numinis reverendum imperium, ejusque lege custodiendae. Summa

Dei Sapiencia interna animi cogitat, occultosque animi recessus pertingit, intelligit, dimittit.

Quoad leges humanas.

§. 70. Ad leges humanas quod spectat, idem, quod de legibus divinis affirmativis, asserendum. Cum enim servando, et non destruendo homini repertae, sintque naturalium legum custodes, ac vindices; manifestum sane, cum exceptione necessitatis extremae, *regulariter* esse intelligendas. Dicimus *regulariter*, quia homines, dum se Imperio Civili subjecerunt, omnia illa in Imperium contulerunt, quae ad Civilis Societatis finem obtinendum necessaria fuissent. Quamvis itaque gratis subire mortem non teneamur, necessitatis tamen favor locum non habet, cum ejusmodi sacrificium Reipublicae salus, et conservatio exigit.

V. PUFFEND. de *J. N. et G.* L. I. C. 6. et II. C. 6. de *Off. H. et G.* L. I. C. 5. §. 18. et seq. HEINEC. de *J. N. et G.* L. I. C. 6. §. 155. et seq. DE FELICE *Leçons de D. N. et G.* Lec. 5.

C A P U T III.

DE VARIIS ACTIONUM HOMINUM GENERIBUS.

§. 71. **D**iximus (§. 55) legem obiectum eas solum esse posse actiones, quae

morales fuissent, principium scilicet in ratione habentes, possibles, subjective contingentes, et nulli necessitati internae, externaevae obnoxias. Quae igitur eae dicendae expendamus.

Quid actio, quid passio.

§. 72. Omnibus experientia propria comperitum, varios in homine fieri motus, quorum neque conscius, neque causa; et alios, quorum conscius, et causa. Illi generaliter dicuntur actus mere naturales, animales, vitales, mechanici, mere arbitrarii, *physici*, et specialiter *Passiones*: ut sunt 1) motus sanguinis, pulmonis actio, ciborum digestio, crescere, sudare, cet.; 2) affectus, seu subitaneae inclinationes animae, in quibus ea passive se gerit (§. 33); et 3) actiones a coactione, seu vi ab aliquo illata, et insuperabili, provenientes, quae nullum locum ad alio modo, vel opposito, agendum relinquunt. Isti generatim nominantur actus humani, rationales, voluntarii, liberi, *morales (a)*, et speciatim *Actiones*, quales sunt tam interni actus, qui animae tantummodo proprii, veluti cogitari, ratiocinari, appetere, aversari, cet.; quam externi, qui animae, et corporis simul proprii sunt, veluti loqui, scribere, se movere, aut stare, facere aliquid, cet.

- (a) CICERO fuit primus, qui actiones hominum in ratione, ac libertate principium habentes, *morales*, et *mores* nominavit; et *Moralem* eam Philosophiae partem, quae in actionibus hominum dirigendis versatur,

Moralium actionum principium.

§. 73. Unde cum illi solum actus, quorum homo conscius, et auctor, actiones morales dicantur (§. 72); eae autem solum esse possint, quas homo tum patruerit, cum prius de natura suae appetitionis, vel aversationis, et de ejus convenientia, aut inconvenientia certior fuerit (§. 15); et media aptiora ad praeoptatum finem obtinendum elegerit, et in usu ea ponere possit, quomodo, et quando voluerit, sibi que placuerit (§. 17); evidens, ac manifestum est, morales hominum actiones eas solum dicendas, quae in ratione, voluntate, ac libertate hominis principium habeant, ac proinde quas homo scienter, ac libenter perpetraverit.

Carol. Humanarum itaque actionum *moralitas* in consentiente usu, quem fecerit agens, rationis ac libertatis posita est; et ideo eo maior, aut minor erit actionum moralitas, quo graviora momenta agendi, vel non agendi, perspexerit, et plures agendi modos in sua potestate habuerit.

Designatur etiam actionum *moralitas* per earum bonitatem moralem (§. 89 et 93).

Actionum moralium distinctio in possibles, impossibles, et necessarias.

§. 74. Cum vero, quotquot possible sunt, neque omnia, neque omnes homines

peragere queant (§. 18), hinc necessaria illa, pro moralitatis gradu computando, et imputationis iudicio recte instituendo, actionum humanarum distinctio in *possibiles*, *impossibiles*, et *necessarias*.

§. 75. *Actiones possibiles*, seu contingentes generatim dicimus, quae viribus nostris tam physicis, corporis scilicet; quam moralibus, rationi nempe, vel legibus haud repugnant: speciatim vero, quae ita ratione agentis subjective contingentes sunt (§. 18), ut hoc, vel illa modo, vel opposito etiam facere possit.

§. 76. *Impossibiles*, quae omnem omnino tam physicam, quam moralem contingentiam excludunt.

§. 77. *Necessariae*, quae respectu nostri nec opposito, nec alio modo fieri possunt.

Impossibiles, et necessariae in absolute tales, vel hypothetice tantum.

§. 78. Tam impossibiles, quam necessariae vel *absolute et simpliciter* sunt tales, vel *hypothetice tantum*. Illae dicuntur, quae omnem omnino contingentiam excludunt, et eas alio modo facere, aut opposito, nobis impossibile.

§. 79. Principium habet ea necessitas, et impossibilitas, 1) in ipso homine, ex. gr. si infans, mentecaptus, caecus, surdus, mutus, mancus, claudus, aut paralyticus, vel

membrorum defectu laboret ; in ejusmodi enim statu impossibile omnino fari , ratio- cinari , videre , audire , loqui , aut se mo- vere , vel aliquid facere , aliove modo , quo eis subjective contingens : et 2) extra homi- nem , ex. gr. siquis a latronibus obsessus , et vi insuperabili , et irrevocabili commina- tione vitam amittendi , coactus fuerit pecu- niam dare ; vel hoc , aut illud facere.

§. 80. *Impossibiles* autem , et *necessariae hypothetice* illae denominantur , quae quidem viribus nostris , generaliter loquendo , haud repugnant , sed in speciali tantummodo ali- quo eventu , aut hypothesi ; ratione scilicet alicujus impedimenti temporarii , ex. gr. igno- rantiae , morbi sanabilis , aut coactionis ali- cujus superabilis , vi cujus , vel ad evitandum aliquod gravius malum , aut aliquod bonum adipiscendum , vel non agere , vel non alio modo agere , possumus. Tale est , quod accidit ab aliquibus sceleratis obsesso , aliquod grave malum irrevocabili comminatione , si hoc vel illud non fecerit , minitantibus.

Actiones morales voluntariae , ultroneae , aut plane liberae ; et involuntariae , coactae , aut invitae.

§. 81. Pro moralitatis itaque , et imputa- tionis computandis gradibus , considerandae etiam morales actiones hominum , ut abso- lute *voluntariae , liberae , aut ultroneae ; et*

ut *involuntariae*, *coactae*, aut *invitae*: quamvis enim voluntas coacta, ut aiebant Stoici, semper sit voluntas, inevitabilis tamen in ejusmodi eventu animi perturbatio, et angor, favorem necessitatis meretur, si non ad plenam excusationem, et tollendum omnem reatum (*a*), si exceptio secundum legem non instituitur (§. 60), saltem ad moralitatem, imputationemque minuendam (§. 63).

(*a*) *Reatum* dicimus quodlibet superabile intellectus, ac voluntatis vitium. Quod in intellectu versatur, *culpa* proprie dicitur; quod in voluntate, *dolus* simpliciter, seu *dolus malus*.

§. 82. *Voluntarias* igitur, ac *ultroneas* aut plane *liberas* actiones dicimus, quae extra cujuslibet necessitatis statum; *involuntarias* autem, *coactas*, et *invitas*, quae in alicujus necessitatis statu patratae fuerint (§. 64).

§. 83. Tot autem *invitarum* actionum, sicut et *omissionum*, species considerari possunt, quot principia, a quibus necessitas proveniat. Hinc *invitae a*) ob necessitatem internam, consequenterque ob quodlibet impedimentum, aut defectum moralem, aut physicum; et *b*) *invitae* ob necessitatem externam, seu ob *coactionem*, aut eventum aliquem fortuitum (§. 79 et 80).

Ideo autem *invitae* dicuntur, quod etsi homo actionis suae sit auctor, et eligat, et agat prout sibi placeat; pleno tamen libertatis suae usu privatus erat, et necessitate

ductus illud elegit, quod extra hujusmodi statum certe quidem non eligeret.

Schol. Sunt qui ex interna, externave necessitate, in qua aliquando constitutus homo invenitur, adversus humanam libertatem argumentum aliquod deduci posse credunt. Nihil aliud tamen ex ejusmodi hypothesibus sequitur, quam quod accidere aliquando possit, ut actiones aliquae respectu virium nostrarum sint impossibiles, et aliquae necessariae; seu quod aliquando libertatis nostrae usus privari nos possimus. Cum enim anima non sit ens aliquod corporeum, quod tangi, contractarive possit, et ea sit ejus natura, et indoles, ut sine ratione sufficienti ad appetendum, vel aversandum, ad agendum, vel non agendum non inclinetur (§. 14); evidens, mala physica neque animam tangere, nec efficere posse, ut pro bono habeamus, quod certo malum esse scimus, aut contra. Coactio, et dolores voluntatem movere possunt, seu efficere, ut aliis motivis excitetur anima ad agendum quod nolēbat, vel non agendum quod volebat, nunquam vero ut pro bono habeat, quod malum certo scit. Qui ex. gr. in patibulum rapitur, et pedem movet, eoque ascendit; vel qui a latronibus obsessus, et malum minitantibus, pecuniam dat, hoc quidem faciunt, vel quia oppositum impossibile, vel quia magis conveniens ad maius malum vitandum eis videtur; non vero quia ille patibulum amet, et iste sibi persuadeat rem esse bonam pecunia sua spoliari. Exstat itaque libertas, et solum ejus usus impeditus manet.

Alia actionum distinctio a lege deducta in moraliter possibiles, impossibiles, cet.

§. 84. Morales actiones hominum sub relatione ad eorum arbitrium, et libertatem consideravimus; praecipua tamen earum distinctio, quae imputationis fundamentum, a lege deducitur.

Cum itaque leges arbitrium, libertatemque hominum moderentur, non improprie, ratione hujusce limitationis, dicuntur

etiam actiones nostrae a) *moraliter possibles*, seu *licitae*; b) *moraliter impossibiles*, seu *illicitae*; et c) *moraliter necessariae*, seu *debitae*, et eae, d) *absolute tales*, vel e) *hypothetice tantum*.

§. 85. *Moraliter possibles* generatim dicuntur, quae legibus haud repugnant; speciatim vero quae contingentes, licitaeque sunt; nimirum, quae nec praeceptae inveniuntur, nec prohibitae, sed naturali hominum libertati, seu *facultati morali* (a), relictae.

(a) Dicitur *facultas moralis*, ut a potentia physica distinguatur, et animadvertamus libertatem licentiam non esse, sed arbitrium morale, a ratione scilicet moderatum (§. 22).

§. 86. *Moraliter impossibiles*, et *illicitae*, quae, etsi viribus nostris physicis haud repugnent; legibus tamen, a quibus prohibentur, sunt repugnantes.

§. 87. *Moraliter necessariae*, ac *debitae*, quae a legibus praeceptae exstant, ut eo, et non alio modo, nec opposito actiones nostras dirigamus.

§. 88. *Moraliter impossibiles*, et *necessariae absolute tales*, quae nullo in eventu exceptionem admittunt (§. 67); *hypothetice*, quae aliquando eam non respuunt (§. 69).

In bonas, et malas.

§. 89. Ratione autem convenientiae, aut disconvenientiae cum lege denominantur etiam

morales hominum actiones *bonae*, sive *justae*, *licitae*; et *malae*, sive *injustae*, *illicitae*.

Cur bonae?

§. 90. *Bonae* autem dicuntur, quae legi, et juri convenientes sunt (unde legitimae, licitae, justae); quia, cum jus sit quod bonum, quod conveniens (§. 52 *Schol.*); et bonum quod nos conservat, perficit, felicitatemque nostram promovet (§. 9. *Schol.*); et lex pro fine habeat bonum praescribere, et malum vetare (§. 44, 2), nullus alius sane necessario sperandus, sequendusve effectus, quam qui scopo essentiali hominis conveniat, conservationem nimirum, perfectionem, felicitatemque nostram promovens.

Cur malae?

§. 91. Eadem ratione *malae* nominantur, quae legi sunt oppositae, quia ex eis necessario, tamquam effectus a sua causa, malum aliquod sequendum, quod conservationem, perfectionem, felicitatemque nostram turbet, aut destruat; praeter illa etiam consecutaria, quae a Legislatore actionibus suae legi disconvenientibus copulata exstant. Experientia enim comprobatum, ex actionibus, quae sensu communi *malae* existimantur, necessario, et semper malos effectus sequi, ex. gr. ex incuria facultates nostras excolendi ignorantiam, errores; ex ingluvie, ebrietate, et

libidine , morbos , dolores ; ex veneno mortem ; ex fortunarum dissipatione egestatem ; ex indecentia aliorum contemptum , uno verbo , imperfectionem , infelicitatem , conscientiae morsus , afflictationes , cet. : sicut contra ex actionibus bonis conservationem , perfectionem , bonam existimationem , animi tranquillitatem , nullum metum , nullam poenam , cet.

Hinc bonitas ac malitia actionum intrinseca.

§. 92. Unde praeter bonitatem , aut malitiam actionum nostrarum ratione convenientiae , aut disconvenientiae cum lege , aliam esse insuper ipsis actionibus inhaerentem , intrinsecam , ac naturalem , tamquam consecutaria naturalia , seu praemia , et poenas , ab ipsa Natura stabilitas , luce meridiana clarius.

Alia actionum distinctio in bonas , et malas physice , aut moraliter , ratione agentis.

§. 93. Alio etiam respectu , agentis scilicet , considerari actionum nostrarum bonitas , aut malitia potest ; *physice* nimirum , aut *moraliter*. Illa principium , ac rationem sufficientem habet in motu , vi , et arbitrio , omnibus animalibus communi , quo actionem legi convenientem , aut disconvenientem homo peragit , sine animadversione ulla , aut intentione faciendi quod DEI , aut Legislatoris voluntas est. Haec in praecedenti

legis, et actionis consecratorum cognitione, et in amore virtutis, et studio sui adimplendi, aut non adimplendi muneris, aut faciendi, vel non faciendi, quod voluntas DEI, aut Legislatoris est (§. 53 et 54).

Hinc alia actionum nostrarum distinctio in bonas, aut malas *physice*, et in bonas, aut malas *moraliter*, prout *physice* tantum, aut *physice* et *moraliter* simul legi convenientes, aut disconvenientes fuerint.

§. 94. Quae autem tam *physice*, quam *moraliter* bonae fuerint, *rectae*; et quae bonae tantum *physice*, *minus rectae* dicuntur.

Corol. Actionum itaque humanarum *bonitas* sub triplici respectu considerari potest; 1) ratione convenientiae cum lege (§. 89); 2) ratione consecratorum eis inhaerentium (§. 90 et 91); et 3) ratione earum moralitatis (§. 93 et §. 73 *Corollar.*)

Utraque bonitas ac malitia ab altera separari potest.

§. 95. Utraque haec bonitas ac malitia, tam *physica*, quam *moralis*, non ita conjuncta, ut una ab altera separari nequeat; fieri enim potest, ut quaelibet actio sit *physice* bona, *moraliter* autem mala, et contra. Qui ex. gr. *Fasonem* interfecturus gladio vomerem ejus aperuit, quam Medici sanare non poterant, bonum quidem *physice* fecit, bene tamen *moraliter* non egit.

De actionibus physice tantum bonis.

§. 96. Nuda igitur *externarum actionum*

cum lege conformatio, intellectus, ac voluntatis consentiente usu destituta, sicut et quae actiones casu tantum, aut ab aliquo, rationis usu destituto peractae, legi fuerint conformes, neque vitii, neque virtutis nomen merentur.

§. 97. Ideo autem bonae appellantur, quae tantummodo physice legi conveniunt, et minus rectas dicimus; 1) quia aliorum mentem introspicere non possumus; et 2) quia nullus homo natura vitiosus, sed accedente facto aliquo, ac proinde jure connato bonae existimationis gaudet, ut bonus, ac justus amplissima significatione judicetur.

Schol. Ad similitudinem bonitatis distinctionis (§. 93) *Justitia* etiam in *physicam*, seu *externam*, et *actionis*; et in *moralen*, seu *internam*, et *hominis* distingui solet. Externa erat illa Pharisei, qui nec raptorem, nec adulterum, nec publicanum se esse gloriabatur, largitionesque suas, jejunia, et voluntarias afflictationes corporis narrabat, omnia tamen non ex animo obsequendi legi, sed ex fastu, et opinione meriti, tamquam ex fonte promanabant.

De physice bonis, sed moraliter malis.

§. 98. Contra vero, si moraliter malae; et praeter intentionem tamen physice bonae fuerint. Non enim in arbitrio, aut motu physico, sed in cognitione, et intentione actionum moralitas collocanda. Non immerito Carthaginensis Senatus in crucem tolli Imperatores jubebat, qui etsi prospero eventu, pravo tamen consilio rem gessissent.

De malis physice tantum.

§. 99. Idem etiam de physica tantum nostrarum actionum cum lege disconvenientia asserendum, principium scilicet in incuria, indiligentiaque nostra habente; est namque officium nostrum nihil temere, imprudenter, aut negligenter facere, et prae oculis habere semper, 1) ideo legem stabiliri, ut secundum eam actiones nostras componamus, et in id omnem operam, diligentiamque adhibeamus: et 2) Naturam, veluti inexorabilis ille creditor, qui nihil praetermittere desinit, quin in tabulas excepti, et expensi referat, de minimis etiam, et culpa solum commissis, aut omissis, rationem valde scrupulose exigere; et aeternam, ac immutabilem praeceptorum suorum sanctionem, actionibus nostris connexam, irrevocabiliter exsequi.

De actionibus indifferentibus.

§. 100. Disputari solet, an aliquae sint morales hominum actiones, quae judicari debeant indifferentes, nulla scilicet bonitate, aut malitia; aut aequali praeditae, ideoque a legum sanctione immunes. Indifferentes vero solum eae dici possunt, quae ad quemlibet obtinendum finem aequae sint idoneae, consequenterque indifferens sit hanc, vel illam eligere, in usuve ponere; plura enim dari possunt media ad eundem obtinendum finem aequae

CAP. III. DE VAR. ACT. HUM. GEN. 61

apta, et idonea. Posita vero actione qualibet morali, scienter scilicet, et libenter peracta, necessario ex ea, tamquam effectus ex sua causa, 1) bonum, malumve aliquod sequendum (§. 91); et 2) consecutaria a Legislatore cum ea copulata ei necessario applicanda; inter convenientiam enim, disconvenientiamve cum lege ullum dari medium repugnat.

Quod autem aiunt esse actiones liberas, quarum consecutaria ab ente finito praevideri non semper possint, argumento tantummodo inservit, ut aut ejus minuat impunitio, si omnem sibi possibilem diligentiam non adhibuit, vel ut nulla impunitio locum habeat, si accuratior investigatio ei fuisset impossibilis.

Vid. PUFFENDORF. de *J. N. et G. L. I. C.* 5 et 7.
MEIN. de *J. N. et G. L.* 1. Cap. 2. DE FELIC. *Lef.* 6.

CAPUT IV.

DE MORALI HOMINUM STATU.

Status hominis quid?

§. 101. **Q**Uaecumque sit hominis actio, mutationem aliquam, modo bonam, modo malam in eo necessario producit, quae ejus statum necessario etiam determinat. Status autem generatim dicitur complexus determinationum, (praedicatorum, aut qualitatum, perfectionum) quae de ente aliquo, ut in eo existen-

tes, et illud limitantes, enuntiari possunt: *Complexus determinationum, quae de homine, ut in eo existentes, eumque limitantes, affirmari possunt.*

Physicus, et moralis.

§. 102. Dupliciter considerari potest hominum status, prout nempe ad determinationes 1) corpus, aut 2) animam limitantes referatur. Ille *physicus*; iste *moralis* dicitur.

Perfectus, et imperfectus.

§. 103. Uterque vel 1) *perfectus*, vel 2) *imperfectus* esse potest, prout membris omnibus, iisque ad nativas functiones peragendas aptis, et rationis suae usu praeditus, et compos sit homo, vel non.

Naturalis absolutus, aut connatus; et adventitius, seu hypotheticus.

§. 104. Consideratur etiam uterque 3) *ut naturalis connatus*, ut aiunt, *originarius, primigenius, absolutus*; et 4) *ut naturalis adventitius, adscititius, superveniens, hypotheticus.*

Sub illo comprehenduntur eae omnes determinationes, quae principium, et rationem sufficientem in Natura ipsa habent, Naturaeque opus omnino sunt, ex. gr. corpus habere robustum, sanum, formosum, et recte formatum; aut debile, morbosum, deforme, et monstruosum: et ingenium ha-

bere perspicax, et ad omnia aptum; vel hebes, ineptissimum, vel plane nullum.

Sub hypothetico autem, quae principium in aliquo ipsius hominis facto habeant. Potest enim homo vitales sui corporis vires temperantia, medicamentis, mediisque aliis juvare, et perficere; vel ingluvie, nimio labore, ferro, aut venenis deteriores reddere, et conservationem, existentiamque suam in periculum adducere; et potest animae suae facultates excolere, et virtutes tam intellectuales, quam morales acquirere; vel nullam operam, diligentiamque nullam in earum cultura ponere, et consequenter in dies magis eas sua culpa imperfectiores reddere.

Alia moralis hominum status notio.

§. 105. Ea status moralis hominum descriptio, generalis est, ad viresque animae, et corporis ab ipsa Natura, Deo, hominis, et rerum omnium Creatore, limitatas spectans. Alius est, et praecipuus moralis hominum status, per quem homines quam maxime distinguuntur, et de quo verba facere praecipuum quoque munus nostrum. Refertur iste ad actiones hominum liberatas a lege limitatas, et ad mutationes ab eis, tamquam effectus a sua causa, provenientes, veluti obligationes, jura, officia, praemia, poenas, cet., et dicitur *complexus obligationum, et jurium, quibus homines actu sunt instructi.*

*prout conditio, aut positio, in qua collocati
exstent; aliae namque sunt obligationes, et
jura patrisfamilias, Imperantis, magistra-
tus, ex. gr., et alia filiifamilias, subditi, ci-
vis cujuslibet, cet.*

Corol. Hinc alia status acceptio, pro positione scilicet, qua
homo collocatus inveniatur.

*Status moralis naturalis primaevus, et abso-
lutus; adventitius, et hypotheticus.*

§. 106. Et cum homo, in quacumque posi-
tione inveniatur, vel ab ipsa Natura positus
esse possit, veluti in primaevo illo aequali-
tatis, et libertatis, seu societatis universa-
lis, per totum orbem sparsae; vel a se ipso,
facto suo aliquo, ut civilis societatis, conju-
galis, cujuslibetque alterius: hinc hujusce
moralis status distinctio in *naturalem* etiam
primaevum, et *absolutum*; et in *naturalem (a)*
adventitium, et *hypotheticum*.

(a) Etiam statum hypotheticum naturalem nominamus,
quodvis enim sit hominis status, ejus essentiae, ac naturae
semper conveniens esse debet.

*Qualis fuisset naturalis, ac primaevus homi-
num status.*

§. 107. Qualis vero fuisset primaevus ho-
minum status, sive in quo a Natura, post-
quam a Paradiso ADAMUS fuit expulsus,
homines collocati fuissent, et consequenter
quae obligationes, quae jura, et officia pri-

nis hominum familiis tribuenda sint, non una omnium sententia est.

Illorum sententia, qui primaevos homines segreges, et a feris parum discrepantes depingunt.

§. 108. Sunt qui cum LUCRETIO, CICERONE, HORATIO, et aliis, quos refert PUFFENDORFIUS, primaevos homines a feris parum discrepantes depingunt, earum ritu per montes, et silvas dispersos, nulla societate, nulloque juris vinculo colligatos, se invicem infestantes, mutuis caedibus concidentibus, furtis, rapinis, omnique flagitiorum generi veluti ex officio deditos, tantum habentes, quantum manu, ac viribus per vulnera, et caedem eripere, retinereque possent, feroces omnino, immanitateque barbaros.

§. 109. Quantum vero a veritate aberrant, satis sit animadvertere, 1) quod omnino sit impossibile hominem solum vivere, et extra sui similium societatem, et sine illorum auxilio se conservare (§. 26): 2) quod, cum ex ADAMO, et EVA mortales omnes originem suam duxissent, nihil rationi magis sit congruum, quam ADAMI filios, ac nepotes, qui ex eis nascerentur, sub patria potestate, et imperio familiari vixisse, et sibi invicem fuisse amicos, non vulgari quidem amicitia, quae ex similitudine naturae provenit, sed qualem communis stirps, et sanguis cum blando fere

semper affectu inter propiores conciliat :
 3) quod repugnans omnino sit , homines ad
 socialiter vivendum DEUM creasse , et in-
 terim veluti instinctu quodam , aut naturali
 propensione dotasse ad sui similes , et sine
 quorum mutuo auxilio se conservare nequeunt ,
 abhorrendos , ac se invicem proterendos.

*Illorum , qui eos , in tribus et familias consocia-
 tos , per orbem dispersos , et errantes exhibent.*

§. 110. Alii animadvertentes , quam im-
 possibile omnino fuisset , hominem solum ;
 et extra societatem vivere , primaevos homi-
 nes baculo innixos , per orbem sparsos et
 errantes depingunt ; uxores , et liberos secum
 in plaustris vehentes , quibus pro domibus
 utebantur ; sine sede certa , domo , tectove
 aliquo ; armenta , et pecora secum pascentes ;
 omnimoda simplicitate viventes ; cibum tan-
 tummodo , et potum quaerentes ; contenti fa-
 mem expellere , et sitim restinguere , et cor-
 pus contra injurias aeris munire ; vitae neces-
 sitatibus tantummodo prospicientes ; nullam
 justitiam , aut injustitiam , nec boni , aut mali no-
 tionem habentes , nisi sensitivam , ex volu-
 ptate , aut dolore proveniente ; nullas scien-
 tias , aut artes excolentes , curamque nullam ,
 aut diligentiam in animae facultatibus perfi-
 ciendis adhibentes ; donec tandem vel neces-
 sitate urgente , vel loci amoenitate ducti , ba-
 culo in ligonem mutato , hac vel illa plaga

considerare , ac remanere , sedemque fixam ponere stauerunt : et dein , ut adversus frequentes aliorum incursiones , et increscentem injuriarum vim se tueri possent , Civilem Societatem constituerunt , in qua demum , tranquillam , placidamque vitam traduentes , artes , et scientias invenerunt , et agresti relicta vita , in moribus humanis imbui , ad humanitatemque informari coeperunt , inveteratamque illam barbariem , et agrestem inconcinnamque asperitatem ex moribus delere.

§. III. Equidem probabile videtur , quod postquam multiplicari homines coepissent , et non amplius in una , eademque domo se conservare potuissent , e paterna domo discederent , et peculiarem familiam constituerent.

Quod autem adeo misere , aut in tali simplicitate vixissent , ut de corpore tantummodo cogitassent , nullam rerum creaturarum notitiam habentes , nullas scientias , aut artes colentes , incredibile omnino est. Praeterquam enim quod ipsius hominis naturae , tot praestantibus facultatibus ornati , et ipsius Creatoris bonitati ita suam creaturam describere , repugnet , ex ipsius MOYSIS historia constat (*Gen. C. IV.*) ABEL fuisse pastorem ovium , et CAIN agricolam , et de fructibus terrae munera Domino obtulisse , ABEL autem de primogenitis gregis sui , et de adipibus eorum ; JABEL , filium LAMECHI , fuisse patrem habitantium in tentoriis , atque pastorum ; JUBAL canentium cithara , et

organo ; TUBALCAIN malleatorem , et fabrum in cuncta opera aeris , et ferri ; et ABRAHAM , et LOT valde divites fuisse in possessione auri , et argenti ; et substantiam eorum fuisse multam (C. XIII.) : quae quidem luculentissimo sunt argumento , nec ignotam primaevis hominibus fuisse DEI cognitionem et cultum , nec ignotam agriculturam , pecuariam , architecturam , musicam , ceterasque artes.

Illorum , qui nullum unquam extitisse tempus asserunt , in quo homines extra civilem societatem viverent.

§. 112. Contendunt alii , nullum unquam extitisse naturalem , quem dicunt , ac primae-vum statum , sed cum primo homine , proto-paren-te nostro , statim imperium civile in-coepisse , et ADAMUM fuisse Regem , et Im-perantem , non modo familiae suae , sed omnium hominum a filiis , nepotibusque suis descendentium ; eoque mortuo , in imperio ei successisse filium majorem natu , non modo aetatis , et praerogativae inter fratres jure , sed majoris prudentiae , fortitudinis , pluriumque virium ratione , et ita deinceps ; donec tandem praepotentiores alii , aut remotiores rebellio-nem fecerunt , et ita separatas societates , se-parataque regna constituerunt.

Argumentum deducunt ex historia MOY-SIS , qui (*Gen. C. IV. 17.*) narrat , CAIN ci-vitatem condidisse , cui nomen filii sui HE-

NOEH indidit ; et (C. VI.) inter diluvii causas homines gigantes , et potentes refert , qui sine subjectis concipi non possunt ; et (C. X.) mundum inter se divisisse NOEMI filios secundum familias , et linguas suas ; et (C. XIII.) diversarum rerum publicarum mentionem facit.

Probabilior sententia,

§. 113. Equidem nullum unquam existisse tempus , in quo homines sine ulla dependentia , sineque vinculo aliquo colligati vixissent , cogitari minime potest ; impossibile namque , multitudinem hominum sine statu conjugali , et parentali existere , ac proinde sine subjectione , et imperio.

§. 114. Illud itaque probabilius videtur : 1) quod primævi homines in societate domestica vixissent , unaquaque familia , seu tribu , patrifamilias , veluti capiti , et principi familie subjecta ; qui leges , sine quibus nulla societas existere potest , promulgabat , præmia , ac poenas statuebat , et a subditis actionum suarum rationem petebat , et ordinem observare cogebat sine ulla cuilibet alteri familie subjectione (§. 109) : 2) fuisse eum statum aequalitatis , et libertatis , in quo omnes iisdem juribus fruebantur , et iisdem obligationibus adstringebantur , quin unus altero superior , inferiorve esset , ullusve paterfamilias , et ejus familiares alteri subessent , aut in

alteros imperium exercerent. Ipsa parentalis, et familiaris potestas, in necessitate principium habens, locum tantummodo habebat, dum liberi imbecilles erant, et nec de alimentis prospicere, nec actiones suas ad debitum finem dirigere poterant; quamprimum enim rationis usum nanciscerentur, et homines considerari, juribusque suis frui possent, aequales ac liberi omnino manebant.

Et quamvis in eo statu nulli magistratus essent, nullae positivae leges, aut poenae; illae tamen ab aeterno stabilitae exstant leges, et consecraria actionibus ab ipsa met Natura, DEO, connexae, quorum vi actiones suas regere tenebantur, DEUM colebant, de sui conservatione, ac perfectione curabant, alios non laedebant, et mutuo se amabant, et ipsa caritatis officia sibi invicem praestabant.

Unde nec belluinus, nec adeo miser fuit, et aerumnis plenus, ut imaginatur aliqui, naturalis ac primaevus hominum status; neque ea de causa, sed partim ipsa hominum malitia, et partim majoris commodi, et tranquillitatis spe, eum dereliquerunt, civilesque societates constituerunt.

V. PUFF. de J. N. et G. L. 2. C. 2., de Off. H. et C. L. 2. C. 1., HEIN. de J. N. et G. L. 2. C. 1., DE FELICE Lec. de Dr. de la N. et des G. Lec. 2.

CAPUT V.

DE LEGUM NATURAE EXISTENTIA, ET HAS
COGNOSCENDI PRINCIPIO, EARUMQUE
PROPRIETATIBUS.

§. 115. **H**isce generatim circa legum proprietates, variasque hominum actiones, diversosque ejus status expositis, superest, ut de ea lege, qua homo adeo indiget, ut juxta eam actiones suas componendo tam ultimum, quam intermedios ceteros creationis suae fines adimplere possit, sermonem instituamus.

Lex, qua homo indiget, extra eum quaerenda,

§. 116. Sunt qui duas humanarum actionum normas, seu leges, internam scilicet unam, et externam aliam, esse voluerunt; conscientiam, seu rationis praescripta, pro lege habendam contendentes. Cum tamen actionum nostrarum regula debeat esse veri boni, et veri mali criterium, et certa, vera, atque obligatoria (§. 44), nullaque esse possit lex sine obligatione activa (§. 49), nec legislator sine facultate consecutaria actionibus connectendi, eminenti insuper prudentia et summa bonitate praeditus (§. 45); ratio autem nostra nec sem-

per recta sit, sed hallucinationibus, et erroribus quamplurimis subjecta (§. 31); nec nosmet ipsos efficaci vinculorum connexionione obligare possimus; manifestum sane, ac evidens, sola ratione duce minime nos regi posse, opusque omnino nobis esse tali norma, quae externam obligationem producat, atque in Entis cujusdam voluntate, cujus imperium agnoscere teneamur, principium, ac rationem sufficientem habeat. Quae esset norma; et lex illius, qui in ignorantia, et errore, turpibus habitibus, et vitijs immersus exstaret?

§. 117. Equidem rationem a DEO accepimus, veluti magistram nostram, et divinae ejus voluntatis interpretem. Cum tamen actu docti minime nascamur (§. 11), neque bonum a malo, et verum a falso discernere possimus, nisi prius facultates nostras excolamus, ignorantiam vincamus, et errores depellamus (§. 36); manifestum sane, tum solum audienda, sequendaque rationis praescripta, cum eam cultam, experientia edoctam, et verum cognoscere, a falsoque discernere adsueta esse nobis certo constet.

§. 118. Sed quamvis tum nobilissima quidem sit obligationis species, quippe quam sapientes, et probi viri sequuntur, secundum vulgarem illam sententiam *oderunt peccare boni virtutis amore*; insufficientis tamen adhuc esset, et proprietatibus verae legis destituta; debet enim lex communis esse tam sapientibus,

quam stultis , - et tam improbis , quam bonis ; et sufficienti sanctione armata , ut quos ratio continere in officio non possit , obligatio saltem externa , seu patiendi metus efficiat , ne vaga prosiliat fraenis natura remotis . (§. 44. n. 5.)

Legis Naturae auctor solus DEUS.

§. 119. Cum itaque indubium sit extra hominem quaerendam actionum nostrarum normam , in Entis scilicet alicujus voluntate , cujus imperium agnoscamus ; nullum autem sit Ens , cujus imperium magis recognoscere tepeamur ; neque ullum aliud , quod toto generi humano leges praescribere possit , quam DEUS Opt. Max. , rerum omnium solus Creator , et Dominus , omnisque justitiae , ac bonitatis principium , et fons ; indubium quoque est , veram actionum nostrarum regulam in sola DEI voluntate positam esse.

§. 120. Cum enim Ens superius proculdubio illud dicendum , 1) a quo pendeamus , et quod justam causam habeat obsequium a nobis exigendi ; 2) quod prudentia eminenti , et bonitate polleat , seu sciat , et velit felices nos efficere ; et 3) quod insuper ea potentia sit praeditum , qua eis , qui obsequium deponent , obediendi necessitatem imponere valeat (§. 45) ; quis magis superior concipi potest , quam DEUS , a quo existentiam , et sine intermissione ulla beneficia accipimus , et sine cujus

voluntate, et nutu, nec punctum temporis existere possumus? a quo ex nihilo creata fuit anima nostra, substantia adeo mirabilis, vivens, cogitans, et sui, rerumque extra se positarum conscia? a quo creata sunt omnia quotquot exstant, et ab eo reguntur, conservantur, moventur, et in omnibus suis motibus infinitam DEI sapientiam, bonitatem, justitiam, et Creatoris sui omnipotentiam manifestant?

Ex DEI providentia, summaque ejus bonitate, ejus existentia demonstratur.

§. 121. *nostra* Ex jure igitur DEI in homines, tamquam eorum Creatoris, et Domini, et ~~nos~~ ab eo absolute dependentia, manifestum fit, neque ullum aliud superius ens esse posse, quod Sapientissimum, summe Bonum, et Omnipotens recognoscere possimus; neque ullum aliud, quod jure, ut ita dicam, humano generi leges imponere possit. DEUM autem eo suo jure usum fuisse, et re quidem vera eam adeo necessariam hominibus dedisse legem, manifestum etiam est.

Hoc satis superque testantur stabiles, et constantes mundi physici regulae, quibus adeo mirabilis structura, pulchritudo, ordoque ejus servatur, ut omnia unum perfectum, et harmonicum constituent. Testatur summa DEI Providentia, atque Bonitas, qua omnia complectitur, conservat, et regit. Incredibile

igitur, et summæ DEI Bonitati repugnans, solum hominem, omnium creatorum entium perfectiorem, ex legem reliquisse.

Ex natura hominis, et suae creationis fine.

§. 122. Et cum DEUS hominem modo, quo sibi placuit, creando, anima scilicet sapienti, et tot præstantibus dotibus ornatum, quæ tamen sine norma, et lege non modo inutiles, imo potius noxiæ futuræ essent, probe quidem sciret, miserrimam fore creaturam suam sine ejus ductu, ac regimine; sane quidem nihil nobis cogitandum superest, quam DEUM, summe Bonum, et Optimum neque voluisse, neque etiam velle potuisse (non enim vult, neque velle potest, quod summæ ejus bonitati, ac justitiæ repugnat), ens a se conditum, omnibus operibus creatis præstantius, et ad ejus manifestandam gloriam creatum, et ut veræ felicitatis particeps fuisset, deserere, ac miseriæ objicere.

Ex consecratorum cum actionibus connexione.

§. 123. Nemini ignotum est, actionem nullam hominem peragere, quæ non aliquam mutationem, veluti causa suum effectum, necessario producat, modo bonam, modo malam, prout scopo essentiali hominis, conservationi, ac perfectioni conveniens, disconveniensve fuerit (§. 91). Unde conscientiæ morsus, afflictationes, dolores, infirmitates,

paupertas, aliorum contemptus, ipsaque mors, cum male; et contra animi tranquillitas, bona valetudo, aliorum existimatio, perfectio, vita, cet., cum bene agamus. Ea autem luculentissimo argumento sunt, tot alias obligationes passivas esse, quot consecutaria cum actionibus connexa (§. 49), quae hominem ad agendum, vel non agendum adstringunt, prout bona, vel mala sibi repraesententur; est enim ea humanae animae natura, et indoles, ut objecta aliqua boni, aut mali specie appetat, aut aversetur (§. 12), et media ad illud adipiscendum, et hoc effugiendum in usu ponat (§. 17). Cum itaque posita obligatione passiva, necessario ponatur activa, et lex (§. 49); manifestum sane, ac evidens, tot alias leges dari, quot obligationes passivae: et cum ejusmodi consecutaria in ipsis actionibus nostris rationem sufficientem habeant, sintque proinde intrinseca, et naturalia, et ab ipsis actionibus inseparabilia (§. 92); et homo rationis suae ope ea omnia satis cognoscere, ac circumspicere possit (§. 9); evidens etiam naturales esse eas obligationes, et leges.

V. GROTI. *De Jur. bel. et pac.* Prolegom. §. 3. et seq.,
 CUMBERLAND *Traité des Loix naturelles* C. 5. et 6.,
 PUFFEND. *de J. N. et G. L.* 2. C. 3., DE FELICE *Leç.*
de D. N. et des G. Leç. 3. et 7.

Schol. Sunt et alia argumenta, quae ad N. legum existentiam probandam adduci solent. Qui tamen ad communem populorum persuasionem, ad ideas innatas, et ad sensum morum

alem, naturalesque propensiones provocant; idemunt, quod in quaestione est. Qui vero ab hominis proclivitate nocendi, et potentia ad existentem normam concludunt, Naturae legem negare potius, quam asserere videntur.

De principia subjectivo, et objectivo Naturae leges cognoscendi.

§. 124. Magna inter veteres Philosophos quaestio fuit de principio, quo Naturae leges cognoscere nos possimus, cum DEUS, qua Naturae auctor, voluntatem suam verbis non declarasset, nec earum ullus authenticus codex exstet. In eo consentiunt omnes, duplex hoc esse principium, *subjectivum* aliud, seu *per quod*, et *objectivum* aliud, seu *ex quo*. Quoad *subjectivum*, omnes ad unum consentiunt, rationis ope DEI voluntatem cognoscere nos posse, dummodo sit recta, exulta scilicet, experientia edocta, et recte ratiocinari adsuefacta. Ad *objectivum* vero quod attinget, quamvis etiam conveniant, debere esse propositionem quandam universalem, veram, perspicuam, et adaequatam, ex qua scilicet veluti ex fonte, tam docti, quam indocti Naturae leges haurire, ac depromere, easque solas, et non alias possint; qualis tamen ea proponenda, non una omnium sententia est.

Quale sit.

§. 125. Relictis vero diversis Philosophorum sententiis, ne animum nugis occupemus, ad ineptiasque abeamus, illud a clarissimo

DE MARTINI propositum , a finibus rerum conditarum deductum , satis sufficiens ; et adaptatum esse judicamus ; quatenus ex ipsa earum essentia , ac natura , clarissime , facilliterque potest intelligi , quidquid nobis conveniens , disconvenienseve sit , scilicet : *Actiones , quae cum finibus rerum a DEO creaturarum necessario connectuntur , a lege Naturae sunt praeceptae ; quae his repugnant , prohibitae ; quae ad eos aequè bene ducunt , ac aliae , permissae sunt.*

Est verum , ac perspicuum.

§. 126. Jam supra demonstravimus , nullum alium creationis detegi finem posse , quam DEI gloriae , ejusque infinitarum perfectionum manifestationem (§. 27) , et praeter hunc generalem , et ultimum , alium esse adhuc intermedium , et hominis proprium , conservationem scilicet , perfectionem , ac felicitatem nostram (§. 28). Cum itaque hos fines nemo negare audeat , verum quidem esse hoc a clarissimo DE MARTINI propositum principium , minime dubium. Quod autem sit etiam perspicuum , et planum , cum nihil cuique facilius , quam suae creationis finem in memoriam revocare , et , an actio ei conveniens , vel disconveniens , animadvertere , etiam nullum dubium. *Adaequatum.*

§. 127. Est etiam adaequatum , seu ex

quo leges , et officia hominum , eaque omnia , et sola , non vero alia , deducuntur. Si enim ante oculos finem ultimum creationis ponamus , DEI nempe gloriae , et ejus perfectionum manifestationem (§. 27) , facile quidem cognoscemus , ad actiones huic fini convenientes peragendas nos teneri. Cum enim sine voluntate , et nutu DEI minime existere nos possimus , imo potius in absoluta omnino ab eo dependentia maneamus (§. 120); evidens , ac manifestum est , DEUM nos amare teneri , obsequio prosequi , revereri , in eo omnem spem , fiduciamque nostram collocare , orationibus invocare , preces ad eum fundere , pro acceptis beneficiis gratias agere , hymnis , et canticis divinum ejus nomen celebrare , cet.

§. 128. Si animadvertamus , creatos nos esse , ut simus , et bene simus (§. 28) , ut ita finem ultimum adimpleamus ; interim tamen observemus , hallucinationibus , et erroribus subjectos (§. 31) , morbis , calamitatibusque plurimis , et dissolutioni tandem obnoxios (§. 41) ; necessario quidem agnoscemus , ad certa quaedam erga nos officia necessario teneri , veluti facultates nostras colere , de corporis conservatione , ac valetudine curare , res ad vitam necessarias parare , cet.

§. 129. Similiter quoque , si cogitemus , in hoc mundi theatrum nos nudos prodire , rerum omnium indigos , rationis nostrae usum ignorantes , neque edere , bibere , fari , am-

bulare, et quod bonum, quod malum scientes; ac proinde aliorum auxilio, toto vitae nostrae curriculo, infantia, juventute, et senectute indigere (§. 26); dubitare quidem minime possumus, ad quaedam erga alios officia, veluti amare, juvare, non laedere, cet., nos teneri.

§. 130. Ex supra posito igitur (§. 125) principio objectivo leges, et officia naturalia cognoscendi, sine scilicet creationis, tam ultimo, quam intermedio, omnes, et non aliae leges, et officia hominum, a Natura praescripta, deducuntur. Omnia enim in DEI cultu, philautia, et socialitate contineri, ex ipsamet etiam Sacra Scriptura constat: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* (MATTH. C. 22. v. 37.)

V. PUFFEND. *de Off. H. et Civ.* L. I. C. 3., HEINEC. *de J. N. et G.* L. I. C. 3., DE FELICE *Leq. de D. N. et des G.* Leq. 3. et 8.

De Naturae legum proprietatibus.

§. 131. Superest, ut de Naturae legum proprietatibus verba faciamus, ex quarum cognitione non parum etiam earum existentia patescit. Habent Naturae leges non modo

earum omnes proprietates, quae ceteris legibus communes, ac inhaerentes esse debent; sed alias adhuc, quae eas re quidem existere, a Deoque nobis datas, ut juxta eas actiones nostras dirigendo, finem creationis adimplere possimus, quam maximo ac luculentissimo argumento sunt.

Naturae leges sunt verae, ac certae.

§. 132. Primo itaque veras, ac certas eas esse dicimus, in veri boni scilicet notione stabilitas (§. 44. 2.), et nihil, nisi quod essentiali naturaeque hominis conveniens, aut disconveniens, praecipientes, aut vetantes (§. 44. 3.). Cum enim DEUM auctorem habeant (§. 119), ei ab omni aeternitate praesens procul dubio erat veri boni, et mali distinctio, praesentesque etiam veritates morales omnes, quae hominum naturae convenirent; nihilque aliud, quam bonum praecipere, et malum vetare, ejus summae Bonitati conveniebat.

Perpicuae.

§. 133. Et cum Naturae legum indicia in ferum creaturarum natura existent, Existentiam namque, Omniscientiam, summam Bonitatem et DEI gloriam aperte manifestant, et enarrant (§. 27), consequenterque finem, ad quem creata; manifestum sane, quemlibet hominem ex creationis fine satis cognito, debita adhibita diligentia, obligationes et of-

ficia ad illum implendum faciliter cognoscere posse (§. 126). Ad earum enim cognitionem, et custodiam, ipse sensus moralis, et naturales propensiones, ratio nostra, totaque natura nos impellit. *Inuisibilia enim DEI a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, ait APOST. Epist. ad Rom. C. I. v. 20. Sufficenter promulgatae.*

§. 134. Cum autem Naturae leges toto humano generi necessario innotescere debeant, nullusque alius eas promulgandi modus detegi possit, quam revelatione aliqua universali, aut ratione omnibus hominibus communi; revelationem vero universalem, et quam omnes omnino homines pro vera, ac divina habeant, minime existisse constet, interim tamen certum sit, ex lege vivere hominem non posse, neque minus DEI bonitati convenire, hominem miseriae, ac infelicitati expositum relinquere (§. 122); perspicuum sane fit, per solam rationem, omnibus hominibus communem, promulgatas fuisse Naturae leges, et ita sufficienter promulgatas, ut rationis ope omnibus hominibus innotescant. *Gentes, ait Apostolus, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ostendunt opus legis, scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum (a).* Et recte CICERO;

Non scripta, sed nata Lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum a Natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. (b)

(a) Ad Rom. C. II. §. 14. (b) Pro Milc. 4.

Obligatoriae, et sanctae.

§. 135. Obligatorias etiam esse Naturae leges, et sufficienti sanctione munitas, adeo ut a homine impune violari possint, satis superque testatur bona, ac mala consecutaria, quae inhaerentia, intrinsicca, et inseparabilia omnino ab omnibus actionibus nostris sunt. Conscientiae morsus, afflictiones, aliorum contemptus, paupertas, dolores, infirmitates, intempestiva mors, cetera, actionibus malis inhaerentia; et animi tranquillitas, nullus metus, gaudium, innocens voluptas, bona existimatio, conservatio, perfectio, vita, cetera, actionibus bonis connexa, praemia, et poenae naturales sunt, ab ipsa Natura et ab aeterno stabilitae (§. 91).

§. 136. Saepe quidem accidit, ut haec naturalia actionum nostrarum consecutaria aliis externis, et fortuitis eventibus debilitentur, et bonis male, nullis autem prospere, res procedat; et vitiosus ignominia, vitium contra praemia efficiatur. Ipsa tamen recta ratio tum ex natura DEI summe Boni, et Justi; tum ex naturali nostro ad DEUM relatione, sum-

ma scilicet dependentia; tum ad res creatas, omnimodae dissolutioni, et casibus subjectas; nos satis superque docet, et indubitatibus argumentis convincit, praemii retributionem, vel poenae deficientis mensuram necessario a nobis expectandam, si non in hac, in altera certe futura vita, de cuius existencia simplex, et individua animae nostrae natura, ejusque ad novas semper perfectiones accipiendas capacitas, insatiabilisque appetentia, nos dubitare minime sinit. Vid. *MARTH. Cap. X. v. 28; XXV. v. 31, et seq. PAUL. Epist. 1. ad Corinth. C. XVI v. 19, et seq.*

Universales.

§. 137. Praeter has autem communes omnibus legibus proprietates (§. 44), sunt insuper *universales* tam quoad subjectum, quam quoad objectum. Iisdem namque partibus essentialibus, anima, et corpore, et eadem natura sunt homines praediti, quotquot in Universo, quae late patet, existant, et ad eundem finem creati, et consequenterque iisdem obligationibus subjecti, et iisdem juribus ornati, et iisdem eorum actionibus eadem consuetaria necessario, ac irrevocabiler connexa, quae evitare, simul ac actionem perpetraverint, minime possunt (§. 91). Cum itaque eadem, quae de natura, et de quolibet uniuscujusque hominis naturali physico, et morali statu affirmantur (§. 102),

de ceteris omnibus etiam dici debeant; nihil manifestius, quam omnes homines, et quoad omnes actiones suas, Naturae legibus aequaliter subjectos esse. Et quamvis plurimae Gentes crassissimis ignorantiae tenebris obrutae jaceant, notione pietatis honestae, justitiae, et acquiescentiae expertae, aequae ignorantiae ferarum more viventes, et immunitate barbarae; ipsae tamen incunabulae et significationes hoc tribuendum non vero Naturae. (§. 13. Schal.); eadem enim quae ceteris, eis etiam data fuerit ad creationis finem adimplendum, necessarii media


Aeternae, necessariae, ac immutabiles.

§. 139. Et cum Naturae leges in DEI voluntate, ac hominis essentia, et natura principium, et rationem sufficientem habeant; DEO autem non natum esse non posset, quidquid creaturae suae homini, eo modo, quo sibi placuit, creato, conveniens, disconveniēsvē fuisset; evidens ab aeterno necessarias homini leges praescripsisse DEUM, et eas, et non alias, quam quae ejus essentiae, ac naturae convenientes fuissent; easque easdem semper fore, dum eadem daret hominis essentia, ac natura. Unde aeternas, necessarias, et non mutabiles Naturae leges, manifestum.

Objectioni respondetur.

§. 140. Equidem mutationis imaginum minus attentos fallere potest, cum nimiam leges, quae non nisi pro certis circumstantiis latae sunt, cessante eorum statu, non amplius apparent. Res vera tamen nulla fit ipsarum legum mutatio, quippe quae nunquam antea, sed postea illa nova, postquam existiterant. Tales sunt leges, et praetermodum, quae non in omnibus eventibus, nec semper, sed in certa tantum hypothesi, et statu, aut collisione locum habent, et ad illos solum pertinent, qui in eiusmodi statu collocati exstant.

V. DE FELICE, *Leçons de Droit de la No. et des G.*, Legisi, pag. 201.



CAPUT VI.

DE IURIBUS, ARQUE OFFICIIS HOMINUM.

GENERATIM.

Per obligationes, jura, et officia, Naturae leges demonstrantur.

§. 141. MAjores nostri, et non immerito quidem, Naturae leges per obligationes, jura, et officia ab eis provenientia,

et unicuique hominum statui accommodata, nos edocere solent.

Cum enim officia, seu actiones legi conformes, a juribus descendant; jura autem, seu facultates agendi quidquid ad obligationem exsolvendam necessarium, tamquam medium ad finem, ab obligationibus; et obligationes, seu necessitas mandata legum exsequendi, a legibus praeceptivis, aut prohibitivis (§. 52); evidens sane, quod licet officia immediate a juribus, et jura ab obligationibus proveniant, omnia tamen principium mediatum in legibus habere; juribusque proinde, ac officiis cognitis, ac demonstratis, cognitae etiam, et demonstratae manere leges.

jura permissiva, seu
Jura stricte talia, et libertas moralis.

§. 142. A juribus itaque exordium duocendo, hoc respectu illorum singulare est, quod cum non solum a legibus praeceptivis, et prohibitivis, sed a permissivis etiam proveniant, et non modo demonstrent quod facere debemus, sed quod etiam facere, vel non facere possumus, non ideo universalibus demonstratis officis, omnia jura demonstrata maneam, sed speciatim ea referre, ac demonstrare oporteat.

§. 143. Hinc quae jura in legibus praeceptivis, aut prohibitivis principium habent, ac proinde necessitatem involvunt agendi, vel

non agendi, et certo quodam, et non alio
vel opposito modo, *jura stricta talia* dicun-
tur; et quae circa illa versantur, quae nec
praecepta, nec prohibita, sed *permissa*, et
uniuscujusque libertati relicta, *libertas*, me-
missiva, seu *ralis*, nominantur.

Schol. Ideo autem *libertas moralis* dicitur, quod generaliter
rationem obligationem haec ipsa permissio involvat, liber-
tate nostra *moraliter* semper utendi, nihil scilicet facien-
di, quod legi repugnet (§. 38); non enim idem est li-
bertas, ac licentia, sed facultas agendi quicquid voluerit
mus per principium quoddam internum, et efficiens, quia
ab alio pendemus, vel in nostri juris exercitio turbari,
aut laedi possumus; *dommodo scilicet essentialiter convenienter*
agamus, nihilque faciamus, quod imperfectionem, *destru-*
ctionemve nobis adferat (§. 22).

Connata, seu absolutas, et hypotheticas,
seu contractas.

§. 144. Et cum Naturae leges diversae
quidem sint, prout diversus hominum status;
praecipue autem sint, 1) naturalis, connatus,
primigenius, et absolutus, in quo homo con-
sideratur, ut solus, et qualis nascitur, aut
ut in statione aliqua a Natura collocatus;
et 2) praeternaturalis, ac adventitius, et
hypotheticus, in quo determinaciones ho-
minem limitantes non in Natura solum, sed
in facto simul aliquo ipsius hominis prin-
cipium habent (§. 106); hinc obligationum,
jurium, et officiorum nostrorum distinctio 1)
in *connata, seu primigenia, aut absoluta*; et
2) in *contracta, seu acquisita, adventitia, aut*
hypothetica.

Priora, quae a Natura procedunt, quae
 tenus omnibus hominibus communia, et
 universalia dicuntur; et quatenus
 singulis hominibus, et unicuique tribuuntur,
 etiam singularia eo sensu, quo propria deo
 nominari solent. Posteriora, quae in Natura
 et facta, singulis hominis principium habent,
 quia illis solis competunt, quae in aliqua hy-
 pothesi, cujus ipsi auctores constituti existant,
 particularia, seu singularia, aut propria ap-
 pellantur; et quatenus in illa hypothesis se lo-
 care, nec illicitum, nec impossibile; culque,
 eo sensu etiam communia, et universalia di-
 cuntur. In hypothesis autem de bono, ac vitio
 omnimoda *Primitiva, et derivativa* sunt; ob id
 uti auctori libere adhiberi solent, quod
 hoc. 145. Tam obligationes, quam iura,
 et officia ab eis procedunt, et tam connata,
 quam hypothetica, et tamquam *primitiva*, quam
derivativa considerari solent. *Primitiva* dicitur
 dicitur *obligatio connata primitiva*, quae
 in essentia, ac natura hominis principium
 habet; et *derivativa*, quae ab aliqua praec-
 edenti procedit; ex. gr. obligatio primitiva
 servandi corpus, et derivativa cibum salubrem
 sumendi, sequitur ab omni, quod sanitati no-
 ceat abstinendi.
 Dicitur *jus connatum primitivum*, quod
 ab obligatione primitiva, et *derivativum*,
 quod ab aliquo praecedente iure descendit;
 ex. gr. ab obligatione primitiva conservandi

corpus, jus primitivum ad res omnes ad id necessarias; et ex eo derivativum securitatis, defensionis, violentiae, et ceteris. §. 146. Similiter de obligatione, et jure hypothetico ratiocinandum. Erit obligatio hypothetica primitiva, quae immediate a facto descendat, et derivativa, quae ab ista; ex. gr. lex factorum generationis obligatio hypothetica primitiva educandi liberos, et ab ea derivativa eos alendi, et in anima, corpore, statuque externo perficiendi.

Erit jus hypotheticum primitivum, quod ab obligatione hypothetica primitiva, et derivativum, quod ab aliquo praecedenti hypothetico jure derivetur; ex. gr. ab obligatione hypothetica primitiva educandi liberos jus hypotheticum primitivum ad omnes actus ad id necessarios, et ex eo derivativum normam vivendi eis praescribendi, in eos animas convertendi, eorum operas pro sumptuum educationis compensatione in utilitatem suam convertendi, et ceteris.

De juriis, quae connata, et absoluta dicuntur, natura.

§. 147. Haec autem jura sunt, quae connata, et absoluta dicimus, natura esse, ut nempe ea cedere, renuntiare, aut ab eorum exercitio, et executione se exsolvere, aut ab aliquo eis spoliari, aut solvi possit. Natura enim legibus, statim praecipitur, quae praeter

bitivis fundamentum habent; quae, omnia
 necessariae, ac immutabiles (§. 139); et ho-
 minum essentiae, ac naturae ita inherentes,
 ut si non, exsequantur, aut eis homo, pri-
 vetur, homo esse, destinatus, necessario, eni-
 pereundum, nisi cura corporis, negligatur, id
 §. 148. Neque dicatur in Civili Societate
 suis juribus aliquando homines privari; quia *numque*
 eis *inimpendatur* immutatio, in hypothetico *inobis*
 statu omnino necessaria, ad iura exercendi
 modum, utque permissiva iura tantum per-
 tinent. Possunt Civiles Imperantes obvenientes
 species Naturae legibus accommodare; neque
 modo, ut quando *excedens* declarant, novis *exsequen-*
 praemiis, aut poenis monent, et libertatem *dae*
 naturalem, seu iura permissiva, procul hy-
 pothetico status naturae exigitis, restringent;
 Naturae vero aliquid repugnans statuere, nisi
 filio Imperantes possunt; DEUM namque vo-
 luntati resistunt, et universum socium or-
 dinem turbarent.

§. 149. Aliud de hypotheticis dicendum
 non est, naturae hominis indiviso, necque ei
 connatae, inherentes; nec homo, talis esse de-
 sinit; si obligatione aliqua contracta solva-
 tur, jure a quo acquisito privetur, aut op-

Sunt eadem, et aequalia omnibus.

§. 150. Cum autem obligationes, iura,
 et officia connata hominum, seu quae, cum
 eo nascuntur, sicut et leges, a quibus pro-

venimus, in presentia, ac naturae humanae principia
 capitam habeant (§. 105). quia eadem omnino
 omnibus, eisdem tamen partibus essentiali-
 bus, anima, et corpore constant, retrad eun-
 dem finem? ad Naturam creatis; manifestum fit,
 obligationes, iura, et officia in hominibus con-
 stant, tam in se, et in aliis, quam permissiva,
 eadem; in singulis hominibus, pro se, esse;
 ac proinde nemini absolute spectato, et prout
 a Natura creatas, vel in primaeva, ac naturali
 statu existant; Quibus scilicet oppositum (§. 106),
 qualis adhuc hodie, Civitatum Societatum, Im-
 perationum, et Nationum respectu, aliam ma-
 iorem, et aliam hanc, iuris, numerum,
 et qualitatem competere, sed in utroque
 homine, ejusdem esse quantitatis, et quali-
 tatis, atque adeo similia, pro se, et aequalia,
 et inter se congrua, quae si pro se, et in se,
 non possunt esse. Unde, cum in communi natura
 nullatenus occurrat, iurium, et obligationum di-
 versitas, sed, quod uni competat, necessario
 et aliis competere debet; nulla quidem inter
 homines, quia homines, aut in naturali, ac
 primaeva statu permanentes (§. 113). Prae-
 scriptum est, et jus aliquod unius praecipuum,
 quo quis praeter aliis, pari ceteris, iure uten-
 tibus, gaudeat; nec praecedentia, seu jus
 praestantiae in ordine a pluribus simul obser-
 vandum, intelligi potest.

V. WOLF. J. N. PARS I. C. P. I. §. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113.

*Jura hominum connata, et primitiva ;
et I. aequalitatis.*

§. 152. De joribus itaque hominum, quae eis inhaerentia, et quibus a nemine spoliari possunt, sermonem instituendo, quoniam primigenia hominum jura prorsus sunt aequalia (§. 150), manifesto colligitur, eos absolute spectatos in statu omnimodae aequalitatis vivere, in quo, nec quod uni vetitum est alteri permissum, nec quod uni permissum, reliquis prohibitum, aut praeeptum dici possit. Quae hodie existunt innumerae dissimilitudines, et inaequalitates, eae vel hypotheticae, et adscititiae, vel tantum physicae sunt, ratione scilicet indolis, corporis constitutionis, aetatis, sexus, etc.; quae nec ad essentiam hominis, nec ad ejus moralem statum, sed ad characteres internos mutabiles, vel ad externas mutationes pertinent.

II. Libertatis.

§. 153. Ex naturali hominum aequalitate (§. 150), eorum quoque *libertas a subjectio-
ne*; seu independentia ab cujusvis alterius hominis arbitrio intelligitur; quo enim jure unus alteri, ut aliquid faceret, vel non faceret, imperare vellet, eodem jure hic vicissim illius actiones posset moderari, et ab eodem petere, ut suum se in agendo judicium sequi patieretur.

Schol. Jus actiones alterius liberas pro suo arbitrio ad certum quemdam finem determinandi; *potestas*, aut *imperium* nuncupatur; *obligatio* autem hujusmodi actiones voluntati illius, qui imperio pollet, attemperandi, *subjectionem* constituit; et inde quoniam *Imperans* dicatur, et quoniam *subditus*, facile est definire.

III. Jus in suam conservationem.

§. 154. Inter jura connata jus quoque in suam conservationem referendum. Principium habet in obligatione connata, ac primigenia finem creationis, manifestationem scilicet DEI gloriae, adimplendi, quam conservatione neglecta exsolvere impossibile.

IV. Jus ad res.

§. 155. Et cum ex jure ad conservationem facultas moralis derivetur, illud agendi quod ad implendam obligationem necessarium fuerit, et quilibet nostrum, ut se conservare possit, rebus variis, veluti cibo, potu, ac vestimentis indigeat; nemini etiam jus acquirendi, et adhibendi res ad suam conservationem necessarias posse denegari perspicuum est; hoc enim neglecto, etiam obligatio se conservandi irrita, inanisque foret.

Schol. Res dicuntur omnia entia a personis distincta, quae
- - - - -

V. Jus securitatis.

§. 156. Status, in quo nullum malum imminens licet praevidere, *Securitas* generatur

dicitur; jus autem securitatis, vocant jus non patiendi, ut ab altero sibi noceatur. Quoniam itaque quilibet homo jure se conservandi a natura est instructus (§. 154); etiam jus securitatis juribus connatis esse adscribendum, res evidens.

VI. Jus defensionis.

§. 157. Qui jus habet non patiendi, ut ab altero sibi noceatur (§. 156), eidem jus ad actiones, quibus vim, et injuriam repellat, competere necesse est; et quia actus, quo quis obstitit læsioni, *defensio* nominatur; planum est cuilibet homini congenitum quoque esse jus defensionis, quod ad omnia facta, sine quibus nullus foret hujus juris usus, porrigatur.

VII. Jus violentiæ, seu cogendi.

§. 158. Quare si quis eo rerum redactus sit, ut imminens sibi ab altero malum alia via nequeat declinare, quatenus si vim eidem adferat, est eadem mala implet; jure etiam gaudet, quo vim vi repellere, et læsionem intentanti tot detrimenta inferre liceat, quæ sufficiant ad hoc, ut læsio etiam physica fiat impossibilis, et ab illa abstrineatur; atque istud est, quod vocant *Jus violentiæ, seu Jus cogendi*, strictissime sumptum.

VIII. *Jus belli.*

§. 159. Dicitur bellum status ille, in quo homines conatum efficacem produunt mala aliis inferendi per vim. Dicitur conatum efficacem, quia non semper actu inter se belligerantes certant, veluti in hieme, et induciarum tempore, et interim tamen bellum manet. Huic opponitur pax, seu status, qui ab omni aliorum violentia, et coactione vacuus est.

Bellum naturalis status non est.

§. 160. Esi vero jus defensionis, et belli inter jura connata referantur, tamen non illud exercere non liceat, nisi laesio praecedat, quae finibus creationis sola ratione cognitis, atque adeo humanae naturae, hominumque felicitati repugnat; manifestum quidem, falsam omnino esse HOBESII, ac THOMASII doctrinam, quorum ille bellum esse statum naturalem hominis, et iste statum naturalem plus de bello, quam de pace participare, contendunt. Naturale illud solum est, quod hominum essentiae, ac naturae, aut rectae rationi convenit; neutro vero sensu naturale dici potest bellum: homines enim DEUS creavit, ut socialiter viverent (§. 25), non vero ut mutuo se laederent, et occiderent. Est insuper adventitius belli status, quippe cui nullus locus, nisi factum laesionis alter indeclinabilis praecedat.

Quid laesio?

§. 161. Quidquid rō nostrum diminuit, id nocere, nos turbare, violare, et laedere generatim dicitur. Est ergo *laesio* quaelibet actio, quae suo alterius repugnat, ab homine in alienum involante proficiscens. Laeditur autem alter, si suum eidem subtrahatur, vel ponatur impedimentum, ne jure suo utatur, quorum utrumque, si a libero ejus, qui laesit, arbitrio pendeat, *laesio moralis* strictius, vel *injuria* generaliter, nuncupatur; secus infortunium, *laesio physica*.

Quid proprietates?

§. 162. Bona, perfectiones, atque adeo jura omnia, quae respectu certae cujusdam personae determinata sunt, seu quibus eadem jam instructa est, rō suum ipsius constituunt. Itaque corpus, anima, et singulae horum facultates, tum aequalitas, libertas, conservatio, et cetera cum his connexa jura ad suum cujusque naturale pertinent; facultates autem externae, seu res quaelibet, modo originario, aut derivativo acquisitae, sicut et jura cum his connexa, rō suum acquisitum constituunt.

Quid meritum?

§. 163. Discernendum tamen rō suum a merito, seu dignitate, quod scilicet in aliquo determinatum non est, sed eidem congruum,

et conveniens judicatur. Indigens ex. gr. meritum habet, et dignus est, sui similes ei auxilia ferre; auxilium tamen adhuc in eo determinatum non est, neque ad suum constituit; incertum namque, an alii praestare possint, an velint.

Quando locum habeat Jus violentiae.

§. 164. Frustra nonnulli Jus violentiae in eos, qui plane nihil nocent, ex nuda obligatione erga se ipsum deduci posse arbitrantur. Vel enim juris nostri impedimentum ab eo venit, qui illud ponere jus non habet, et jam laesio est (§. 161), quae jus cogendi producit (§. 158); vel vero, qui causa est impedimenti, jus suum usurpat, et in hac specie jus nostrum non majorem efficaciam habere potest, quam vis physica, quae per aequalem vim physicam retunditur.

§. 165. Locum igitur jus cogendi solum habet, cum aliqua laesio ab altero sit illata, vel certo imminet. Qui suum tenet, et alterius perfectiones non auget, iniquus sane, sed injustus non est. Equidem si propter utilitatem, emolumentumque nostrum alterum suo spoliare, quovisve modo laedere licitum fuisset, meum, et tuum voces essent inanes, naturalis libertas evanesceret, et tota humana societas dirumperetur, maiorque, more piscium, minorem destrueret.

Jura, et officia perfecta, et imperfecta.

§. 166. Ex ea proprietatis, et meriti distinctione deducta fit *jurium*, et officiorum nostrorum distinctio in *perfecta*, et *imperfecta*.

Jura perfecta dicimus, quae nobis respectu aliorum competunt, in eo, quod nostrum, principium habentia (§. 162), et a primigenia obligatione neminem laedendi, et suum cuique sinendi provenientia, ac proinde cum jure cogendi conjuncta; locum enim coactio habet, quoties quis laeditur (§. 165); et laesio datur, quoties suum nostrum quovis modo violatur (§. 161).

Imperfecta, quae in merito, ac dignitate nostra, et aliorum obligatione nos juvandi rationem habent; ac proinde coactionem non involvunt: alias enim alterum fortasse ad id cogere, ad quod vires non habuerit, et suum laederemus (§. 165).

§. 167. *Officia perfecta* dicimus, quae ab obligatione primigenia neminem laedendi, et sinendi cuique quod suum, et a jure perfecto aliorum (§. 166) dimanant, et consequenter ad quae praestanda cogi possumus.

Imperfecta, quae ab obligatione juvandi alios, et merito, ac dignitate aliorum descendunt, et ad quae proinde cogi non possumus (§§. 163, 165); naturali namque cuiusvis libertati relinquendum, ut circumspiciat, an idoneam nos juvandi occasionem habeat, vel non.

Perfecta: officia iustitiae, et imperfecta officia caritatis dici solent.

Schol. Sunt, quibus exosa valde sit, ea officiorum imperfectorum denominatio, tamquam quae occasionem credendi praebet, a) nullam bonitatem, aut perfectionem ex eorum executione sequi; vel, b) ad ea praestanda animae nos teneri, cum aequae ac perfecta a Natura, DEO Opt. Max. praescribantur, et eorum transgressores pariter ac aliorum debitae poenae immincant. Equidem peccare, quod iustum posset, officia humanitatis sine iure negare, et animae periculum potest in dubium; ea tamen ratione haec usurpamus vocabula, ut juxta loquendi ICtorum normam denotemus; nec semper ea officia ad finem perducere, et ea sequi nos oportet, neque externa vi ad ea praestanda cogi posse.

V. MATTH. C. XXV, v. 34, et seq. DE FELICE Leg. de D. N. et det G. Leg. 4, et 21.

Jura hominum hypothetica, et acquisita generatim.

§. 168. Exposuimus jura hominum universalialia, tam primigenia, quam derivativa generatim, quae scilicet ad hominem tamquam hominem consideratum, aut in statu naturali, ac primaevo viventem, spectant. Sequitur, ut de hypotheticis, et acquisitis faciamus verba, illis scilicet, quae statum hominum adventitium constituunt, et in aliquo eorum facto principium immediatum habent (§. 106).

Infinite prope modum numero sunt species, seu hypotheses, inventa, et instituta, quorum homines auctores esse possunt. Unde cum de omnibus verba facere velut impossibile, cognitis autem principioribus facillime, quod aliis conveniat, definiti possit, me-

zito Majores nostri ea omnia ad duo praecipua capita reducere, 1) ad *proprietas* scilicet, ac *dominii*; et 2) *societatum institutionem*. Et cum variae ac multiplices esse possint societatum formae, de praecipuis tantummodo verba fecere, *conjugali* scilicet, *parentali*, *herili*, ac *domestica*, *anarchica*, et *civili*; et ex complexibus jurium, et officiorum, ad duos hosce status attinentium, aliam Juris Naturae partem confecere, quam *Jus Naturale Hypotheticum* dixere. Eos itaque secuti, postquam jura, et officia hominum connata, et absoluta speciatim exposuerimus, de hisce sermonem instituemus.

Illud tamen hoc in loco animadvertendum, jura hominum hypothetica neque eadem, et aequalia in omnibus, nec hominum naturae adeo inhaerentia, ut ea cedere, renuntiare, aut eis privari non possint. Varia enim, et multiplicia sunt ea acquirendi media, et alia aliis magis possibilis, et subjectiva contingentia, quam aliis, aliique non eundem, quem alii, statum appetunt.

Officia hominum generatim.

§. 169. Graeci Philosophi officium vocabant τὸ δέον, quod *decens*, *necessarium*, et inter eos Stoici τὸ καθήκον, seu quod *conveniens*; apudque eos praecipuam Philosophiae Moralis partem haec τῆς τοῦ καθήκοντος, seu de eo, quod *conveniens*, doctrina constituat. CICERO fuit

primus, qui ad eorum exemplum similem librum scribens, ad res eorum ~~ad hunc~~ exprimendum, vocabulum *officium* adinvenit.

§. 170. Per officium autem generatim intelligebant omnem actionem, de qua, cur facta sit, probabilis ratio reddi posset. Licet tamen oporteat, ut officia omnia in aliqua sufficienti ratione principium habeant, cum tamen nihil sit, etiam temere factum, de quo probabilis ratio reddi non possit, talis quidem ea esse debet officiorum ratio, et principium, quae ad moraliter agendum, vel non agendum nos impellar, quod quidem de obligatione morali tantummodo dici potest.

Unde per officium intelligimus, nostrorum jurium exercitium, seu actionem legi conformem, quae principium immediatum habeat in juribus nostris vel stricte talibus, vel permissivis (§. 142), consequenterque remotum in obligatione perfecta, aut imperfecta (§. 166), et remotus in lege, a qua obligatio provenit. Unde sicut sine lege, aut cessante lege nulla obligatio et jus (§. 49); ita nullum officium.

*Officiorum distinctio ratione principii, a quo
proveniunt.*

§. 171. Cum itaque officia sint jurium nostrorum exercitium, sub quibus veniunt tam jura stricte talia, seu obligationes, et quod *facere debemus*, quam permissiva, seu

quod *facere possumus*, dummodo moraliter possibile, seu legibus haud repugnans (§. 58); et jura nostra ab obligationibus descendant; obligationes autem a lege (§. 141); leges vero vel divinae naturales, aut divinae positivae; vel humanae ecclesiasticae, et civiles esse possint (§. 56): hinc officiorum nostrorum divisio, I. in *officia naturalia, christiana, ecclesiastica, et civilia*.

Et cum leges naturales, consequenterque obligationes, ac jura esse possint absoluta, aut hypothetica (§. 144); primitiva; aut derivativa (§. 145); perfecta, aut imperfecta (§. 166): hinc II, alia officiorum distinctio in *absoluta, et hypothetica; primitiva, et derivativa; perfecta, et imperfecta*,

Ratione objecti.

§. 172. Praecipua tamen officiorum nostrorum distinctio illa est, quae ab objectis, super quibus versantur, deducitur. Qualia sint autem, ex principio objectivo leges Naturae cognoscendi, finibus scilicet rerum creaturarum, satis manifestum (§. 125). Cum enim exploratum omnino sit, 1) non alium finem ultimum creationis fuisse, quam DEI gloriae manifestationem, et 2) non alium intermedium, quam existentiam, conservationemque nostram, quam perfectiorem, ea enim neglecta impossibilis fit alterius adimpletio (§. 28); et 3) cum ex principio subjectivo,

ratione scilicet nostra (§. 134) etiam nobis non ignotum, minime conservare, ac perficere sine aliorum auxilio nos posse; manifestum est, ad tria praecipua capita officia nostra omnia reduci, *DEI* scilicet *Cultum*, *Philantiam*, et *Socialitatem* (§. 127. et seq.).

Vocabula, quibus designantur, et discernuntur.

§. 173. Propriis autem nominibus ea omnia officia, actionesque morales hominum designari, ac discerni solent; scilicet officia erga *DEUM* per vocabulum *pium*, seu *officia pietatis*: officia erga nos per *honestum*, seu *officia honestatis*, et erga alios per *justum*, seu *officia justitiae*.

Et cum officia erga nos, vel ad statum internum spectent, *animam* scilicet, et *corpus*; vel ad externum, rectum nempe actionum nostrarum usum, bonam existimationem, seu iudicium, quod de perfectionibus nostris ceteri facere possunt (*a*); officia autem erga alios vel ad eorum proprietatem, aut meritum tantum, respiciant (§. 162, 3); non immerito etiam officia erga nos, ad statum internum spectantia, per *honestatem*, seu *officia honestatis*, et ad externum per *decorum*, seu *officia decentiae*; et erga alios ex iuribus perfectis descendencia per *justum*, seu *officia justitiae*; et ex imperfectis per *aequum*, seu *officia aequitatis* designari solent.

Quid ergo dicendum *impium*, *inhones-*

tum, indecorum, injustum, et iniquum; etiam tacentibus nobis intelligitur.

(a) Loquimur de statu naturali, et absoluto; in hypothetico enim statum externum constituunt etiam res, juraque acquisita.

Conjungenda omnia.

§. 174. Cum vero beatitudo, felicitasque hominis, imperfecta illa, quam hac in vita obtinere possumus, et in maxima possibili animi quiete, seu in minima malorum summa consistit (§. 30), acquiri minime possit, nisi legibus convenienter vivamus, aliter enim actionibus malis intrinsece connexa consectaria, seu poenae naturales, dolores scilicet, infirmitates, et ipsa mors sequentur (§. 91). praeter positivas necessario etiam a Divina Justitia sperandas (§. 136); planum est, solum felices nos esse posse, si omnia nostra officia adimplere studeamus, omnesque actiones nostras legi conformare curemus. Tum solum bonorum summa augeri, et malorum minui poterit, cum virtute praediti, seu habitum recte agendi consecuti fuerimus. (a). Qui unam, aut alteram tantum legi conformem actionem susceperit, virtutis compos dici non meretur, neque de malorum aervo quid detrudere poterit.

(a) Quid ergo sentiendum de ARISTOTELI, EPICURI, et aliorum sententia, qui felicitatem in voluptatibus corporis, aut animi, aut in bonis fortunae, honoribus, cetera posuerunt, facile intelligitur.

Quid virtus?

§. 175. Certa agendi facilitas, ac promptitudo habitum constituit, qui si in legibus custodiendis, *virtus*, si in iisdem violandis acquiritur, *vitiositas* nuncupatur. Cum itaque tam legum custodia, quam earum violatio, ab aliquo intellectus et voluntatis actu proficiscatur (§. 53 et 93); nuda ac physica actionum externarum convenientia, vel disconvenientia cum lege (§. 96), vel in solo metu poenae, aut spe lucri principium habens, non vero honestis motivis, et in conatu efficaci DEI voluntati, aut legislatoris satisfaciendi, verae virtutis, aut verae vitiositatis nomen non meretur (a).

(a) Semper tamen mala, et imputationi subjecta ipsa illa disconvenientia actionis cum lege, a simplici defectu animadversionis, aut debitae diligentiae proveniens (§. 99).

Virtutis species.

§. 176. Virtus, quotque ejus animo concipi species possunt, per solum vocabulum *Justitia* satis designata manebat; *Justitia* enim proprie in custodiendis legibus consistit, seu in secundum jus vivendo, vel in nihil juri, aut legi repugnans suscipiendo. Stoici vero, qui summum bonum in virtute philosophica, et summum malum in vitio posuerunt, resque ceteras omnes indifferentes dixerunt, tot virtutis, fortasse quod facilius omnia nobis conve-

CAP. VI. DE JUR. ATQ. OFFIC. HOM. 107

nientia officio edocere, aut facilius ea nos discere crederent, excogitarunt species, quot harum principia, a quibus descenderent, et quot objecta, super quibus versarentur.

§. 177. Ad eorum itaque exemplum etiam Recentiores virtutes ratione principii; a quo proveniunt, distinguere solent, 1) in philosophicas, seu naturales, quae in bonitate scilicet, ac malitia intrinseca actionum principium habent, cujusmodi erat virtus veterum Philosophorum, ut SOCRATIS, M. AURELIJ ANTONINI, et aliorum; 2) in intellectuales, quae intellectus propriae; 3) in morales, quae voluntatis; 4) in christianas, quae in lege Divina positiva N. T. (et 5) in civiles, quae in civili lege rationem habent.

Ratione autem objecti tot virtutum invenierunt species, quot actiones legibus conformes facere homo posset, easque omnes specialibus nominibus nominavit, sicut et eis opposita vitia. Hinc inter virtutes ad DEI cultum, seu pietatem spectantes, DEI amor, reverentia, obsequium, requisitientia in eo, cetera; ad honestatem, sapientia, prudentia, temperantia, frugalitas, sobrietas, abstinentia, castitas, modestia, fortitudo animi, constantia, patientia, cetera; ad justitiam, justitia expletrix ad officia perfecta, et justitia attributrix ad imperfecta, pertinens; justitia personae, seu moralis, justitia actionis, vel civilis, seu physica (§. 97 Schol.), aequitas, veracitas, mansuetudo, cetera.

~~id est quod dicitur in principio mundi~~
 tunc quod dicitur in principio mundi
 19. **OPUS .VII.** **DE** **MODO** **ACTIONES** **NOSTRAS** **AD** **LEGEM** **ACCOM-**
MODANDI **QUE** **DE** **CONSCIENTIA.**

Quid Conscientia.

DE **MONSTRAVIMUS** **SUMMAE** **CREA-**
TORIS **BONITATI** **OMNINO** **REPUGNARE** **ET** **CUM** **HOMI-**
NI **AD** **CERTUM** **ET** **DETERMINATUM** **QUENDAM**
FINEM **ATQUE** **AD** **FELICITATEM** **CREAVISSET** **(§. 27.)**
CUM **EX** **LEGEM** **MISERIAM** **ET** **INFELICITATEM** **EXPE-**
SITUM **RELINQUERE** **(§. 129.)** **AC** **PRINDE** **HOMI-**
NEM **INCESSARIE** **LEGIS** **DONO** **AB** **EJUS** **CREATORE**
DEO **EXORNATUM** **ETIAM** **FUISSE.** **DE** **MODO** **IGI-**
TUR **QUO** **ACTIONES** **NOSTRAS** **AD** **LEGES** **ATTEMPE-**
RARE **OPORTEAT** **IN** **PRÆSENTI** **DISSERAMUS.**

§. 179. **TAM** **FACULTAS** **MORALIS** **QUE** **QUIS-**
QUE **EST** **INSTRUCTUS** **DE** **PROPRIARUM** **ACTIONUM**
BONITATE **AC** **MALITIA** **RATIOCINANDI** **QUAM** **POTIS-**
SIMUM **IPSA** **HUIUSMODI** **RATIOCINATIO** **CONSCIENTIA**
MORALIS **DICITUR.** **DICI** **SOLET** **ETIAM** **FORUM** **RATI-**
ONIS **FOCUS** **INTERNUM** **ET** **AB** **ALIQUIBUS** **FORUM**
DIVINUM **EX** **EQ** **QUOD** **a)** **CONSCIENTIA** **A** **DEO**
DATA **b)** **QUOD** **DE** **LEGIBUS** **DIVINIS** **AGAT** **ET**
c) **QUOD** **SI** **RECTUM** **INSTITUERIMUS** **JUDICIUM** **IN**
DIVINO **FORO** **SINE** **DUBIO** **CONFIRMANDUM.**

Schol. Forum proprie dicitur locus rerum vastum expositum
 obsequium, obedientiam, assiduum

est: tibi per legem destinatus. Quae tamen prae-
 scriptis in foris, et locis publicis de hominum dissidiis, et
 controversiis institueretur iudicium, hinc forum denomi-
 nandi (a) (ius, vel c) locum, in quo iudex de civium dissidiis
 cognoscit, vel b) in quo jurisdictionem exercet, vel c) ipsam
 potestatem; jurisdictionemque iudicis.

Si autem de DEO enuntietur, forum *diuinum; inter-*
num, poli; si de hominibus, *humanum, externum, soli*
applicatur. Inter utrumque hoc est discrimen, quod *hu-*
manum saepe sit fallax, et in eo externi tantum actus; in
diuino autem etiam omnia, quae hominem aestimationem,
 cogitationemque respiciunt, ipsaque interiora hominum co-
 gitata iudicentur.

Tolandus *defectus error.* *audia*
 §. 180. Ridiculum errorem committunt,
 qui cum *TOLANDO* impioque *SPINOSA*, et
 suis assensu, inanem putant esse Conscien-
 tiae ideam, eamque insulse vulgi iudicio as-
 signant, vel pro vano Ministrorum cultus ter-
 rificamento vendunt. Est enim Conscientia
 ipsa humana ratio, rationeque praeditos nos
 esse indubium (§. 19). Conscientiam autem,
 seu cognitionem vitiorum nostrorum nos ha-
 bere, satis superque testantur remorsus, an-
 gonesque animi, quos persentiscunt, et se an-
 xiari nocentes ipsi fatentur.

Neque dicat *TOLANDUS* a metu immi-
 nentis poenae a Republica constitutae ea omnia
 provenire; ipsos enim, quos vel natiuitatis
 sors, vel fastigium imperii omni supplicio
 eximit, hinc furiis dies ac noctes agitari, et
 morti proximos, cum nihil a Republica mali
 sperare iam possent, vix conscientiae remor-
 sus ferre ob delicta occulta, et nemini mor-

talium nota, satis abunde comprobant, quae
de CHILONE LACEAEMONIO *Aul. Gel. (a)* ;
et de TITO, ac NERONE *Suetonius (b)* narrant.

(a) Noct. Att. L. I. 3. (b) C. 10, et 34.

Varia conscientiae genera, et species.

§. 181. Cum itaque conscientia dicatur
1) ipsa nostra ratio, cum in examinanda actio-
num nostrarum bonitate, aut malitia occu-
patur; vel 2) ipsum iudicium, quod de actio-
nibus suis anima facit (§. 179); haecque mentis
operatio tam ante actionem faciendam, quam
post factam institui possit, non immerito
considerari solet conscientia, vel 1) ut *antece-
dens, theoretica, aut contemplativa*; vel 2) ut
consequens, seu practica: et *antecedens* ut
a) *praeceptiva*, si actionem praecipiam esse
adinvenerit; b) *instigans*, si prohibitam; et
c) *admonens*, si permissam; *consequens* autem g)
ut *bona*, et ex effectu *tranquilla*, si actionem
legi fuisse conformem deprehenderit; b) *mala*
ac *remordens*, si contrariam; et e) *anxia, ac*
irrequieta, si an bona, an mala, dubitet.

Quae virtutis studiosi propria.

§. 182. Cum autem ille legem recte cu-
stodiat, qui priusquam actionem ullam sus-
cipiat, de ejus bonitate, ac malitia certior
fit; et hoc praecipuum sit officium ejus, qui
virtutem colere, et maximam, quantum pos-
sibile, bonorum summam adipisci studet,

CAP. VII. DE CONSCIENTIA. 111

evidens sane, consequentem conscientiam illorum tantum esse propriam, qui suis expensis, ut ita dicant, discere volunt, et qui pravis suis cupiditatibus et vitis, veluti servitute quadam, oppressi, nullo jam miseriae suae sensu afficiuntur, neque de justitia, injustitiae actionum suarum ratiocinantur. Verae igitur virtutis, et felicitatis suae amatoribus huiusmodi suscipere actionem debent, quin prius de ejus bonitate certiores fiant.

Schol. Sunt homines tenerae adeo conscientiae, ut etiam levissimi momenti actionem nullam suscipere audeant, quia de ejus bonitate accuratum prius examen instituant, *scrupulosi* ideo dicti a *scrupulo*, lapillo minimae quidem molis, sed qui in calcem incidens pedem affligit.

Sunt contra alii a) adeo pravis suis cupiditatibus, veluti servitute quadam, oppressi, ut de actionibus suis liberis ratiocinari non possint, et affectibus, ac habitibus suis suffragari veluti cogantur: b) alii suis vitis veluti informantes, ut nullo miseriae suae sensu afficiantur, neque unquam de justitia, injustitiae actionum suarum ratiocinentur; et c) alii, qui veluti calamitatibus suis defatigati, vel quod aliquod gravissimum malum passi, veluti de somno excitantur, et actiones suas accuratius expedire incipiunt. Hinc aliae conscientiae denominationes, *conscientia scilicet servilis*, seu *minus libera*; *dormiens*, *cauteriata*, seu quasi *cauterio usca*, et *expergesta*.

Conscientia est vera ratiocinatio.

§. 183. Cum ergo de bonitate, et justitia, seu malitia, et injustitia actionum nostrarum ratiocinetur conscientia, bonae autem, et justae, et malae, ac injustae illae dicantur, quae tam physice, quam moraliter consentaneae, aut non consentaneae legi fue-

rint (§. 94); minime quidem institui hoc iudicium potest, nisi per syllogismum, aut ratiocinationem, 1) nimirum legem examinando, et ejus, consecutaria, seu obligationem; dein 2) factum, et illud cum lege comparando; et 3) ex hisce duabus propositionibus tertiam eliciendo, in qua justam, injustamve actionem declaretur. Lex itaque est propositio maior, factum minor, et sententia conclusio (a).

(a) Talis ratiocinatio Judae proditoris: Nemo sanguinem innocentem tradere debet, ego id feci, ergo peccavi tradens sanguinem innocentem. MATTH. C. 27. v. 4.

§. 184. Eadem igitur, quae de ratiocinatione, de conscientia etiam affirmantur. Unde erit *recta*, si neque in materia, neque in forma ullum sit vitium, scilicet si vera sit lex, verae facti circumstantiae, et ratiocinandi regulae observentur: *erronea*, si quod ullum horum existet vitium, nimirum si lex sit falsa, aut falsae circumstantiae facti, aut ratiocinandi regulae non observentur: *certa*, aut *incerta*, si iudicium nostrum convincentibus argumentis demonstrare, aut non demonstrare valeamus: *probabilis*, et *magis, minusve probabilis*, si aliqua aut plura habeamus argumenta, intrinseca, vel extrinseca, sed non satis demonstrativa, omnemque dubitationem tollentia: *dubia*, si pro utraque parte ejusdem pariter ponderis argumenta existant, animum nostrum in diversa trahentia.

CAP. VII. DE CONSCIENTIA. 113

Corol. Cum extra dubium positum sit, aliquando erroneam, aliquando incertam solum, probabilem, dubiam, et aliquando pravis cupiditatibus oppressam esse conscientiam nostram; manifestum est, 1) quid sentiendum de illorum sententia, qui pro interna humanarum actionum regula conscientiam habendam esse existimant (§. 116); et 2) quantum nobis omnino necessarium sit animae nostrae facultates excolere, ut veram boni, et mali cognitionem acquiramus, et a praejudiciis liberemur, in rebusque morum conscientiam rectam, veramque ducem habere possimus.

Quomodo conscientia nostra utendam.

§. 185. Cum itaque conscientia nostra nec semper recta, aut certa sit, sed aliquando erronea, aliquando incerta, vel tantum probabilis, aut dubia (§. 184); modum, quo nosmet in hujusmodi hypothesebus gerere oporteat, videamus.

Quoties igitur ratiocinationem de suscipienda actione instituerimus, rationis nostrae praescriptum (dummodo culta, et experientia edocta, et recte ratiocinari adsuefacta) sequi omnino debemus, cum omni possibili, et debita adhibita diligencia, nos legi convenienter agere sine ulla haesitatione persuasi, convictique fuerimus. Si namque recta fuerit ratiocinatio, recte nos agere in dubium; et si fuerit erronea, cum nulla culpa, aut dolus in ejusmodi actione imputari nobis possit, excusatione nos esse digno manifestum etiam est (§. 54).

Quid, si contra conscientiam erroneam agendo actionem nostram legi conformemus.

§. 186. Contra vero non excusandi, si contra conscientiam actionem susceperimus, quamvis legi, sed casu, conformem; est enim ejusmodi actio physice tantum bona, moraliter vero mala (§. 98), et intentionem nostram violandi legem satis aperte declaramus, ad illud agendum nosmet determinantes, quod prohibitum esse pro certo, quamvis falso, habebamus (§. 54); non enim in motu physico, sed in moralitate positum est actionis meritum, aut immeritum (§. 93).

§. 187. Gravior autem est inter DD. contentio de conscientia, quae turpe quod est praecipui, vel quod praecceptum est prohiberi, opinatur. Tunc enim, aiunt; aut falsae quis obtemperat conscientiae, et legem perfringit, quae nos bona jubet facere, et omittere mala; aut agit contra conscientiam, et itidem peccat, quia animum, et conatum violantiae legis prestat, consequenterque necessario semper homo peccat (§. 54). Equidem ejusmodi actio mala quidem est (§. 89), sed ab impubatione exemptus judicandus ejus auctor, si omnem adhibuit diligentiam, et ejus respectu invincibilis est ignorantia (§. 55, et 76). Non ita vero, si vitabilis fuerit error; in ejus enim arbitrio erat errorem deponere, et ita se ab illa, hypothetica tantum, peccandi necessitate liberare (§. 80).

Scbol. Ignorantia est cognitionis privatio: error cognitio falsa, seu disconvenientia actionum nostrarum cum objecto, principium plerumque habens 1) in perceptione falsa ob sensuum defectum, incuriam, et distractionem nostram in examinanda sensatione: aut 2) in ratiocinatione, materia, aut forma, ut aiunt, peccante. Tam Ignorantia, quam error, distingui potest, 1) *subjecti* ratione in *voluntarium*, aut *involuntarium*, *vincibilem*, aut *invincibilem*, consequenterque *culpabilem*, aut *non culpabilem*, prout debitam diligentiam adhibeamus, aut non, et prout nobis subjective sit contingens, aut non: 2) ratione *objecti* in *errorem juris*, vel *facti*, prout in lege, iuribus, et officiis; vel in facto aliquo extraneo, aut proprio, in modove agendi, actionisque effectibus versetur.

Quid agendum, cum dubia conscientia fuerit.

§. 188. Quoniam qui periculum adit peccandi, vivam scilicet non acquirendo legis cognitionem, aptiora media non eligendo, impedimenta non removendo, et occasionem non captando, contra legem committit (§. 54); consequens, 1) eum, qui dubitat an actio precepta sit, vel permissa, illam suscipere; et 2) qui dubitat an actio prohibita, vel permissa, ab eadem abstinere teneri. Si enim faciat quod ambigit, an sit illicitum; aut id committat, ad quod faciendum anceps est, an non fortassis obligetur, jam apparet, eum non penitus effugare legis transgressionem; suam enim cupiditatem virtuti praefert, dispositionemque suam peccandi aperte ostendit (§. 185, 186).

§. 189. Si tamen ea obveniet species, ut de actione, au sit precepta, vel prohibita, du-

bium oriatur, eandem ob causam suspendenda erit actio, dandaque opera, ut dubium omnino expellatur, et lex pateat, ad liquidumque res perducatur.

Cum probabilis.

§. 190. Non tamen manifesto semper, atque evidenti iudicio agere possibile est. Si igitur nihil certi haberi possit, satis erit utique id, quod probabile, et verisimile est, consecrari; ne secus eos saepissime nihil agere contingat, qui frustra quaesiverunt certiora. Neque dicatur, rem habere dubitationem, donec explorata sit veritas; et porro praestare actionem suspendere, quam periculum peccandi subire (§. 188). Enimvero dubia conscientia non modo rationes iudicat esse utriusque ejusdem ponderis; sed consilii experta ita huc illuc impellitur, ut, quam in partem se vertat, plane non habeat: ast conscientia probabilis alterutri contradictionis parti jam adsentitur, quod rebus mature consideratis unum potius, quam alterum eligendum esse sibi videtur. Quare qui omni, quo potest, studio veritatem investigat; etsi delin vera cognitione destituatur, is tamen inevitabilis erroris auctor nequit declarari (§. 55, et 76).

In conflictu probabilis cum probabiliore.

§. 191. Cum vero eadem actio gravibus

quidem momenti licita, re tamen diligentius perpensa maiori cum probabilitate illicita esse iudicetur, illud, quod probabilius, sine dubio amplectendum; absurdum enim foret iudicio minus verisimili adhaerere, et clariori luminis obscurius antepōnere. Peccaret sane, qui opinionem sibi ipsi minus probabilem amplecteretur, non modo quod facit quod ambigit, an rectum (§. 188), sed quod videns meliora, probansque, deteriora sequeretur, et ita conscientiae resistere sustineret. Equidem sicut adulterinam, corruptamque esse libram nemo negasset, in qua pondus levius graviori praeponderaret; ita etiam falsam, spuriamque esse conscientiam fateri oportet, quam, facta momentorum comparatione, non fortiora, sed debiliora ad agendum flectunt.

Schol. Flagitiosa sane Casuistarum doctrina, ad imperium DEI eludendam comparata, qui tradiderunt in dubio potiorē esse conditionem arbitrii, seu libertatis; et, quod adhuc flagitiosius, inter probabilius, et probabile, hoc, si libertati faveat, legi praevalere.

Homines, qui recta finem suam petunt, certa, et constanti uti regula debent, quae voluntas DEI est; eaque in re adicipiti p̄fior, et potior apud nos esse debet, non vero appetitus et arbitrium, cui regendū data. Quod si post maturum examen adhuc in dubio res sit, tutior pars est eligenda; eaque non alia, quam quae legi, non vero libidini, ac licentiāe faveat.

Vid. PUFFEND. de J. N. et G. L. l. C. 3. HEIN. de J. N. et G. L. l. C. 2. §. 34. et seq. DE FELIC. Leg. de Dr. N. et des. G. Leg. 9.

—

CAPUT VIII.

DE MODO ACTIONIBUS NOSTRIS,
ET ALIENIS APPLICANDI LEGEM,
SEU DE IMPUTATIONE.

Quid imputatio.

§. 192. **E**Xposuimus, quanta cura
cuique esse debeat, antequam actionem ali-
quam suscipiat, de ejus bonitate, aut ma-
litia prius ratiocinari, ac de ea certiore se
reddere, ut officio suo recte fungi valeat.
Evenit tamen saepe numero, ut homines sua
culpa, aut dolo (§. 81. not.); contra legem
committant, consequenterque varia sit eorum
actionum moralitas (§. 73. Corol.), variaque
etiam ad facta legum applicatio. De eo igitur
argumento sermone habeamus.

Applicatio legum ad facta, ex analogia
quadam a ratiociniis deducta, per vocabu-
lum *Imputatio* designatur; est enim imputatio
idem ac in alterius rationes, seu accepti et
expensi tabulas aliquid referre, ut postea an
debeat, an ei debeat, statim appareat. Di-
citur itaque *Imputatio*, moraliter loquendo,
judicium, quo non modo aliquem facti alterius
auctorem, causamque efficientem esse, declara-
mus; sed, explorando an aliquid debeat, vel

*et debeatur, etiam ejus meritum, seu consecra-
ria facto connexa (§. 44. 6) ei applicanda,
ac tribuenda decernimus.*

Schol. Factum dicitur quaelibet actio, aut *omissio* moralis, seu voluntaria, et libera, quae persona, loco, tempore, ceterisque adjunctis circumscribitur. Facti consecraria; praemia, vel poenae factis a legislatore connexae.

Est vera ratiocinatio.

§. 193. Quoniam igitur qui imputationem facit, examinare prius debet, quis facti vera, et efficiens causa, seu auctor; quae lex, et quod ejus decretum, et sanctio; et dein iudicium elicere, quo facti vere auctorem dici, vel non dici, qui illud physice patra- vit, declaret, et debitum praemium, aut poenam ei assignet; evidens, ratiocinatione quadam imputationis iudicium stabiliri.

§. 194. Quae igitur de conscientia, seu ratiocinatione de actionibus nostris suscipiendis dicuntur (§. 184), de imputatione etiam af- firmantur. Similiter ergo eveniet, ut impu- tationis ratiocinatio esse possit recta, et cer- ta, vel erronea, incerta, probabilis, ma- gis minusve, aut dubia.

Schol. Cum hominum veluti naturalis sit impulsus, ut plerique sibi facile ignoscant, et de propria exploranda conscientia parum laborent, de aliorum vero naevis, etiam levissimis, illico urnam moveant; cavendum qui- dem, ne iudicio falso, incerto, dubio, aut solum proba- bili de actionibus aliorum iudicemus. Vid. MATTH. C. 7. v. 1. et seq.

Commemorandae digna sanc est illa PNAEDRI *Fabula*

L. IV. 9. *de duabus peris*, quarum altera propriis repleta vitis post tergum, altera alienis gravida ante pectus suspensa erat.

Ipsi Scriptores profani, qui solam rationem ducere secuti fuere, hoc jam satis superque agnoverunt. Memorabilis est Graecorum formula: *Non liquet*; et memorabile TRAJANI Rescriptum; *Satis esse impunitum relinqui facinus nocentis, quum innocentiam damnare. L. 5. D. de poen.*

Cum aliorum actiones dirigere, ac moderari, nostrum non fuerit officium, tum solum laudabile iudicium nostrum erit, ex curiositate susceptum, cum in caritate, et alios juvandi animo, et eorum perfectiones promovendi principium habeat.

Imputationis subjectum, obiectum, et fundamentum.

§. 195. Quis autem imputationi subjectus sit, quidve obiectum, et quoddam illa fundamentum habeat, ex hucusque dictis haud difficulter perspicitur. Cum enim solum actiones morales illi hominum actus dicantur, quorum auctores, et conscii; hi autem sint tantummodo, qui in intellectu, et libertate principium habeant (§. 72, et 73); et cum solum etiam bonae, aut malae, justae, aut injustae eae dicantur, quae legi fuerint convenientes, aut disconvenientes (§. 89); evidens sane, 1) iis tantum imputanda facta, qui ratione, ac libertate praediti; 2) ac proinde in illis tantum factis locum imputationem habere, in quibus moralitas aliqua detegatur, seu quae scienter, ac libenter homo fecerit; et 3) in quibus bonitas, malitiae adsit (§. 89), sive

ad quae homo facienda, vel non facienda lege aliqua adstringatur; nulla enim obligatio sine lege (§. 49).

Actiones ex defectu rationis ab imputatione immunes.

§. 196. Cum itaque in his tantummodo actionibus locum habeat imputatio, quae aliquam moralitatem habeant, seu quae scilicet, et libenter homo faciat (§. 73), et quas homo agere, vel non agere lege aliqua teneatur (§. 59 et 51); prout sunt, alicui ab imputatione quidem immunes esse, I) actiones in statu imperfecto (§. 103), infantiae scilicet, continuae dementiae, furoris; II) in statu ignorantiae invincibilis (§. 187. Schol.) III) summae ebrietatis, ac inver-
 humanitatis; et IV) somni pertratae (§. 55 et 73).

Ex ignorantia, ac errore Juris perpetratae.

§. 197. Illud animadvertendum tamen, nullam ignorantiam Juris invincibilem dici Naturalem enim cum in essentia naturae hominis principium habeat, a nemine, debita adhibita diligentia, ignorari potest (§. 133).

Civile autem, cum sufficienter perit vulgatum sit, et illud addiscendum, inquirendum, et de illo Jurisconsultus consulendum, cives omnes tenentur.

Interim tamen negari non potest, actatena

stupiditatem, institutionis defectum, et difficiliorem aliquam hypothesein, et collisionem, in quibus etiam ingenio exercitiores suspensi, ac incerti haesitant; sicut et innumerabilem legum quantitatem, quibus hodie adeo compacti legum Civilium Codices existant, ut ipsi etiam Jurisconsulti plerumque notitiam certe quidem non habeant, mitiorem sententiam suadere (§. 63).

Schol. Omnium fere Nationum leges feminis, militibus, rusticis, et minoribus indulgere solent; praesertim si de damno vitando certent, et peritiores consulere nequeant.

Ex ignorantia, ac errore facti.

§. 198. Excusabilis quidem est facti error; sunt enim talia alicujus facti adjuncta, quae prudentes etiam effugiunt; et hypotheses obveniunt aliquando, collisionesque tales, in quibus omnia uno temporis momento transiguntur, intra quod vix de justitia, injustitiae suscipiendae, aut intermittendae actionis, quidquam, adhibita in consilium ratione, statere licet.

§. 199. Alio dicendum tamen, si illicita ab initio fuerit actio, veluti si quis philtrom dederit alicui, et praeter spem consequatur; quamvis enim insperatas omnia fuisset ejusmodi effectus, et involuntarius agentis error, ad illicitam tamen illam omitterendam actionem jam antea erat obligatus.

Similiter 2), si licita fuisset actio, sed loco, tempore, et modo illicita; veluti si quis jaculis interdum in foro ludat, et casu hominem feriat; vel si quis arborem juxta viam publicam putans, non proclamando, ut debebat, hominem caedat: non modo enim per agentem steterat, quo minus in errore versaretur, sed alio loco, tempore, et modo actionem illam suscipere poterat.

In ebrietatis statu.

§. 200. Ebrietas potest esse *involuntaria*; cum quis potui non adsoe factus sine ulla sua culpa, sed alicujus fortasse dolo, inebriatur; vel *voluntaria*, cum quis sciens bibendo inebriari, et in ejusmodi statu turbas concire; sponte tamen suavem illam insaniam sibi attraxit. Potest etiam esse *modica*, aut *modica*, prout ita caliginem mentis offundat, ut actionum suarum minime conscius sit agens, aut adhuc tantum rationis usus relictum quantum ad cognoscendum quod facit sufficiens.

In statu igitur modicae ebrietatis, summeque etiam voluntariae, a debita imputatione immanem non esse hominem ex eo manifestum, quod sibi non ignotum quod facit; et quod ad illicitam illam actionem committendam jam antea erat obligatus.

Schol. Apud Graecos, et adhuc hodie, apud aliquas Nationes, duplici poena afficiebantur delinquentes ebrii; alia, quod crimen commiserint, et alia, quod se vino obruerent.

In somno.

§. 201. Duplicis sunt generis actiones in somno: paratae; aliae enim 1) per somnium sunt, veluti cum per imaginationem dormienti proponitur ex gravibus aliquo occidi, aut aliquem occidere; vel alia quaevis facere credit, vel facienda decernit, ut piscator THEOCR. (*Idyl.* 22.) per somnium jurans, se nunquam magis pro cythram allatum pcedem 2) et 2) aliae per somnium, qualia narrantur de noctambulis, et lunaticis, ut aiunt, nocte surgentibus, et actiones aliquas modo bonas, modo malas facientibus; et qualia de infanticidiis a matribus, aut nutricibus, cum infantibus dormientibus, commissis disputari solent.

§. 202. Equidem non imputandas ejusmodi actiones, quas somnians, vel dormiens quis legerit, saltem in humano foro, res evidens est; seclusa enim facultate ratiocinandi, eveniunt, et omni moralitate carent (§. 55 et 73). Quoties vero per nos steterit ejusmodi imagines in somnio reproductas culpae, et malis actionibus vigilantes indulgentes, easque veluti provocando, indubium quoque nos ipsam illarum causam moralem dici posse, et consequenter imputationi subjectos.

Virtutis incrementum ex somniis animadverti posse, jam aiebat PLUTARCHUS in *Libel. de profectu virtutis sensientis*.

Actiones ex defectu arbitrii, ac libertatis, ab imputatione immunes.

§. 203. Quoniam objectum, seu materia, in qua versatur imputatio, sine tantum actiones morales (§. 195); morales autem dici nequeant, nisi quae ab homine rationis compote susceptae, et ei subjective contingentes, ac liberae (§. 17, et 55), consequens est, mutationes, quae sine arbitrio, ac libertate in nobis existunt, imputationem non admittere; et hinc, ex defectu arbitrii, ac libertatis, nec I) motus vitales, et physicos (§. 72); nec II) actiones, aut omissiones in necessitate interna, aut externa absoluta principium habentes (§. 76 — 80); nec III) casus fortuitos, seu eventus ex fortuna, hoc est ex imprevisis, aut saltem inevitabili causarum nexu emergentes; nec IV) facta unice ab altero producta, nobis in praemium, aut in poenam imputari oportere (§. 55, et 73).

De physicis, et interna necessitate impossibilibus, et fortuitis.

§. 204. Sed quamvis, et generatim loquendo, ea vera sint, non ita tamen intelligenda, ut nullam unquam habere exceptionem credamus. Quoties enim ad cujuslibet

actus existentiam quolibet modo homo conferat, partem in eo habere, et ejus dicendum auctorem, minime revocari potest in dubium (§. 195).

§. 205. Experientia enim docet, 1) posse hominem vitales, naturalesque motus turbare (§. 72): 2) corporis sui vires mollitie, in-
gluvie, ebrietate, aliisque vitiis, vel etiam immodico labore frangere, atterere, ipsis-
que morbis, et corporis deformitatibus, et impotentiae suae physicae occasionem prae-
bere; sicut et 3) morali, si nullam in fa-
cultatibus suis excolendis operam, diligen-
tiamque ponat, et occasionem, quam a puero fortasse habuerit, negligat, prorsus; ac proinde in ignorantia, ac erroribus culpa sua maneat: posse 4) bona dissipare, et ita sua culpa ad aes alienum solvendum inhabilem se reddere; et posse 5) socordia sua occasionem agendi, amittere, et ipsis eventibus, qui fortuiti dicuntur, causam praebere, ut navarchus incuria sua naufragio; colonus sterilitati; incautus incendio; decoctor paupertati; intemperans infirmitatibus, cet. Quis ergo in dubium vertat, ejusmodi actiones, et omissiones, tamquam a voluntate hominis provenientes, ac moralitate instructas, imputationi debere esse obnoxias?

Schol. Experientia constat, quamplurimos homines socordia, et culpa sua esse caecos, surdos, mutos, mancos, claudos, morbosos, et deformes. Sunt etiam, qui sponte

membrum aliquod sibi amputant, ex. gr. digitos, ne injuriae nomen dare cogantur. Equidem quamvis in foro humano neque impotentur, neque putantur vitia corporis, ipsaque simplicitas, et stultitia, non ita tamen in divinis

Ab affectibus, et habitibus provenientibus.

§. 206. Eadem ratione ab imputatione non erunt immunes actiones illae, quae in affectibus, et habitibus, quamvis diuturna consuetudine firmatis, vel etiam in corporis temperamento, ut aiunt, principium habent; libertatem namque minime tollunt, neque ita comparatae, ut debita adhibita diligentia superari, ac emendari nequeant (§. 36, et 37).

Schol. Rationales Philosophiae Doctores de causis errorum nostrorum generaliter agunt, et speciatim tam de illis, qui eadem in se habent, atque ex affectibus, habitibusque nascuntur, quam, qui in corpore, externisque etiam causis. Possibilia etiam emendandi media, et omnium emendationem visibus nostris non repugnare, et pleraque ex incuria nostra provenire, consequenterque imputationi subjecta, satis superque explicant. Supervacuum igitur ea repetere.

Ab alio patratiss.

§. 207. Quamvis nemo declarari auctor, ac proinde actionis consecrariis subijci non possit, quam non ille, sed alius patriverit (§. 73); cum tamen non modo physice, motu scilicet corporis, et proxime ad quamlibet actionem nos conferre possimus; sed etiam moraliter, et remote, interventu scilicet rationis, ex. gr. actionis ideam quibuscumque modis producendo, alterius voluntate

tem movendo, *c)* media suppeditando, et *d)* impedimenta tollendo; manifestum sane, actionis, quam physice alter patriverit, etiam aliquando nos dici posse auctores, causamque efficientem; consequenterque vel aequae, vel magis etiam; quam ejus causa physica, et proxima, culpabiles nos esse.

Diversae actionis cujuslibet causae.

§. 208. Hinc pro rectae imputationis judicio instituendo, diversae considerandae cujuslibet actionis *causae*. Quidam enim sua tantum vi agunt, et dicuntur *causae actionis unicae, et solitariae*: quidam autem alteri agenti vires suas accommodant, et sunt *causae auxiliatrices, aut sociae*; caeque *aequales, aut non aequales*, prout pati, aut majori vi operentur; *praecipuae* nominatae, quae plus, et *administratae*, quae minus conferant: deinde quae ita actionem antecedunt, ut nulla alia interjecta sit, *proximae*; ceterae *remotae*: tandem quae effectum per se producant *immediatae*; et *mediatae*, quae per alium effectui existentiam tribuunt.

Causae morales.

§. 209. Ad causas *mediatas, seu morales* in specie dictas, si porro accensentur, a quorum libertate actionem ab altero patrari, nec non patrari quodammodo pendeat, quod quidem quatuor contingere modis potest;

1) si nimirum quis actionis ideam sermone, exemplo, aut consilio alteri producat: 2) si illius voluntatem imperio, precibus, minis, palpatione ad agendum permoveat, sollicitet, instiget, exhortetur; aut saltem agere volentem, idem se velle declarando, seu adjecto consensu, confirmet: 3) si actionis suscipiendae, vel occultandae locum, tempus, modum, aliave idonea suppeditet remedia: si demum 4) actionem molienti non inferat, cum posset, vel verbis, vel factis impedimentum. Hos enim cunctos influxisse in actionem, ejusque esse participes, atque consortes manifestum est.

Schol. S. Thom. in 2. 2. q. 66. art. 7. ea omnia sequentibus versiculis explicavit:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstands, non manifestans.*

De harum imputatione.

§. 210. Quae hactenus de actione auctori imputanda diximus, ea ad quamlibet causam liberam efficientem, seu ad omne auctoris genus applicanda sunt. Non aequa tamen lance suspendendae actiones physice aequales, moraliter vero differentes; sed, priusquam judicium de actione qualibet instituamus, ejus circumstantias omnes, nimirum *quis, quid, cui, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, admissim explorare debemus; et deinde *I.* ad rationem, ac liber-

tatem, tamquam ad pondera, ac mensuras, actionem exigere, illamque eo meliorem, aut peiorem judicare, 1) quo graviora agendi, vel non agendi momenta perspicere agens potuit; 2) quo plures habuit in sua potestate agendi modos; et 3) quo magis sponte sua egit: et II. ad legem ipsam respicere; legis enim robur ex obligationis quantitate, ea vero ex momenti cum actione copulati pondere, et viribus aestimatur (§. 60), consequenterque nunc maiores, nunc minores leges a nobis custodiri, ac violari posse, et porro tam peccata, quam recte facta disparia aliquando esse, nullum dubium.

Regulae a Puffendorfo praescriptae.

§. 211. Eximiae quidem pro causarum moralium imputatione tres a clarissimo PUFFENDORFIO proponuntur regulae:

I. „ Quoties alter alterum cogit, cui in „ obsequio gloria relicta est, vel permittit „ alteri quid, quod impedire poterat, et de- „ bebat; toties causa moralis pro principali „ et physica pro minus principali habenda; „ ideoque in illum maior, quam in hunc, „ poena statuenda.

II. „ Quoties alter conducit, alter locat „ operam male agendi, vel alter alteri operam „ fert, toties par utriusque reatus est.

III. „ Quoties alter alterum tantum con- „ silio, vel pravo exemplo ad malum agen-

CAP. VIII. DE IMPUTATIONE. 135

„ dum instigavit, toties ipse pro causa mi-
„ nus principali; instigatus pro principali
„ habenda.

V. PUFFEND. *de Off. H. et C.* L. I. C. I. §. 27.

*Ex gradu moralitatis imputationis mensura
deducenda.*

§. 212. Exposita itaque imputationis ma-
teria, de ejusdem quantitate disseramus. Cau-
sa et fundamentum, ob quod imputantur fa-
cta, est eorum moralitas (§. 195), quae in pro-
ventu actionis ab intellectu, ac libertate col-
locatur (§. 73); et cum ex quantitate causae
quantitatem effectus dimetiri oporteat, palam
est mensuram imputationis in magnitudine,
et gradu moralitatis, atque adeo intellectus,
ac libertatis, contineri (§. 73 *Corol.*). Un-
de magis minusve quis actionis auctor dicen-
dus, et eo maiori, vel minori praemio, aut
poena dignus censendus, quo maiori, et am-
pliori, vel angustiore ratione, et libertate in
agendo potitus fuerit.

*Actiones ex ampliori rationis, et libertatis
usu, maiori imputationi subjectae.*

§. 213. Severius itaque judicandae: I.
Actiones dolosae, et deliberatae, et ex iis
quibus liberius decretum, propositum, et in-
tentio primaria, directe accesserit; quam
culpabiles tantum, et non deliberatae, sed
ex ignorantia, et errore superabili, ac proin-

de ex debitae diligentiae defectu , et sine ulla prava intentione perpetratae : II. Actiones difficiles , et compositae , et ad quas non peragenda plurima momenta impellunt ; quam faciles , et simplices , et ad quas peragenda commoda se offert occasio , plurimaeque intrinsecae circumstantiae sollicitant : III. Actiones voluntariae , et ultroneae , ac plane liberae ; quam involuntariae , hypothetice coactae , et invitae : IV. Actiones ex voluptate , et extra collisionis statum peractae ; quam ex aegritudine , vehementisve alicujus affectus aestu , collisionis statu , aut ad quas peragenda ex longo habitu quis assuefactus : V. Actiones ab homine maturae aetatis , docto , dignitate , officio , vinculove aliquo ligato ; quam a juvene , femina , stupido , nullave dignitate , officio , aut vinculo obstricto. VI. Rigidius etiam judicandae causae morales praecipuae ; quam subjectae , et ministrae : et hinc magis etiam qui aliquid jubent fieri , vel requisiti consentiunt , ut fiat ; quam illi , qui jubentis , et volentis negotium unice expediunt , qui silent , qui adsentantur.

Schol. *Dolus* est propositum , ac intentio illud agendi , quod facere non debere probe scimus. Distinguitur in *dolum ex proposito* , qui actionem antecedit ; et *ex re* , qui eam sequitur : ex. gr. cum quis , sciens margaritas esse falsas , pro veris vendidit ; aut ignorans , venditionem tamen postea approbavit. Aliquando dicitur *bonus* et *excusabilis* , cum propter aliquem finem bonum , et legitimum adhibetur , qualis quaevis calliditas , ex. gr. qua utatur a laetronibus obsessus.

Culpa est omissio debitae, ac necessariae diligentiae. Ejus varii distinguuntur gradus, quos ICI Romani per *culpam latam, levem, et levissimam* explicant, argumento ducto a patrefamilias indiligenti, diligenti, diligentissimo.

Deliberare dicitur, qui rationes, cur, quomodo, et quando, et an agere oporteat, secum animo volvit. *Decernere*, qui instituta deliberatione, hoc vel illud factum, aut non factum praecipit.

Propositum, seu *proaeris*, est voluntatis actus, quo decreti executionem determinat. *Intentio* voluntatis finis praecipit; *primaria*, cum quis finem propositum spectat, et propter eum agit; secus *secundaria: directa*, cum id intenditur, propter quod agitur: *indirecta*, cum agens id non vult, quod ex actione sequitur, sed quod ex ea sequi etiam potest.

Occasio dicitur circumstantiarum praesentia; nimirum 1) actionis objectum; 2) tempus opportunum; 3) nullum impedimentum insuperabile; et 4) vires tam physicae, quam morales.

Demonstratio,

§. 214. Cum enim ex magnitudine moralitatis imputationis quantitas aestimetur; moralitas autem ex maiori, vel minori rationis, et libertatis usu (§. 212); et rationis, ac libertatis robur ex maiori idearum distinctarum numero, habitu attendendi, reflectendi, judicandi, et ratiocinandi etiam aestimetur; illud manifeste evincitur, quod, quo magis quis cogitationem suam in factum defixit; quo plures ejus partes vidit; quo distinctius totam rem perlustravit; quo fortiora sibi agendi, vel non agendi motiva praesentia fuere; quo plura agendi media detegere, ac eligere potuit, et sibi contingentia fidere; et quo magis spontanea ac libere se inclinare, vel de-

elinare , et physicos motus in usu ponere potuit , tanto magis quidem facti auctor , et maiori praemio , aut poena dignus censendus sit ; quam qui ob aetatem , crassiorem educationem , experientiaeque defectum , ratione sua quodammodo uti nesciat ; et quam ille , cui afflictatio , angor , dolores , sanguinis commotio , et diuturni habitus deliberandi facultatem extenuant. Equidem quamvis malae horum omnium actiones , quia ad legem eas accommodare , et omnem in suo adimplendo munere diligentiam adhibere tenebantur (§. 99) , consequenterque ab imputatione non immunes ; in foro humano tamen commiserationem aliquam merentur , et ut mitius necessitatis favore iudicentur (§. 63).

Vid. PUFFENDORF. *de J. N. et G. L. 1. C. 5. §. 8. et 9. ; de Off. H. et G. L. 1. C. 1. HEANTZ. de J. N. et G. L. 1. C. 4. DE FELICE, Leg. 19.*

CAPUT IX.

DE JURIS NATURAE PARTIBUS, EJUSQUE
USU, ET PRÆSTANTIA.

§. 215. **E**Xpositis obligationibus , juribus , et officiis hominum generationis ; aptioribusque mediis ea exsequendi , seu ad legem

attemperandi ; et de actionum nostrarum , tum antequam , cum postquam eas susceperimus , moralitate judicandi ; ordinis expostulabat ratio , ut in praesentia de unoquoque officiorum speciatim verba faceremus. Cùm tamen necessarium sit etiam varias non ignorare partes , in quas , pro meliori ratione illud tradendi , hujusce pulcherrimae Scientiae DD. Jus Naturae dividere solent ; peropportunum hoc in loco de Juris Naturae partibus , et ejus usu ac praestantia , aliqua dicere.

Variae Juris notiones.

§. 216. Vocabulum *Jus* , ut jam observavimus , *δικαίωμα* est (§. 52. *Schol.*). Accipitur enim 1) pro facultate morali agendi ; 2) pro eo , quod bonum , et conveniens ; 3) pro lege ; 4) pro legum determinati cujusdam generis complexu ; et 5) pro Jurisprudencia.

De Jure pro complexu legum accepto.

§. 217. Cum pro complexu legum accipitur , tot denominationes , et cognomina sortitur , quot legibus , quibus componitur , tribui solent , vel ratione 1) auctoris , vel 2) subjecti , vel 3) objecti , vel 4) formae (§. 56 , 57.). Unde 1) Jus Divinum Naturale ; Jus Divinum Positivum ; Jus Ecclesiasticum ; Jus Civile : 2) Jus Lusitanum , Hispanicum , Anglicum , cet. : 3) Jus Civile , Criminale , Mi-

litare, Nauticum, Agronomicum, cet.: 4) Jus Praeceptivum, Prohibitivum, Permissivum, Praemians, Puniens,

Pro Jurisprudencia.

§. 218. Dicitur *prudencia* habitus, seu promptitudo et facilitas subsidia scientia et arte acquisita prompte exsequendi, ut quilibet praepotatus finis obtineatur. Nititur itaque prudentia 1) scientia, seu cognitione clara, ac evidenti; 2) in arte, seu facilitate per mentis, et corporis vires efficiendi, quod solo naturae beneficio fieri nequit; et 3) in sapientia, seu habitu actionibus nostris convenientes praescribendi fines, eos principali subordinandi, et media apta ad illos consequendos eligendi. Cum ergo de *Jurisprudencia* loquamur, evidens subintelligi *Habitus leges, obligationes, jura, et officia demonstrandi, et eis quaslibet obvientes species, seu actiones nostras accomodandi, vel eas actionibus nostris applicandi.*

Schol. Non modo inservit Jurisprudencia ad legibus actiones nostras conformandum, aut de eis jam susceptis judicandum, sed, ut observat CICERO I. de Orat. 48, ad respondendum, agendum, cavendum, scribendum, et novas etiam leges ferendum. Unde *Jurisprudencia Judicialis, Consultatoria, Erematica, Formularia, et Legislativa.*

Quis Juris peritus, Juris sciens, Juris prudens,

§. 219. Ut itaque Jurisprudens, aut Jurisprudenciam tenere, quis dicatur, non quae-

vis cognitio satis ; sed quae certis , et evidentibus nitatur principiis , et ex eis conclusiones legitimo nexu ducantur , et conclusionum , ac principiorum inter se cohaerentia distincte percipiatur.

Unde legum et jurium notio experientia tantum acquisita , etsi factis disceptandis sufficiens , *Juris peritia* dicitur ; per principia , et cum habitu demonstrandi , *Juris scientia* ; per principia , et cum habitu demonstrandi , et species obvenientes eis applicandi , aut eas factis , *Jurisprudentia*.

Hinc manifestum quoddam inter *Juris peritos* , *Juris scientes* , et *Jurisprudentes* sit discrimen. Illos , qui verba legum tantummodo tenent , non vero earum vim , ac potestatem , *Leguleios* nominat CICERO ; et , qui Jurisprudentia dolose abutuntur , *Rabulas*.

Diversae Jurisprudentiae species.

§. 220. Cum ergo Jurisprudentia sit clara legum cognitio cum habitu eis actiones nostras accommodandi , vel eas nostris actionibus applicandi , tot ejus assignari species possunt , quot legum , quarum cognitionem quis habeat , fuerint genera , et species. Unde Jurisprudentia Divina Naturalis ; Divina Positiva ; Ecclesiastica ; Civilis : Civilis autem Lusitana , Hispanica , cet. , prout subjectum , objectum , aut earum forma (§. 56 , 57).

Schol. Romani Jcti. *Jurisprudentiam* dicebant divinarum, et humanarum rerum notitiam, justis, et injustis scientiam: latissime quidem, sed partim ex aemulatione, quae inter eos, et Philosophos gliscebat; et partim, quod in Romanis legibus de Jure Pontificio, Feciali, et de rebus sacris ageretur.

De *Jurisprudentia Naturali.*

§. 221. Ex his autem elucet, *Jurisprudentiam Naturalem*, in toto suo ambitu acceptam, esse *Habitus leges, obligationes, et jura naturalia demonstrandi, eisque actiones nostras accommodandi, et eas speciebus obvientibus applicandi*, adeoque in omnibus versari officii, quae DEO, sibi, atque aliis deberi solius rationis usu intelligi potest. (§. 172).

Jurisprudentia Naturalis Absoluta, et Hypothetica.

§. 222. Et cum leges, obligationes, jura, et officia a Natura praescripta, vel ad absolutum, et primaevum hominem statum, vel ad adventitium, et hypotheticum referantur (§. 144); *Jurisprudentia* autem a legibus, super quibus versatur, distinctionem accipiat (§. 220); planum, ac manifestum, *Jurisprudentiam*, seu *Jus Naturae*, in *Jus mere Naturale*, seu *Absolutum*, et in *Jus Naturale Hypotheticum* non immerito distingui.

Jus mere Naturale, seu Absolutum.

§. 123. *Jus mere Naturale, seu Absolutum.*

zum illud dicimus, sub quo leges, obligationes, jura, et officia hominum comprehenduntur, quae ad eos simpliciter, et ut homines consideratos; vel sub sola relatione ad DEUM, se, aut ad singulos alios sui similes; vel in statu primaevo, civili scilicet opposito (§. 114), quovisve alio a Natura collocatos spectant.

Dici solet ea juris Naturae pars *Jus mere Naturale*, *Jus Ethicum*, *Philosophia Moralis Universalis*, et etiam *Jus Sociale generatum*, quia speciatim super moribus hominum versatur, et leges, ac officia ad homines in statu naturali, seu in Universali Societate per totum terrarum orbem sparsa a Natura, sine ullo eorum facto, collocatos complectitur.

§. 124. Ab *Ethica* autem differt, quod, facta separatione Scientiarum Moralium a *Philosophia Practica*, sub *Ethices* appellatione illa intelligitur scientia, quae praesidia, et media aptiora edocet, quibus divinarum legum praecepta facilius adimpleri, exsequique possint; sub autem *Jure Naturali* legum Naturalium complexus, quas Naturae Auctoris cognitio, et contemplatio suggerit.

*Jus Naturae Hypotheticum non Sociale,
et Sociale.*

§. 125. Quod autem ad *Jus Naturale Hypotheticum* spectat, hujus tot enumerari species possunt, quot hypotheses, aut inventa

statutave fuerint, quorum auctores esse homines possint. Cum tamen, principalioribus cognitis, facile quidem quod aliis conveniens definiiri possit, ea omnia ad duas tamquam praecipuas hypotheses reducere Majores nostri (§. 168), 1) ad introductionem scilicet *proprietas*, et *dominii*, vi-cujus status originarii pars cessavit, et diversa accesserunt jura, consequenterque inaequalitas invaluit: et 2) ad *societatum* institutionem, ex cujus factore certa quaedam jura, ac officia provenerunt, quae ad homines ante factam associationem minime pertinebant. Hinc generalis distinctio *Juris Naturae Hypothetici* in *non Sociale*, quod scilicet circa jura rerum versatur: et *Sociale*, quod circa jura, et officia, quae ad homines in aliqua societate viventes spectant.

Jus Naturae Hypotheticum non Sociale.

§. 226. Sub ea *Juris Naturae Hypothetici* parte, quam *Jus non Sociale* dicimus, ea omnia jura, et officia comprehenduntur, quae ad hominem in quovis statu, praeterquam *Sociali*, constitutum pertinent. Cum autem praecipuae, et maximae hominum curae super rebus ad vitam commode traducendam necessariis praesertim versentur, et ea plerumque sint, quorum causa inter homines dissidia, et quam maxime eorum animi dissociantur, non immerito ea *Juris Naturae* pars in ordinem digesta fuit, ut in ea

jura officiaque hominum exponerentur, quae ad rerum legitimitam acquisitionem, et domini usum spectarent; sicut et ad modum pacta, contractusque suos legitime celebrandi, res, operasque suas communicandi, et perfecta reddendi illa officia, quae solum imperfecta erant.

*Jus Naturae Hypotheticum Sociale,
et I. OEconomicum.*

§. 227. Diximus *Jus Naturae Hypotheticum Sociale* esse, quod obligationes, jura, et officia hominum in aliqua Societate viventium comprehendit (§. 225). Cum vero fines, quorum gratia homines junguntur varii sint, ac multiplices, ideoque et plurimae societatum formae esse possint, inter eas tamen quam maxime innotescant, 1) *Conjugalis*, quae in sobole procreanda; 2) *Parentalis*, quae in educanda; 3) *Famularis*, quae in operis pro rebus praestandis; 4) *Domestica*, quae in binis saltem ex hisce finibus obtinendis; et 5) *Anarchica*, quae in mutua defensione sine communi imperio occupantur; hinc ex illarum legum complexu, quae obligationes, jura, ac officia hominum in qualibet harum societate viventium continent, alia *Juris Naturae Hypothetici* invaluit pars, quam *Jus Naturale Sociale*, aut *OEconomicam Universalem* dixere.

§. 228. Non ideo tamen *OEconomicum* fuit dictum, quod res externas acquirendi, augen-

di, conservandi, et administrandi media praescribat; ea enim, facta Juris Naturae a Philosophia Practica separatione; *Oeconomiae particulari et practicae*, ceterisque scientiis, quae vulgo *Camerales* dicuntur, relicta fuit; sed quod obligationes, jura, et officia doceat, quibus bona comparari, evitari mala, et finem specialem uniuscujusque societatis, et ultimum creationis, ceterosque intermedios facilius adimplere, ac obtinere possimus.

ARISTOTELES fuit primus, qui, duos libros de officiis ad statum socialem pertinentibus scribens, *Oeconomicorum* inscripsit, quasi domesticarum legum tractatus, ut vocabuli compositio denotat ab *oikos domus*, et *nomos lex*.

II. Politicum.

§. 229. Cum autem ex recensitis societatibus illa tandem maior coaluit, quae vocatur *Civitas*, seu coetus hominum sui juris sub eodem communi imperio securitatis causa colligatus; et, hoc posito facto, nova quasi materies resurgit, diversae scilicet obligationes, jura, et officia, Naturae legibus subiecta, ad quas nimirum cives, seu ii, qui in Societatem Civilem coaluerunt, actiones suas componere debent; aliam etiam Juris Naturae Hypothetici Socialis partem ex illarum legum complexu deductam Majoribus nostris constituere placuit, quam *Jus Civitatis*, *Jus*

Publicum Universale, et *Jus Politicum*, a *vniuersa civitate*, denominaverunt, sicut jam fecerat ARISTOTELES, octo suos libros de hisce officiis *Politicos* inscribendo.

§. 230. Differt autem *Jus Naturale Politicum* a *Politica* strictius accepta, quod facta separatione Scientiarum Moralium a Philosophia, Theologia, et Jure Civili Romano, *Juri Naturali Politico* earum legum, jurium, et officiorum, quae ad Societatem Civilem conservandam, ac perficiendam spectant; *Politicae* autem an praesenti Civitatis statui convenientes, perniciosaeve sint, et mediorum, quibus exsequendae, relictum fuit examen.

III. *Jus Gentium.*

§. 231. Et cum homines in Societate Civili manentes familiam quamdam, seu Gentem (a), constituent, ab aliis omnino separatam, ac independentem, in naturali primaevo aequalitatis ac libertatis statu viventem; interim tamen iisdem obligationibus ac officiis, ad quae homo quilibet ad alterum, erga alias ejusdem generis societates subjecti; sed diversa tamen applicatione, prout scilicet occasio, obvenientesque illius status eventus exigant; non quidem sine sufficienti ratione

(a) Sub *Gentis* appellatione integra familiarum multitudo continetur, quae 1) vel genere et agnatione; 2) vel patrio solo, ac moribus, vel simul, perpetuo liberae societatis vinculo ad mutuam securitatem sub eodem communi Imperio inter se colligatae sunt.

altera Juris Naturae pars, fuit inducta, quam *Jus Gentium* denominavere.

Est itaque *Jus Gentium* idem *Jus Naturae*, negotiis Gentium applicatum; seu, ut ait HOBBS. ac HEINEC., per notionem Gentium determinatum.

Corollar. In quinque igitur partes Universum *Jus Naturae* dispescitur, scilicet I. in *Jus Naturae Absolutum*, seu *Ethicum*; II. in *Hypotheticum non Sociale*; III. in *Hypotheticum Sociale Oeconomicum*; IV. *Politicum*; et V. *Genium*.

Methodum itaque Clariss. PUFFEND. de *Off. Hom. et Civ.*, et HEINEC. de *J. N. et G.* sequuti hoc in libro duas primas partes, et reliquas in altero exponemus.

Juris Naturae usus, et praestantia.

§. 232. Sunt qui *Juris Naturae* Disciplinam inanem, ac supervacaneam omnino esse contendunt, 1) quod nulli homines hodie in naturali ac primaevo illo aequalitatis ac libertatis statu, sed in Civili tantum Societate vivant, proprio necessariorum legum Codice fruenter, illi statui accommodato, suaeque jura tam interna quam externa continente: 2) quod latis Evangelicis legibus revelata satisque explicata maneant omnia Naturae legis praecepta, quotquot fini creationis ultimo, intermediisque ceteris obtinendis necessaria sunt.

Jure Civili privato Nationum negotia non moderantur.

§. 233. Pauciores quidem sunt homines,

qui in naturali primaevoque statu vivunt. Adhuc tamen primaeva aequalitate ac libertate utuntur Nationum Rectores, Civilesque Societates omnes. Licet itaque sua jura tam interna quam externa determinata habeant, ea tamen re quidem particularia sunt, atque idcirco definiendis quibuslibet dissidiis, quae inter Nationes erumpant, minime sufficientia (a); Jura enim Civilia subditorum actiones tantummodo dirigunt, non vero Imperantium, qui soli DEO, solisque legibus divinis subjecti, nec Nationum aliarum; quod enim jure una alteram suis legibus, suoque judicio subjici vellet, eodem jure haec vicissim peteret, ut altera suas leges, suumque judicium in agendo sequeretur.

(a) Quis non ridebit *Taborem* Ictum, qui a Principe suo in *Senatum* sanctiorem lectus, cum de Gallorum incursionibus reprimendis consultabatur, *actione legis Aquiliae* opus esse proponebat!

Neque Evangelicis legibus.

§. 234. Neque sufficientes ad id etiam Evangelicae sunt leges. Equidem officia tam Imperantium, quam Subditorum ex eis generatim deduci possunt, nimirum, ut Imperantes vitam quietam ac tranquillam agere cives curent (*PAUL. Ep. I. ad Timoth. C. II.*); ut hi auctoritatibus constitutis subditi sint, et tributa ac vectigalia persolvant (*Epist. ad Rom. C. XIII. v. 7*); ad species tamen singulares minime

descendunt, neque pro scopo primario habent negotia Nationum regere, veluti jura foederum, pactorum, legationum, belli, pacis, magistratus creandi, tributa, ac vectigalia exigendi, cet.

Deinde necessarium erat, ut Nationes omnes Sacri Codicis auctoritatem recognoscerent, quod quidem, miserandum! non ita evenit.

Est Jus Naturae a Divino Positivo valde differens.

§. 235. Et quamvis eundem Auctorem habeant Leges Divinae Positivae ac Naturales, et eum a semetipso dissentire, et leges essentia immutabiles tollere, omnino repugnat, immo in Evangelicis legibus Naturales summa circumfuderit luce, et praemiis atque poenis omnium maximis muniret (MATTH. XXVIII. 19. MARC. XXVI. 15); valde differens tamen est Jus Divinum Naturale a Jure Divino Positivo. Prius enim leges complectitur aeternas ac necessarias, quaeque, ex ipsa DEI, rerumque conditarum essentia, ac natura, solius rationis ope intelligi possunt (§. 56); posterius autem continet etiam praecepta *de mysteriis* ac *sacramentis*, quae humanam utique superant rationem, et versatur in legibus extra naturam, ut nobis cognita est, petitis, et eatenus fortuitis, seu voluntariis, quasque divina primum auctoritas, seu revelatio, vel

toti humano generi , (quales Evangelicae leges , ideoque Jus quoddam Positivum Universale constituentes) , vel alicui tantum Genti patefecit.

Solo Naturae Jure negotia Gentium reguntur.

§. 236. Quoties itaque dissidia controversiaeve quaeque inter Nationes exstent , certa utique et communis regula opus est , ad quam ejusmodi negotia exigantur , et determinentur. Et cum neque in Jure Civili , neque in Evangelicis legibus , subsidia ad id reperiantur specialia , illud tantummodo superest , ut ad legem Naturae , quae sub norma *Juris Publici Universalis* , et *Juris Gentium* venit , veluti universalem omnino populorum regulam recurramus. Eam enim ipsa ratio , seu potius DEUS , rationis auctor , inter omnes Gentes , quantumvis linguis , et regionibus dissitas constituit , et eam populi omnes , qui non plane obbrutuerint , agnoscunt , et ad eam actiones suas adtemperandas teneri fatentur (§. 134). Mirum , quantae clades saepe numero ob Juris Publici et Gentium ignorantiam , consequenterque aptioris viae sua dissidia componendi , inter Nationes gliscant.

Schol. Fuit tempus , quo Regum , et Gentium dissidia ex Justiniano Codice , Sacra Scriptura , Pontificum Decretis , et Scholasticorum dictis decidi posse , et oportere existimabatur. Veteres illi Icti Glossatorum nomine cogniti , homines valde quidem Juris scientes , sed vitio saeculi barbari , omnia ad jura belli , et pacis , foederum ,

K. 2

et legationum spectantia, adeo copiose in Jure Romano pertractata credebant, ut qui comprehensas in diffusa illa Juris Justinianei collectione leges imbibisset, et multis vigiliis excussas veluti in succum, et sanguinem converteret, eum tamquam ex tripode de omnibus oracula fundere posse jactarent. Non animadvertabant boni illi viri, quam parum ponderis apud gentes Juris Romani ignaras, et a Christiana pietate alienas, habitura essent argumenta ex Jure Justiniano, Sacro Codice, Jure Pontificio, et *S. Thomae*, *Alberti Magni*, *S. Bonaventurae*, et aliorum operibus deprompta. Idem ipsos consequuturos credo, ac si *Turcae Mahometem* suum, et *Sinenses suum Confucium* inter nos Judicem constituere voluissent.

Necessarium itaque Juris Naturae studium.

§. 237. Non itaque inanes ac supervacaneae post Evangelicarum legum promulgationem, Civiliumque Societatum institutionem, Naturae leges manserunt. Naturae praecepta hominem, in quocumque statu vivat, comitantur, ab eorumque obligatione nemo se exsolvere, neque ab auctoritate ulla constituta exsolvi potest (§. 139 et 148), consequenterque nec illorum usum, aliis novis sancitis, exolescere unquam licet, nec eorum cognitionem ac studium obliterare fas est.

Eximius Juris Naturae usus in Theologia Dogmatica.

§. 238. Mirum sane quanto subsidio, quantaque luce inserviat Juris Naturae cognitio omnibus illis, qui Moralibus Scientiis dant operam. Qui eo subsidio ornati ad Theologiae, et utriusque Juris studium accedunt, nescio quid praeclarum et singulare existere, ac in illis distingui solet.

Id vero exacta Juris Naturalis cognitio praestat Theologiae positivae, ut non modo sufficientis praemii, vel poenae naturalis in mortali hac vita defectus (§. 136), et porro vitae alicujus futurae, imo et Revelationis necessitas intelligatur; sed etiam ut mira Evangelii cum recta ratione in doctrina morum conspiratio plenissime eluceat. Quod si vero inter leges, quas naturalis ratio suggerit, et quae sacris continentur codicibus, aliqua se offerat diversitas, vel opinata quaedam appareat repugnantia; tum quidem solida Juris Naturae principia praesto esse oportet: nec enim aliter veritatem perspicuo intueri; nec, quae in contrarium existunt, dubitationes explicare facile licebit.

Schol. Fuere, qui periculosum esse Juris Naturae studium ex eo declamarent, quod a cultura rationis neglectus revelatae doctrinae sequeretur. Plurimum vero sua illos fefellit opinio; si enim inculta sit, et depressa ratio, quomodo Revelationis veritatem certam, compertamque nobis faciat?

Frustra etiam nonnulli urgent rationis abusum, et gravissimos quorundam interpretum errores. Haec enim hominis vitia sunt, et non disciplinae. Etiam ex falsis sacramentorum litterarum interpretationibus ingentes saepius provenere populorum clades; nihilominus tamen Divino Codici sua auctoritas, et sanctitas semper intacta mansit.

Ac Morali.

239. His porro, qui in dirigendis aliorum conscientiiis, atque in doctrina, quam vocant, casuistica versantur, nisi scientia Juris Naturalis probe sint imbuti, aquam saepius ha-

rere necesse est. Quum enim facta omnia singularia vel memoria discere, vel intelligentia praevidere nullus homo possit; quotiescumque nova causa, consultatiove acciderit, ea profecto ad principia legum universalium exigenda est; ut inde demum, quid justum sit, quidve injustum, certo colligatur. Sed et eo spectat rationis lumen, ut, quae propter indifferentiam objectivam (§. 100.) aliter quidem determinari poterant, si tamen determinata non sunt, Jusibus Universalibus attemperentur.

Schol. Sufficiet capita materiarum, ex quibus hodie confecta est Theologiae Moralis Disciplina, conspiciere, ut colligatur, cur casuistarum, ut aiunt, animi cum a nostro discendi, docendique genere discesserint, saepius vagentur errore, nec habeant semper quid sequantur. Ubi enim prima quaerenda principia, quae in materiis de actibus humanis, de legibus, de peccatis, de justitia et jure, de contractibus, de restitutione omnino sunt adhibenda? An ne aliorum auctoritati se committent adeo inter se dissidentium, ut non raro opinio communis alteri etiam communi objiciatur?

In Jure Civili.

§. 240. Qui ad legum Civilium studium sese conferunt, magnopere sane falluntur, si operae praetium sine hac praestantissima scientia se facturos sperant. Nam si is demum ad veram, atque solidam doctrinam, rerumque scientiam pervenisse dicendus, qui perspectas habeat veritates ex fonte, non ex imprioribus lacunis, haustas; Jurisprudentiae Civilis profecto non alius fons, aliave scaturigo

est, quam Jus illud primaevum, quod non didicimus, accepimus, legimus; verum a Natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, et ad quod non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti fuimus (§. 134).

§. 241. Equidem, ni accedant ea veri Juris, germanaeque justitiae principia, quae, quia sola ab ipso DEO immortali, divinaque ratione proficiscuntur, nullius hominis, populi suffragio tolli, atque abrogari possunt, solidam quidem, ac expressam justitiae effigiem consequi non poterunt, sed umbram, ac imaginem tantum vita destitutam, parumque vel nihil a Jurisperitis different. Quomodo enim, qui leges Naturae ignoret, et qualia jura hominum stricte talia, et qualia permissiva (§. 142); qualia absoluta et hypothetica (§. 144); et quae utrorumque natura (§. 147 — 9) nesciat, *de bonitate absoluta* legum recte judicare poterit, proindeque etiam *de bonitate relativa*, seu an sint vere hominum indoli, ac naturae; regionis climati, tempori, religioni ipsae, ceterisque adjunctis accommodatae?

§. 242. Deinde, si speciatim de Jure Romano loquamur, nemini est ignotum, multa in eo occurrere Populi Romani scita, quae tantum arbitraria sunt, quaedam autem a ratione abhorrentia (a), et quaedam moribus comprobata, qui naturalem evertunt justitiam, et inter vitia et corruptelas referendi. Cui-

nam vero priora a legibus necessariis discernere, et posteriora corrigere sine Jurisprudentia Naturali licebit?

(a) Veluti Jus vitae, et necis in liberos, et servos; in uxores potestas; licere servis naturaliter in suum corpus saevire; liberis ex incestu procreatis *juste* denegari alimenta; et intolerabilis Constitutio illa ARCADII, et HONORII, qua innocentibus filiis perduellium vita *lenitate Imperatoria* concedi dicitur, quia paterno deberent perire supplicio L. 5. §. 1. C. ad Leg. J. Maj., et sexcenta alia.

§. 243. Illud etiam inter Juris Civilis capita postremum non est, quod leges continet de delictis, et eorum poenis descriptas, vulgo criminales. Qua in re cum in primis malefactorum veritas, et magnitudo (§. 212); tum quantitas imputationis (§. 214), et denique poenarum modus, finisque diligentissime pernoscendi sint, quo justitiae explettrici (§. 177) examussum possit satisfieri; et harum materiarum principia in Juris Naturalis disciplina tradantur; non obscurum est illius studium etiam in Jurisprudentia Criminali utramque facere paginam.

§. 244. Denique, si jus constitutum non quavis auctoritatis trutina, sed rationis statera examinari opus est; constituendi quoque juris ab illa summa lege capiendum est exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam ulla Civitas sociata. Quaecumque enim facta naturalem laedunt justitiam, eam nullius legislatoris jussu cohonestari possunt (a).

(a) Talis illa *Sardorum* lex, Ut filii patres senio confectos

clavis interimerent; et illa *Cabadis*, Persarum Regis, ut omnes feminae communes essent, cetera.

In Jure Ecclesiastico:

§. 245. Jus Ecclesiasticum partim ex legibus divinis tam naturalibus, quam positivis; partim ex constitutionibus humanis coalescit. Ex quo conficitur, ut, quae de usu Jurisprudentiae Naturalis cum in Theologia (§. 238 et seq.), tum in Jure Civili (§. 240 et seq.) ante tradita sunt, ea omnia etiam in Jure Ecclesiastico obtineant. Sed et id maxime praestat Juris Publici et Universalis scientia, ut limites inter Ecclesiasticam potestatem, a CHRISTO institutam, et Civile Imperium nullo negotio statuatur: illa enim non tam corpori, quam animo, et fini, qui humanam excedit intelligentiam, destinata est: hoc vero ad scopum spectat ratione sola cognitum; nec actiones mere internas moderatur. Ex horum principiorum neglectione, incredibile dictu, quanta malorum copia sit exorta!

Schol. Ex Juris Naturae, et Publici Universalis sive neglectu, sive ignorantia, aliquandiu obtinuit doctrina de absoluteione subditorum a fidei religione erga suos Reges, de exemptione Clericorum non modo ab oneribus communibus Civitatis, etiam in summa necessitate, sine praevio consensu Pontificis, sed ab ipsis legibus, et Imperantis jurisdictione, etiam gravissima crimina committentium, et alia ejusmodi; sicut et contra, sub salutis publicae praetextu doctrina illa de illimitata Imperantium potestate circa sacra, et mere spiritualia religionis negotia, et alia.

Sane ex quo scientia Naturae Juris excoli coepit; etiam Jus Ecclesiasticum amoeniorum in dies induit faciem. Et licet quosdam hodiernum Juris Ecclesiastici systema offendat, certa quidem non alia est causa, quam quod in Jure Publico Universali sint hospites. Illud interim moneo, neminem gentium Juris Ecclesiastici intima penetrare posse, nisi in Jur. Nat. et Publici Universalis notitia recte sit instructus.

C A P U T X.

DE OFFICIIS ERGA DEUM, SEU DE PIETATE NATURALI.

§. 246. **R**eliquum est, ut de juribus officiisque hominum speciatim verba faciamus. Primum inter omnia locum obtinent officia erga DEUM, et merito; est enim DEUS rerum omnium quotquot sunt, aut esse possunt, principium, et fons; et a quo omnia, et nos creati, et a quo absolute dependemus.

Ad quaedam erga DEUM officia nos teneri natura ipsa docet.

§. 247. Ad quaedam DEO debita officia praestanda teneri ipsa Natura nos edocet. Qui enim animadvertat se esse, et antequam esset, nihil esse, et nihil aliquid producere non posse; et, cum existentiae suae causa esse non possit, ab aliquo ente necessario creatum,

et ab Ente Sapientissimo, Perfectissimo, et Omnipotenti, quia non alius ex nihilo creare poterat substantiam intelligentem, sui, et externarum rerum consciam, et in qua nihil, nisi summa cum ratione factum, detegitur: et animadvertat etiam sine hujus entis nutu se nec existere, nec conservari, nec punctum temporis vivere posse; ab eoque, et eo solo, omnia ad vitam necessaria sine intermissione accipere; et consequenter ab eo, tamquam parente, domino, et gubernatore dependere (§. 127), ejus animae statim ideae amoris, devotionis, reverentiae, obsequii, servitii, grati animi, cet., non observari non possunt.

Horum officiorum principium.

§. 248. Haec officia, quae per *pietatem*, seu *religionem* denominamus, principium, ac rationem sufficientem habent in DEI voluntate, et obligatione ex ea proveniente finem creationis nostrae adimplendi, qui non alius quam Divinae gloriae illustratio, et Divinarum Perfectionum manifestatio. Ex ea itaque obligatione jus stricte tale provenit, seu facultas moralis agendi quidquid conveniens, ac necessarium ad obligationem exsolvendam; et ex eo jure ejus exercitium, seu officium, aut actus muneri adimplendo accommodati (§. 141. 145).

Ad duo capita reducuntur.

§. 249. Et cum alterius perfectiones manifestare, ac celebrare minime possimus, nisi prius eas vere cognoscamus, et postea actiones nostras hisce cognitionibus attemperemus, eum scilicet laudando, et honorando, seu verbis, et factis suas perfectiones praedicando; nihil dubium ad duo praecipue capita religionis officia nostra reduci: I. ad notitiam DEI, ejusque perfectionum, veram, ac vivam non modo acquirendam, sed et quotidie magis magisque amplificandam, et ad maiorem certitudinis, atque evidentiae gradum evehendam: et II. ad cultum ei praestandum, seu ad actiones sententiis de DEO rite conceptis consentientes peragendas. Primum Caput *Pars Theoretica Religionis*; secundum *Practica* dici solet, consequenterque sub *Pietate* aut *Religione* (a) DEI cognitionem, et cultum comprehendimus.

(a) Veteres Latini pietatem a religione distinxisse videntur; *pietatem* enim actus dicunt internos amoris, reverentiae, spei, obsequii, cet., et *religionem* exteriorem pietatis consentaneis signis testificationem.

Schol. Dupliciter considerari religio potest, 1) ut *vera*, si tam theorica, quam practica DEI conveniat attributis; et ut *falsa*, si eisdem repugnet; 2) ut *naturalis*, si lumine rationis cognoscatur; et ut *positiva*, si solum accedente divina revelatione innotescat.

I. *Religionis caput; seu de DEI, ejusque perfectionum cognitione.*

§. 250. Ad primum religionis Caput quod attinet, quamvis incomprehensibilis sit DEUS, infinitaque sint ejus attributa, ecquos enim terminos infinitae Naturae constituerimus? tamen, ut praeclare dicere solebat NEWTONUS, ea: imprimis considerari a nobis debent, et assidue in animo versari, quae mundum, vitamque nostram spectant.

§. 251. Equidem 1) DEUM existere; 2) rerum omnium auctorem, conditoremque esse; 3) omnia sua providentia regere, et conservare; 4) rerum humanarum curam gerere; 5) esse unum; et 6) Ens perfectissimum, consequenterque Ens independens, necessarium, aeternum, infinitum, incomprehensibile, omnipotens, omniscium, omnipraesens, simplex, liberrime volens, verax, summe bonum, clementissimum, optimum, et in praemiandis bonis, et in puniendis malis justissimum, quivis rationis ope, ex ejus propriae naturae, et rerum extra se positarum contemplatione facillime intelligere potest (a).

(a) Tota natura, et singulae ejus partes artificem suum produnt, ac manifestant. Divini vates aperte docuerunt: *caelos enarrare gloriam DEI* Ps. 18, *et lumen divini vultus esse super nos signatum.* Ps. 4; et Ap. Ep. ad Rom. C. I. v. 20 *inexcusabilem esse* hujus evidentis veritatis ignorantiam aperte declarat.

Veræ DEI cognitioni errores oppositi.

§. 252. Ab hac prima Naturæ lege de cognoscendo Summo Numine quam maxime abhorrent duo illa maxima errorum genera , 1) *Atheismus* , et 2) *Superstitio* , quorum prior omnem religionem directe , et funditus subvertit ; posterius autem oblique , dum falsam religionem pro vera obtrudit.

§. 253. Tribus potissimum modis manifestatur superstitio , scilicet 1) cum ex erroribus de DEO opinionibus cultus manat ; 2) cum modis , et absurdis ritibus , supremi Numinis naturæ non consentaneis exhibitur ; et 3) cum ei præstatur , cui non debetur.

§. 254. Atheismi autem diversæ considerari possunt species tam ratione subjecti , cui Divinitas tribuenda ; quam ratione modi de Divinitate ratiocinandi. Ratione subjecti considerari solet vel *Negativus* , cum aliquis DEUM esse ignorat ; vel *Positivus* , cum aperta , et perfrecta fronte DEUM esse negat ; vel ita suorum officiorum oblitus quis vivit , et perinde actiones suas dirigit , ac si nullus esset vitæ humanæ supremus inspector , scelerumque vindex , cujus quidem Atheorum generis quanta sit multitudo , incredibile dictu. Ille *Theoreticus* , iste *Practicus* nominatur.

§. 255. Quoad ratiocinandi de Divinitate modum , innumeri sane sunt errores , qui si non directe , indirecte tamen omnem Divini-

tatem de medio tollunt, in verumque Atheismum reducuntur.

V. JOAN. FRANC. BUD. *Tract. de Atheismo et superstit.*; JOAN. THOM. *Hist. Philosoph. de Atheismo*; GAZZANIGA *Tract. de DEO.*

§. 256. Tales sunt 1) *Materialismus*, sive error, quo omnis incorporea negatur substantia; 2) *Pantheismus*, quo Universum DEUS existimatur; 3) *Politheismus*, quo plures admittuntur DII; 4) *Septicismus Universalis*, quo nihil comprehendi, nihil sciri, nec DEI quidem existentiam, posse docetur; 5) *Epicureismus*, et *Spinosismus*, quo nulla admittitur DEI providentia, sed omnia necessitate quadam, seu *fato regi*; 6) *Manicheismus*, quo duo admittuntur DII, bonus alter, a quo bona, et malus alter, a quo mala omnia proveniunt; 7) *Politicismus*, quem HOBBSIUS, et MACHIAVELLUS promoverunt, quo de religione non ob aliam causam curandum, quam ^{asseritur} quod Reipublicae sit utilis; 8) *Blasphemia*, quo imperfectiones DEO tribuuntur, ut fecere Pagani, suis DIIS lineamenta humani corporis, proprietates, affectus, et vitia solum creaturarum propria tribuentes; 9) *Idolomania*, quo rebus creatis, uti soli, lunae, mundo, divinitas tribuitur, ceteraque hujusmodi opinionum monstra, ab iis potissimum in medium prolata, qui, ut aliis plus sapere videantur, coelum vituperant; seu ut ait AP. ad Timoth. Ep. I. C. I. v. 6. *Conversi sunt*

in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.

II. Religionis caput, seu de cultu DEO praestando.

§. 257. Ex divinarum perfectionum cognitione, veluti necessario, DEI cultus promanat. Quam primum enim intellectus viva divinarum perfectionum cognitione est imbutus, etiam voluntas in eisdem rationem sufficientem agendi habet. Divinarum namque perfectionum contemplatione non potest anima nostra quam magnopere non delectari, et bona repraesentata appetere, consequenterque media, quae ratio suggerit aptiora ad illa adipiscenda, in usu ponere (§. 12).

Actiones, ad quas divinorum attributorum contemplatio nos impellit, DEI cultum constituunt.

Summa ad cultum DEO praestandum obligatio.

§. 258. Cum igitur ad gloriam Supremi Numinis illustrandam, tamquam ultimum Creationis finem, teneamur, idque minime obtineri possit, nisi actiones ex divinarum perfectionum contemplatione provenientes agendo, eoque modo DEUM colentes ejus divinas perfectiones imitamur, consequenterque nosmet, et hoc Universum perficimus, et ad summum bonum, quantum in nobis

est, accedimus; ex momentorum autem magnitudine obligationis mensura ducatur (§. 60), nos ad DEUM colendum obligatione omnium maxima esse obstrictos manifesta res est.

Cultus aut internus, aut externus est.

§. 259. Quemadmodum actiones nostrae generatim vel internae tantum sunt, vel etiam externae (§. 72); ita et illae, quae ad divinae gloriae illustrationem pertinent, bifariam considerari possunt. Quamobrem etiam DEI cultus in *internum*, et *externum* recte distribuitur.

Cultus internus, et I. Amor DEI.

§. 260. Inter partes cultus interni *Amor* DEI facile eminet: quum enim is amet, qui ad voluptatem ex alterius perfectionibus capiendam propensus est promptusque; quis non videt, summam quoque esse oportere voluptatem nostram, et delectationem, quae ex cognitione infinitarum DEI perfectionum, et maximae in nos bonitatis cogitatione oritur? Amandus itaque est DEUS ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, et ex omni mente nostra, quia summe bonus est, et nos amat, ut ex tot in nos, nullo nostro merito, collatis beneficiis patet. MATTH. C. XXII. v. 37. LUC. X. 27. JOAN. Ep. I. C. IV. v. 19 et seq.

II. Reverentia.

§. 261. Proxima huic est *Reverentia*, seu timor filialis: amor enim sollicitudinem animi gignit nihil faciendi, quod alterius voluntati adversetur; et si quid factum, poenitendi, et veniam deprecandi. Quum igitur homo Creatorem suum amare super omnia teneatur: ut eum quoque timeat, culpae poeniteat, et remissionem flagitet necesse est. Absit autem timor ille *servilis* (a), qui tantum poenarum repraesentatione excitatur, quippe qui cum odio conjunctus est, et aversatione. JOAN. Ep. 1. C. IV. v. 18. CICER. de Off. II. 7.

(a) Vid. HEIN. Elem. f. N. L. I. C. V. §. 131. not. circa amorem purum, et timorem servilem.

III. Fides.

§. 262. Et cum DEUS summa sit ratio, et ea ita comparata, ut neque ipsa falli, quia omniscius, neque nos fallere possit, quia veracissimus, atque optimus; evidens, quidquid constet DEUM docuisse, aut promississe, pro certissimo habendum esse, neque ullo modo de veracitate illius, aut fidelitate dubitandum. Quamquam enim religionis revelatae mysteria ex eo sint genere veritatum, quae humanae rationis vi longe sint superiores; id tamen, quod dicitur,

Revelanti DEO credendum esse, naturae magis, quam revelationis praeceptum est; naturali enim ratione intelligimus, DEUM Sapientissimum, ac Veracissimum esse. Quare qui de iis ambigit, quae DEUM dixisse constet, aut in Divinitatem injuriosus est, aut ratione praecipit DEO credendum esse negare oportet, quod utrumque absurdum, a rationeque alienum. MARC. C. XVI. v. 16. APOST. ad Rom. C. 4. v. 5 et seq., et v. 20, 21.

IV. Spes, et adquietascentia in DEO.

§. 263. Sequitur porro *Fiducia, et Adquietascentia* in DEO, ut nimirum in officio manentes, quod reliquum est, nos resque nostras, ineffabili ejus Providentiae committamus. Novit enim ens omniscium, omnipotens, atque optimum indigentias nostras, eisque potest, ac vult subvenire, quatenus quidem id summae ipsius sapientiae non repugnat, Quare DEUM corde et mente invocare debemus, ut, quae nobis bona sunt, tribuat, mala depellat, aut, si haec obvenierint, in bonum finem convertat.

V. Obedientia, et obsequium.

§. 264. Et cum DEUS sit omniscius, justissimus, et omni loco praesens, has divinas perfectiones ob oculos sibi ponere homo non potest, quin statim excitetur ad indefessum studium

omnia, quae DEO placent, agendi, et omnia, quae ei displicent, omittendi; quod studium vocatur obsequium, devotio, obedientia.

§. 265. Quam maxime igitur solliciti esse debemus, ne cum in ulla re offendamus, aut quidpiam dicamus, aut faciamus, quod cum ejus ignominia sit conjunctum, quove ejus indignationem adversus nos provocemus. Semper enim cogitandum ubique praesentem adesse, et omnes cogitationes nostras DEUM perspiciere. Quare ab obligatione parendi voluntati Summi Imperantis DEI, non magis quam ab ejus amore, nemo esse potest immunis: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.* JOAN. XIV. 21.

Externi cultus principium, et partes.

§. 266. Ex interno cultu necessario externus provenit. Ita enim natura comparatum est, ut affectus in externas actiones erumpant, intraque animam contineri non possint. Uti autem nulla actio moralis externa sine interna intelligi potest (§. 73); ita et cultus DEI externus ab interno totus pendet, omneque inde capit pondus atque mensuram. In eo igitur consistit, ut celebremus Divinum Nomen; rectasque de DEI existentia ejusque attributis cogitationes, tum amorem, reverentiam, fidem, spem, atque ob-

sequium nostrum voce , aliisque signis decla-
remus.

Eo spectant orationes , hymni , et cantus.

§. 267. Huc porro spectant invocationes Summi Numinis, ore prolatae, seu *Orationes*, quae, si pro bonis a DEO obtinendis fundimus, *Supplicationes*; si pro malis declinandis, *Preces*; si ad gratum animum significandum, *Gratiarum actiones*; si denique ad intercedendum pro aliis, *Interpellationes* vocantur. Et quoniam *hymni*, seu carmina ad celebrationem Divini Nominis composita, *cantusque* facilius in animos influunt, attentionem augent, et memoriae tenacius infinguntur; nulla dubitatio est, quin *hymni cantusque* cultui Divino externo promovendo valde sint idonei.

Templa , dies festi , caerimoniae , et imagines.

§. 268. Etsi vero ratio sibi soli relicta, quo in loco, quibus diebus, quoties, aut qua forma haec pietatis exercitia explicanda sint, minime determinet; ea tamen docet, certum locum, tempus, et modum externo cultui esse destinandum; et inde colligitur, *templa, dies festos, nec non caerimoniae*, quae sunt signa eorum, quorum in executione negotii alicujus debemus recordari; tum *figuras hieroglyphicas, et imagines* insignem habere uti-

litate, et ad DEI cultum augendum prodesse.

Schol. Sunt picturae, ac imagines signa eorum, quae observari mente oportet, et veluti virtutum exemplaria quaedam, quorum memoria plerumque excitamur.

Sed servandus in his modus.

§. 269. In his omnibus tamen ea tenenda moderatio est, 1) ne dies festi nimia tandem frequentia vilescant, et in contemptum abeant, neve necessariis laboribus, aliisque implendis officiis sicut impedimento; 2) ne caerimoniae ad rerum sacrarum memoriam instaurandam ineptae adhibeantur; 3) ne denique homines sensuum imperio adsueti cultum rei significatae, Creatori scilicet, ejusque attributis in mentem revocandis, debitum, ipsis signis ac imaginibus exhibeant.

Quo sensu DEUM semper colere oporteat.

§. 270. Actiones affirmativae certo loco, tempore, et viribus indigent, seu occasione, quae tamen in actionibus negativis desse nunquam potest. Ex quo consequitur, ut Divinam gloriam immediate illustrare semper quidem, ut aiunt, sed non pro semper; eam vero non obscurare, semper et pro semper, hoc est, sine ullius temporis, vel loci intermissione teneamur.

Necessitas cultus externi adstruitur.

§. 271. Atque ex his adparet, quam absurde nonnulli cultus externi necessitatem sola ratione colligi posse negaverint. Utique actiones nostrae omnes, adeoque etiam externae in fine ultimo consentire debent; nemo autem gloriam DEI manifestare sine externis signis potest. Sed et interna cujusvis pietas necessario frigescet, nisi gestiat in externam prorumpere; cogitationesque nostrae diversis sensationibus saepius conturbabuntur, ni perceptionibus sociis confirmentur.

Deinde alii alios ad pietatem, et virtutem publica nostra religione excitamus, eaque ratione eorum perfectionem promovemus, et DEI gloriam provehimus, officioque nostro satisfacimus, cujus vi curate tenemur, ut alii, DEI, ejusque perfectionum ignari, tam praeclara hac doctrina imbuantur; errantes reducantur in viam; et impii ad concipiendam Summi Numinis reverentiam excitentur. Neque ullam adeo agrestem fuisse gentem constat, quae sua templa, dies festos, sacrificia, publicasque supplicationes non habuerit.

Errores cultui interno oppositi.

§. 272. Nunc quid tam interno, quam externo etiam DEI cultui adversetur, primum erit judicare. Qui ea agit, quibus de-

clarat, se DEUM non habere pro tali Numine, quale re vera est, DEI gloriam obscurare dicitur. Ideo cultum internum quam maxime contaminant, destruuntque odium DEI, irreverentia, desperatio, inobedientia, omnisque alia impietas, et erroneus de DEO conceptus (§. 252, 260, et seq.).

Externo.

§. 273. Ad externum autem cultum quod attinet, superstitiosus dicendus, atque detestandus omnino, qui in vera DEI cognitione principium non habeat, vel DEI cognitioni conveniens non fuerit. Talis ex. gr. est 1) *pietas politica*, quae in externis tantum actionibus sine interno consensu posita est; et quae abit a) in *hypocrisin*, si a rerum captandarum cupiditate ducatur; et b) in *pharisaismum*, si ad nudam ostentationem pertineat; 2) *pietas mechanica*, et *preces formulariae*, quas dum os memoria profert, mens alio divagatur, aut plane non intelligit; 3) *pudor pietatis*, cum quis erubescit preces fundere, aut DEUM confiteri (a); 4) *preces temerariae*, cum ex. gr. a) aliquod DEI perfectionibus dissentaneum efflagitamus; b) cum deserentes officium, aut usum propriarum facultatum negligentes, miracula imploramus; et c) cum DEUM, quasi ens avarum, donis

(a) *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius Hominis erubescet. Luc. C. IX. v. 26.*

facile placari, aut solo externo cultu propitiari posse censemus, cet.

De libertate conscientiae.

§. 274. Ex hisce manifestum, quid sentiendum de quaestione, quam suscitant aliqui, de *libertate conscientiae*, ut aiunt. Si enim asserere volunt liberum esse cuique religionem habere, aut non habere, turpe quidem, ac inane commentum hoc est. Religio enim DEO debetur, non quod illa indigeat, aut ulla utilitas, aut voluptas inde ei accedere possit; est enim eus perfectissimum, sibi que ad beatitudinem sufficientissimum, et minime nostri indiguum; sed quod nobis necessarium omnino sit, etiam si eam DEUS a nobis non exigeret. Cum enim DEUS sit hominum Creator, Pater, Benefactor, Dominus, ac Gubernator, et ab eo absolute pendeamus, sineque eo nec esse, nec punctum temporis vivere possimus; quis suum patrem, ac dominum, et qui solus nos felices reddere potest, et in praemiandis bonis, et puniendis malis justissimus est; quis, inquam, DEUM nos agnoscere, amare, revereri, et externis signis affectus nostros manifestare non teneri dicere audeat? Sine religione, eaque vera, non superstitiosa, brutorum vitam viverent homines, ipsoque animalis rationalis nomine indigni essent.

§. 275. Si vero actiones externas pias ab omni coactione physica immunes esse dicere volunt, eorum sententiae subscribimus. Cum enim religio inter officia hominis numerari debeat, officium autem ex jure proveniat, et ex juro cujusque obligatio aliorum in usu sui juris alterum non turbandi, ac laedendi (§. 52); evidens, inter jura hominis numerandum quoque esse jus ad necessarios actus religionis peragendos, consequenterque ejus exercitium nulli externae vi subjectum esse.

§. 276. Quid vero si alter fuerit Atheus, ejusve religio superstitiosa? Impius quidem est, sed in rō suo alterum non laedit, ut jus cum cogendi acquirat; coactio enim in praecedenti laesione aliqua principium tantummodo habet (§. 165). Quod si juvare, ut nostrum officium est, alios voluerimus, et errantes in viam ducere, cum ignorantia, et error sint vitia intellectus, et non voluntatis, iis vero non alia medicina parata, quam ut mens convincatur de veritate, ad eamque admittendam argumentis inflammetur; nullum locum habere vim, et coactionem, sed doctrinam, ac suasionem, res evidens.

§. 277. Neque dicatur, ab Imperantibus Civilibus ad religionem in territorio receptam profitendam cives cogi. Etsi enim stulta, ac erronea alterius opinio legibus, ac vi flecti

nequeat, cum tamen in Republica soleant esse scholæ, et docti, probique viri ad cives edocendos prompti, atque parati; boni publici expostulat ratio, ut cives ad certas actiones externas cogantur, et cum voluntas, et dolus exstet, motiva externa, seu mala per vim inferantur ad eorum voluntatem movendam, et Republicæ perturbationem vitandam; aliter enim neque ad tributa solvenda, aut ad patriæ defensionem suscipiendam compelli cives possent, quia hoc rationi suæ contrarium judicassent.

§. 278. Quod si ea eveniat species, ut aliquis Nero Cives ad religionem falsam, seti rationi, ac revelationi omnino oppositam amplectendam cogat? DEO potius, quam hominibus obediendum; ac proinde dira quævis perferenda, quam quidquam cum DEI injuria conjunctum committere (§. 67). ACT. APOSTOL. Cap. V. v. 29.

Vid. GROTIUS de Jur. bel. et pac. L. II. C. 20. §. 45 et seq. DE FELICE, Leçons de Droit de la N., et des G. Lq. 14.

De insufficientia Naturalis Religionis.

§. 279. Cum vero religionem omnino necessariam hominibus, ad religionemque habendam omnes teneri dicimus, de vera, tam theoretica, quam practica, non quavis religione, intelligendum hoc est; quoties enim

falsa, non modo DEO injuria, sed hominibus noxia est. Unde cum Naturalis Religio ea sit, quam rationis usu homo detegit; omnium autem hominum nec ea sit mentis perspicacia, ut accuratam divinarum veritatum inquisitionem instituere possint, neque omnibus tantum reliquum temporis, ut pro rei dignitate ejusmodi inquisitioni serio incumbant; et etsi utrumque adesse contingat, ab errore tamen immunes nos esse naturalis rationis nostrae imbecillitas non patiatur, ut exemplo veterum Sapientum, ac Philosophorum constat, qui religionis non aliam ducem quam rationem sequuti, mirum! in/miseros se praecipitarunt errores, impietate, ac superstitione plenos; non absolute veram (§. 116), ac sanctam (§. 118) dici posse religionem naturalem, patet.

§. 280. Equidem negari nequit, ut comprobatur experientia est, hominem rationis ope, dummodo exulta sit, experientia edocta, et recte ratioçinari adsuëfacta, verum invenire posse, et re quidem invenire. Indubium etiam, vera esse religionis naturalis dogmata, quae veluti in Codicem redacta *Theosophiae Naturalis* DD. in suis operibus referunt. Ipsa media, quae ratio subministrat ad recte agendum, et felicitatem consequendam, veluti 1) sui cognitio; 2) emendandae vitae propositum; 3) in eo constantia, et labor; 4) bonorum consortium; 5) Divini

Numinis sincerus amor, cet., vera, bonaque sunt, et a revelatione minime improbatas. Attamen cum DEUS sit incomprehensibilis, ratio autem nostra limitata, nemini ignotum esse potest, multa quidem necessario superesse rationi impervia, quae necessario scienda, et consequenter eo sensu insufficientem etiam, et minime veram absolute, dicendam naturalem religionem.

§. 281. Ignorat, enim ratio, 1) quae sint media scelera nostra expiandi, et divinam voluntatem nobis reconciliandi; ratio enim sola minime nos convincit *æque*, et afflictiones corporis, jejunia, preces, et sacrificia ad id sufficere; imo ea absurda esse ab aliquibus jam demonstratum: ignorat 2) quae media necessarias ad id vires acquirendi, et unde eas exhaurire possimus, ut infinitae DEI justitiae satisfaciamus. Ratio quidem praecipit quid agendum, sed vires ad agendum necessarias minime suppeditat, perinde ac si quis claudo dixerit, ut ambulet, et cur sui se adsuefaciat, sed vires ad id faciendum non elargiatur.

§. 282. Necessaria igitur est DEI gratia, quae intellectum illuminet, ut vera bona a falsis discernere sciamus, et voluntatem corroboret, ut aeterna bona praesentibus, cum illis adversentur, praeferre valeamus: necessariumque omnino, ut, per modum

legis, promulgatum nobis perpetuo sit præsens quoddam morale systema, quo superiores veritates contineantur, magnisque ad impellendam voluntatem motivis sancitum sit. Eam necessitatem jam agnovisse veteres, satis superque testantur tot media, quot ad id excogitarunt Legum Latores, et quot Mystarum, ac Philosophorum fuere consuetus. Hinc apud Ethnicos oracula; apud Judaeos Traditio oralis, et Talmud; apud Romanos Libri Sibyllini, et Pontificum Collegium; apud Mahometanos Alcoranum; cet.

Vera, ac sufficiens sola religio revelata.

§. 283. Quae igitur in principio diximus hominem directionis esse capacem, directione tamen omnino indigere (§. 41), eamque non in homine, sed extra eum quaerendam, in voluntate DEI scilicet (§. 119), ad officia religionis extendenda etiam. Equidem eo dono, Revelatione scilicet, hominem etiam exornatum fuisse, summa DEI bonitas dubitare non sinit. Contineri autem in divinis solis Christianorum Libris, hodie illis solum ignotum, quibus librorum illorum notitia, ne fando quidem, ad aures pervenit. In hisce enim totum, ac perfectum systema morale, quod desideramus, ut pie, honeste, justeque vivamus, et tranquillitatem animi, ac felicitatem adipiscamur, idque magnis motivis corroboratum, praemiis nimirum, ac

poenis aeternis, sine dubio ullo comprehenditur.

Deistarum error refellitur.

§. 284. Quid itaque de illo *Deistaram* veluti proloquio „ *Religio naturalis est vera, atque sancta* „ dicendum sit, postquam revelationis lumine Summe Boni DEI beneficio illustrati fuimus, evidens sane est.

A vero igitur prorsus aberrant, 1) qui *Pelagium* sequentes, *Naturalistae* dicti, et *Deistae*, nimium naturae viribus indulgent, et eam satis esse contendunt, ut sine ulla interiori DEI gratia ea cognoscere, agerique possimus, quae cognitu, atque factu opus est, omnemque revelationem penitus rejiciunt; 2) *Sociniani*, et *Machiavellistae*, qui *Politicis* promovere; et 3) *Indifferentistae*, qui hominem in qualibet Religione, Naturali, Christiana, Gentilica, Mahometana, aliave secta salvari posse docent.

Quantumvis enim ad rationis praescripta actiones suas exacte homines componant, a peccato tamen originali, sequutaque ex eo depravatione se liberare minime possunt. Hoc est verae Religionis perpetuum systema. „ Sine fide in CHRISTUM neminem aeternam salutem consequi posse. „ *Qui crediderit, et baptisatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* PAUL. Ep. I. ad Corinth. C. III. v. II. MARC. C. XVI. v. 16. JOAN. C. III. v. 5.

Est tamen aliquis Religionis Naturalis usus.

§. 285. Nihilominus tamen insignis hodie adhuc est Religionis Naturalis usus. Primo enim haec homines populosque, qui auctoritatem non agnoscunt Sacrarum Litterarum, aliquo tamen vinculo et freno cohibere potest. Dein vero Religionis Revelatae necessitatem suggerit, et regulas docet, quibus falsa Revelatio a vera rectaque discernatur. Etsi enim rationem superet Revelatio, at tamen doctrinas, quae veritatibus ratione perspicuis, et divinis perfectionibus adversantur, ad falsas spuriasque esse referendas inde patescit, quod DEUS, rationis et revelationis Auctor, sibi ipsi nequeat repugnare.

Vid. GROTI. de *Jur. bel. et pac.* L. II. C. 20. §. 45 et seq.; PUFFEND. de *J. N. et G.* L. II. C. 4. §. 3 et 4; de *Off. H. et C.* L. I. C. 4; HEIN. de *J. N. et G.* L. I. C. 5; WOLF. de *J. N. et G.* L. I. C. 4. DE FELICE *Leq. de Dr. de la N. et des G.* Leq. 13.

CAPUT XI.

DE OFFICIIS ERGA NOS, SEU DE HONESTATE
NATURALI.*Homo se ipsum natura amat.*

§. 286. **S**equuntur erga Nos officia ; nihil enim , praeter DEUM Opt. Max. , est homini propius , maiorive existimatione , ac amore dignius (a). Hunc autem nostri amorem ipsam Naturam omnibus impressisse , 1) naturales stimuli , quibus ad conservationem , et perfectionem , atque ad felicitatem rapimur ; 2) facultates , quibus dotamur , et quarum ope a) quod bonum , et nobis conveniens , et quod malum , et disconveniens cognoscimus ; atque b) , statim ac tale nobis repraesentatur , ad illud appetendum , aut aversandum excitamur ; et c) ipsa natura duce , media ad illud adipiscendum , aut effugiendum aptiora eligimus , in usuque ponimus ; 3) sollicitudo naturalis nihil faciendi , quod conservationi , perfectionique nostrae oppositum judicemus ; et 4) voluptas , ac delectatio , quam ex boni

(a) Amor est appetitio boni cum percepta ex ejus perfectione delectatione conjuncta ; seu , ut alii , dispositio animae ad percipiendam voluptatem ex alterius perfectione , aut felicitate , atque ad eam promovendam propensio.

acquisitione , seu ex nostra perfectione percipimus , et in dies magis magisque appetimus , satis superque demonstrant.

Dantur itaque jura , et officia erga nos.

§. 287. Ex eo autem naturali nostri amore manifesto colligitur , inter fines , quos spectavit sapientissimus , ac omnipotens hujus universi , et hominis conditor , illum quoque reperiri , ut quisque se conservare studeat , se perficiat , indiesque magis perfectionem suam adaugeat , et felicitatem acquirat ; hoc enim neglecto , nec ea , de qua antecedente capite egimus , divinae gloriae illustratio obtineri ullo modo potest. Unde , cum ad implendum hunc finem necessarium omnino sit apta adhibere remedia , quin obligationes , et officia naturalia erga nos dentur , absurdum foret dubitare.

Horum principium , et objectum.

§. 288. Principium itaque , ac sufficientem suam rationem habent obligationes , jura , et officia hominum erga se ipsos in primaria illa finem ultimum creationis adimplendi obligatione. Et cum ex DEI Opt. Max. voluntate homo adstrictus sit ad ea omnia , quae ad sui status perfectionem adsequendam , conservandam , amplificandamque pertinent ; status autem hominis vel internus , externusve sit : evidens , officii hominisse , qui statum suum perficere studet , omnem operam , dili-

gentiamque adhibere, ut tam animae, et corporis bona, quam externi status; atque ita omnium, quas habere possit, perfectionum cumulum, seu felicitatem, consequatur; quaecumque autem hisce bonis fuerint contraria, quaeque infelicitatem pariunt, diligenter declinet.

Primum hominis officium.

§. 289. Quicumque facultatum a naturae Auctore tributarum sibi satis non est conscius, atque ideo quas perfectiones adquirere, aut imperfectiones evitare aptus sit, probe non tenet, is in boni malique delectu facile inducetur in errorem. Itaque unicuique in primis curandum est, ut se ipsum noscat (a), tum ⁱⁿ vitas hominum inspiciat tamquam in speculum; et dein qua ratione alii perfectiores facti sint, vel imperfectiores (b), sedulo experiatur.

(a). Graeci in honore adeo habebant hanc *Solanis* sententiam, ut, tamquam principium omnis sapientiae, eam super Templi Apollinis Delphici porticu litteris aureis insculptam haberent; ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

(b) Nihil utilius, quam in animum revocare, quae seu propria, seu aliena experientia nos docet; est enim ita ferrens hominis comparata, ut iis, quae ante oculos posita sunt, avrius percelli soleat, quam vivendi praeceptis utut pulcherrimis.

Officia quoad statum internum, et 1) quoad intellectum.

§. 290. Cum status internus hominis in

anima, et corpore, et in utriusque facultatibus contineatur, praecipuae autem animae facultates sint intellectus, et voluntas, de utriusque perfectionibus acquirendis, conservandis, et amplificandis sollicitus esse homo debet.

§. 291. Ad intellectum quod attinet, cum homo doctus non nascatur (§. 11), et, si facultates suas non excolat, experientia teste, obbrutescat, et non solum actiones suas recte dirigere, sed ne quidem miseris carere possit, quibus carent bruta animalia, quae unus regit instinctus; evidens, statim ac a pueris homo excedat, necessarias veritates acquirere teneri: et quidem 1), quae ad officia tam theoretica, quam practica religionis pertinent (§. 249); 2) quae ad erga se, patriam, parentes, propinquos, amicos, ceterosque sui similes; 3) quae statui, conditioni, muneri-que suo rite expediendo, tractandoque necessaria; et 4) quae ad rerum, quibus circumdamur, naturam, ac relationes, quae nobiscum habere possunt, cognitionem spectant, ut ita ignorantia, in qua nascimur, vincatur, depellantur errores, et cognitionum nostrarum confusionem vitare, et ita bonum a malo faciliter discernere, et virtutem acquirendo nos conservare, perficere, ac felicitatem consequi possimus.

§. 292. Ex eo autem quam maxime culturae intellectus necessitas apparet; quod cum

voluntatis nostrae ea natura sit , ut in eligendo bono , maloque repudiando consultorem sequatur intellectum , necessario in boni , aut mali specie se decipiet , si intellectus in iudicando labatur.

2) *Quoad voluntatem.*

§. 293. Sed inutile foret honesti ac turpis discrimen nosse , nisi haustis veri boni cognitionibus actiones nostrae congruant. Nulla sane alia est deserendi officii causa , quam quod appetitiones , et aversationes potissimum sensitivae , a recta ratione dissentiant , et vana tantum boni malive specie decipiamur (§. 33) ; quare voluntatem fini suo obtinendo adsuefacere oportet , et illam ita flectere , ut non nisi ex veri boni contemplatione ad appetendum , et ex contemplatione veri mali ad aversandum se determinet , atque hoc modo praeclarus ille rectae rationis cum inferioribus adpetendi facultatibus consensus existat.

Et affectus.

§. 294. Sed nihil magis voluntatem in transversum agere potest , quam affectus , in quibus adpetitio , vel aversatio sensitiva dominatur (§. 34) : quare omnibus maxime cordi esse debet , ut eosdem regant , et in disciplinam , atque obsequium tradant rationi ; haec enim huiusmodi vehementiores animi motus , ne in actus legi contrarios erum-

pant, comescet, sedabitque, aut etiam, si ita res ferat, illis tamquam calcaribus ad appetitionem, vel aversionem rationalem magis stimulandam augendamque utetur.

Schol. Ex harum facultatum cultura, non tam virtutes intellectuales, seu habitus, quibus intellectus in dignoscendo vero a falso dirigitur, ut sunt *acumen*, *profunditas*, *scientia*, et *sapientia*, acquiruntur; quam morales etiam, seu habitus, quibus voluntas ad persequendum bonum inclinatur, ut sunt *prudencia*, *temperantia*, *fortitudo*, *iustitia*, aliaque cum hisce conjunctae.

3) *Quoad corpus.*

§. 295. Uti animi imperio, ita corporis servitio indigemus: quapropter hujus *sanitatem*, quantum quidem in nobis est, conservare; *habilitatem* vero exercitatione, et arte augere in officio est (a). Ita porro fiet, ut organa, quae vel ad vitam generatim, vel speciatim ad sensus sive internos, sive externos; tum ad motus alios, veluti loquelam, et ambulationem, efficiendos pertinent, proprio muneri implendo magis idonea reddantur. In hisce enim functionibus tam connata, quam adquisita machinae corporeae (§. 103) perfectio consistit.

(a). Eo pertinebant apud veteres Graecos, Latinosque, ludi gymnici, quibus mirum in modum corporis vires consolidantur.

Interitus vitandus.

§. 296. Ex hisce autem compertum est, quam turpe sit 1) corporis vires mollitiae, lu-

xu, libidine, vel immodicis laboribus atterere; 2) valetudinem parum curare, et vitae, aut sanitatis pericula temere subire; et ita mortem accelerare, et indirecte suicidium committere: 3) membra mutilare: aut 4) plane mortem sibi ipsi consciscere.

Suicidium officii erga DEUM opponitur.

§. 297. Sane qui sibi violentas manus inferunt, non modo horrendum, miserandumque facinus committunt, sed officia omnia tam erga DEUM, quam se, et alios praetermittunt. Primo enim munus sibi a DEO assignatum defugiunt, de vita tamquam re propria disponentes, quando eam tantum veluti in depositum, et custodiam, aut in usumfructum acceperant, ut conservarent, ac perficerent, et ita finem, ob quem creati, adimplerent. Rem satis clare exprimit LACTANTIUS Divin. Instit. L. 3. C. 18: *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habituros, donec jubeat emitti. Hoc idem jam docuerat PLATO in Phaedon. dicens: In custodia quadam nos homines sumus, neque decet quemquam ex hac se ipsum solvere, neque aufugere.*

Ejusmodi itaque facto non modo inobedientes DEI mandato sumus, et occasionem

DEI gloriae existentia nostra manifestandi eripimus ; sed insuper nullam in DEO nos habere spem , ac fiduciam (§. 263) manifestamus , ac proinde neque ejus , neque suarum perfectionum nos habere cognitionem , quam habere debemus.

Erga nos.

§. 298. Erga nos etiam violamus officia. Incompatibilis enim omnino nostri destructio cum tenero illo amore , quem nobis insculpsit Natura ; quodam etiam instinctu , de quo intimus cujusque sensus dubitare non sinit , nosmet dotando , ad cognoscendum , et appetendum quidquid nos conservat , ac perficit ; et cognoscendum , ac aversandum quidquid nos destruit , aut imperfectiores reddit. Ejusmodi enim facta , 1) funditus evertimus essentialem illam hominis perfectionem , quae in corporis , et animae commercio posita , et vitam hominis constituit : eis enim partibus divulsis , quamvis anima , ut immortalis , supersit , non amplius existit homo ; et 2) omnem occasionem tollimus primariam illam obligationem finem creationis adimplendi , ceterosque intermedios , ex eo provenientes.

Erga alios.

§. 299. Erga alios quoque a Natura imposita officia praetermittimus. Non enim so-

li, nec nobis solis a DEO creati, sed ad socialiter cum nostri similibus vivendum, et mutuo nosmet juvandum, mutuamque felicitatem promovendum; adeo enim natura imbecilles sumus, ut nemo semetipsum perficere solus possit, sed necessario aliorum opera indigeat; atque adeo singuli necesse habeant vires, facultatesque suas conjungere, ut ita propositum quisque finem consequatur. Socios itaque, parentes, propinquos, amicos, familiamque suam illis subsidiis, ac bonis injuria privat, ad quae jus habebant, et quibus non sine fortasse detrimento maximo privantur, quisquis adeo horrendo, miserandoque scelere se polluit. Deinde nos alios sicut nosmet ipsos amare tenemur, ac proinde nosmet, sicut alios; si ergo aliorum amor non patitur, ut eos occidamus, eadem ratione nosmet occidere non debemus.

Schol. Haec insuper pervulgata fuit Gentium omnium opinio.

Leges Atticae eum, qui vitam perosus se ipsum necaret, sepultura privabant. Idem observab. t. Hebraei. Romani ultimum supplicium in eos decreverant, qui contra suam vitam aliquid tentassent; et VIRGIL. *Aen. VI.* ejusmodi audaces homines extra Elysios campos abjgit. Leges Sinenses ejus, qui se interimit, bona vulgant, &c.

Oppositus error refellitur.

§. 300. Veteres Philosophi, PITHAGORAE praesertim, et SOCRATIS auditores, ejusmodi execrandum facinus non modo licitum, sed gloriosum etiam putabant. Eam vero su-

sceperē sententiam, partim quod corpus ergastulum, non partem essentialē hominis credebant, omniumque malorum causam, ac originem; partim quod doctrinam de animarum transmigratione amplectentes, hominem, qui ob perpetuos dolores, vel alias ob causas taedio vitae captus finem existētiaē sibi imposuisset, suo bono consulere existimabant; sperantes animam mox in aliud robustius corpus transituram, et feliciorē conditionem obtenturam esse.

§. 301. Ex recentioribus sunt etiam (a), qui ad illam opinionem abiere, in ejus comprobationem exempla numero plurima illustrium virorum (b), qui sibi ipsis mortem conscivere, et ideo illustri laude ab omni antiquitate celebrati, producentes; eoque insaniam suam provehentes, ut etiam Religionis officium crederent (c).

(a) Exstat cujusdam ANONYMI libellum *Biotbanator* inscriptum, quo autochiria defenditur. Pro eadem etiam propugnavit THOMAS MORUS in *Utopia* l. 2, et Abbas S. CYRANI, *Doct. DONNE Theol. Angl.* et alii.

(b) Ex. gr. SANSONIS, SAULIS, RAZIS, CLEANTHIS, CHRYSIPPI, ZENONIS, EMPEDOCLIS, DEMARATI, CATONIS, BRVTI, T. POMPONII ATTICI, CLEOMBROTI, HANNIBALIS, et aliorum.

(c) Hebraei propitium permittebant casu, quo vita in ignominiam DEI vergeret. Apud aliquas Asiae Nationes in usu positum coram suis Idolis ventrem sibi ultrō dirumpere, et in funere mariti, aut heri, uxorem, et servos sibi ipsi mortem inferre.

§. 302. Exempla vero quod factum, sed

non quod faciendum demonstrant. Qui violentas sibi manus inferunt, si *biographiam* eorum prae oculis ponamus, alii ex mera desperatione, furore, insania, calamitatum magnitudine, taedio vitae, aut atra fortasse bili perciti ejusmodi facinus commiserunt (a); et alii ex conscientia alicujus criminis, aut dirae, ignominiosaeve alicujus mortis metu. Non itaque auscultandum quod perturbata, sed quod sana, et recta ratio dictat. Jus nobis datum ad conservandum, non ad destruendum corpus; tenenda anima in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo illud nobis est datum, ex hac vita demigrandum.

(a) Sunt qui, ut olim PLINIUS, Naturae gratias agendas dicunt, quod levandis miseriis venena progigneret. Ecquod, inquit, misero reliquum est solatium, nisi posse mori? Nullum tamen maius absurdum, quam pro remedio quaerere id ipsum, quod fugimus, et perire, ne pereamus.

Officia quoad statum externum, seu decorum, et 1) quoad res ad vitam necessarias.

§. 302. Pendet autem hominis conservatio, et maior ejus perfectio a rerum, seu facultatum (a) externarum usu: ut nimirum cibus, potus, amictus, et incidentibus morbis medicamenta prompta semper habeantur. Cum autem nemo sit, cui ab actionibus ad finem suum pertinentibus, seu occupatione vacare liceat, vel qui sine ulla minima molestia se perficere, et rerum potiri satis possit; consequens est, ut unusquisque teneatur laborem

sectari (*b*), et eatenus otium fugere, tantasque facultates acquirere curare, et juste acquisitas conservare, ac prudenter dispensare, quantas justis mediis parare occasio fuerit, et ad implendum finem necessariae.

- (*a*) Res ad vitam, statumque nostrum decore servandum necessariae, *facultatum*; et cum adfluentes, *opum*, vel *divitiarum* nomine veniunt.
- (*b*) Labor dicitur omnis opera, seu exercitium facultatum nostrarum cum aliqua aegritudine conjunctum, et illa speciatim, quae in rebus parandis, tuendisque versatur.

Servandus tamen in his modus.

§. 303. Quoniam vero rerum expetendarum illa tantum ratio est, ut officii adimplendi remedia sint; curare omnes oportet, 1) ut cibo, potu, ac medicamentis utantur minime noxiis, et moderate, quantum scilicet ad satisfaciendum necessitati corporis, et reficiendas vires, et valetudinem tuendam fuerit opus; temperantia enim in cibo, et potu, corporis vires, sanitatemque conservat, et auget; cum intemperantia contra vires tollat, inertiam, et morbos generet, mortemque acceleret, praeter detrimentum opum, bonaeque etiam existimationis: 2) ut vestimentis, frigoris, et tempestatum molestiis vitandis, servandaeque verecundiae inserviant; 3) ut in domiciliis salubritas, ac commoditas spectetur; et 4) ut denique labor vitetur immodicus, qui vires frangit, et operas impedit futuras. Quapropter jam quiete frui, jamque

jucunde, et cum innoxia voluptate occupari, sive honesto in otio vivere sine negotio aliquando licebit.

Et excolenda temperantia.

§. 304. Ex quibus perspicuum, *temperantiam* ad officia hominis absolute pertinere, et quam maxime proinde ab omnibus excolendam, et ei opposita vitia fugienda.

Temperantia dupliciter accipi solet; 1) generatim pro habitu omnes hominis cupiditates moderandi, ne in excessus degenerent; et 2) speciatim pro habitu cupiditates circa voluptates sensuum, et statum externum moderandi.

§. 305. Praecipuae sunt ejus species: abstinentia, sobrietas, castitas, diligentia, liberalitas, parsimonia. 1) *Abstinentia* locum habet in capiendo cibo: 2) *sobrietas* in sumendo potu: 3) *castitas* in appetitu venereo secundum legem attemperando: 4) *diligentia* in laboribus moderandis, ita ut ad vitam necessaria non desint, et vires corporis, et sanitas non debilitetur: 5) *liberalitas* in largiendis bonis, et elemosinis: 6) *parsimonia* in administrandis opibus, et moderandis expensis in vestibus, et in supellectile comparanda.

§. 306. Hisce opponuntur 1) *ingluvies*; 2) *ebrietas*; 3) *libido*; 4) *pigritia* et *otium*; 5) *prodigalitas*, seu opum profusio, nullis id

exigentibus erga DEUM, aut nostri similes officiis; et *immoderatus luxus*, seu profusio opum in comparanda suppellectile; et 6) *avaritia*, seu immoderata cupiditas plures semper opes acquiritendi, adquisitasque retinendi.

Eligendum est vitae genus.

§. 307. Innumerae autem sunt laborum, et occupationum formae; nec cujusquam hominis tantum esse potest animi, vel corporis robur, ut omni veritati cognoscendae, omnique operi praestando sufficiat. Quare singulos ad certos quosdam labores et occupationes, hoc est, *vitae genus*, sese adplicare, et habitus illi consentaneos acquirere necesse est. Eam nimirum quisque sibi accomodet personam, in qua finibus vivere convenientissime, et ita maximas, quae in ipsum cadunt, perfectiones obtinere est aptissimus.

Schol. Necessarium omnino vitae genus; aliter enim si necessaria ad vitam traducendam desint, aut mendicandum, aut furandum. Honestum tamen debet esse: unde officio suo non satisfaciunt praestigiatores, ludiones, scenici, agyrtae, et qui dicuntur astrologi Judicarii, et similes.

Cautione tamen servata.

§. 308. Caveat porro quisque, ne antea implicetur aliquo certo genere, cursuque vivendi, quam, quod optimum esset, pernoscat. Itaque animi, et corporis vires; ingenium, atque indoles; facultates externae; et, si ita res ferat, etiam voluntas eorum,

qui pollent imperio , diligenter explorandæ sunt : tum vero persona , quæ cuique est imposita , ita gerenda est , ut nihil eorum , quæ muneris ratio exigit , a nobis desiderari patiamur. In hoc peculiaria erga animum , corpus , et statum externum officia cernuntur.

Schol. Plerique hoc negligunt , et hinc tot homines , quibus infeliciter omnia , electo semel vitæ genere , procedunt , sua sorte non contenti viventes.

2) *Quoad existimationem , et honores.*

§. 309. Ad statum externum pertinet quoque *existimatio* , seu iudicium aliorum de morali nostra perfectione , vel imperfectione ; ex quo , si latius serpat , *fama* proficiscitur. Utraque in *bonum* , et *malum* ; dein in *veram* , *falsamque* abit. Bona existimatio iterum vel *simplex* est , seu naturalis , quæ cuique ob solam a malo abstantiam competit ; vel *intensiva* , sive adventitia , quam perfectiones vel intellectus , vel voluntatis superadditæ sibi vindicant. Ista si verbis declaratur , *laus* ; si factis , *honor* ; si autem bonorum , et peritorum consensu propter eminentes dotes stabilita sit , *gloria* nuncupatur : quibus *vituperium* , *contemptus* , *infamia* , atque *opprobrium* sunt contraria.

§. 310. Quandoquidem bona *existimatio* partem iurium nostrorum constituit ; prætereaque majores perfectiones acquirendi occasionem præbet , cujuslibet est officium

eamdem custodire, et augere. Etsi enim quid homines de se loquantur, aut sentiant, praestare nemo possit; veram tamen laudem, et honorem honestis actionibus promereri in cuiusvis potestate positum.

§. 311. Ea virtus, qua quis juxta Naturae praecepta studio honoris et laudis actiones suas dirigit, se illius dignum praebendo, et expectando, non expetendo, nec plus, quam meretur, dicitur *modestia*. Ei opponitur 1) *ambitio*, quae est laudis, et honoris per se tantum, et propter se appetitus; et 2) *arrogantia*, qua ii sunt infecti, qui a perfectionibus opinatis, vel fortuito obvenientibus, laudes, aut honores aucupantur.

Vitandae calumniae.

§. 312. Quid vero si nos calumnientur, falsaque crimina nobis objectent? Cum calumniae, seu mendaces de vitiis, imperfectionibusque nostris sermones existimationem nostram diminuunt, et nos teneamur eam conservare, et augere, *melius est enim nomen bonum, quam divitiae multae* (Prov. C. XXII. 1); nihil sane quod ad calumnias refellendas pertinet ommittendum est, nisi tam putidae, ac manifestae videantur, aut earum auctor tam levis sit, ut eas generoso contemptu, tamquam catulorum latratus, vindicare praestet. Qui eas effutit, non alterius, sed suam existimationem evertit.

§. 313. Contra vero, si speciosa calumnia fuerit, ea scilicet, quae cum aliqua probabilitate conjuncta fuerit, ac proinde non modo incautos, sed et prudentiores fallere possit; hanc enim qui justis modis non reprimit, suae causae quodam modo diffidere videtur, et proinde officium deserit, quod existimationem, ac famam suam, quae cum vita pari passu ambulat, pro virili tueri exigit.

Schol. Majores nostri adeo in honore tuendo acerrimi fuere, ut ad eam defendendam occisionem calumniatoris licitam sibi persuaderent. Nemini tamen jus est calumniatorem suum occidendi, nec ejusmodi medium aptum; ut alii judicium de perfectionibus, imperfectionibusve nostris in melius mutant, sed potius in deterius. Aliis itaque mediis utendum, et quidem vel *factis*, si quis ita se gerat, ut ostendat falsa dixisse maledicum; vel *verbis*, si hujus fidem labefactet, et mendacio arguat. Omnis autem injuriae retorsio, cum maledicta maledictis rependuntur, vindictam sumpsit, adeoque Naturae legi repugnat.

3) Quoad fortunam.

§. 314. Cum *fortuna*, seu eventus ab inevitabili causarum nexu consequentes nemini queant imputari (§. 203); ideo nec a *prospera* laudis, nec ab *adversa* vituperii arripi argumentum potest. In eo autem est cuique elaborandum, ut nec fortuna prospera emolliatur, nec in adversa animum abjiciat; sed eam patienter ferat, suaque virtute se involvat. In quo, quia excellens illa virtus *animi magnitudo* conspicitur; ideo, ut in illam facilius assurgamus, necessaria est praeparatio ad futuros casus.

Dicitur autem *magnitudo*, aut *fortitudo* animi generatim ea virtus, qua actiones nostras circa imminente pericula juxta legem dirigimus, metum scilicet moderando, et temeritatem cohibendo. Ejus duae species, 1) *constantia*, seu *patientia*, et 2) *moderatio animi*. Illa locum habet in fortuna adversa, haec in prospera. Constantiae *pusillanimitas*, quae saepe in desperationem degenerat; moderationi *insolentia*, *elatio animi*, *superbia*, etc. adversantur.

Schol. Ne homo adversa deprimatur fortuna, animumque deperdat, plurimum confert, si cogitet, 1) mala ejusmodi esse, ut nullis nostris viribus declinari possint; 2) in DEI providentia acquiescendum; 3) pusillanimitate, et gemitibus nihil consequi, neque leniri malum, sed potius intolerabilius evadere; et 4) sua cum aliorum malis, gravius comparet: in prospera autem, ne ea nimium efferratur, si cogitet, 1) fortunae inconstantiam, cujus frequentissima exempla historia praebet; 2) insolentia, et animi elatione invidiam, aliorumque odium conciliari; et 3) ludibrium, cui exponitur, si ex alto deciderit.

Conjungenda haec officia.

§. 315. Sine concordia variorum in utroque non intelligitur perfectio (§. 2 *Schol.*). Itaque, ut hominis status omni ex parte in suo genere perfectus sit, officia erga animum, corpus, et statum externum inter se; ac cum suo scopo tam generali (§. 27), quam particulari (§. 28) conspirare debent. Quamobrem non ita studendum est animi perfectionibus, ut corporis vires, vel cetera bona externa negligantur; et vicissim (§. 174).

De horum officiorum collisione.

§. 316. Evenire tamen potest, ut talis obveniat hypothesis, ut omnibus hisce officiis simul satisfacere nequeamus; sive 1) quod necessaria nobis desint remedia; sive 2) quod officiorum inter se conflictus oriatur. Tum autem necessitatis qualitatem explorare oportet; an scilicet absoluta sit, aut extrema; an hypothetica, et gravis tantummodo (§. 64).

In hypothesis absolutae et extremae necessitatis.

§. 317. Quoties itaque necessitas fuerit 1) absoluta, ita ut nec opposito, nec alio modo agere possimus (§. 79); vel 2) extrema, ut si opposito, aliove modo egerimus, necessario vita periclitetur (§. 64), ejusmodi necessitatem non habere legem, et ab imputatione immunes nos omnino esse, res evidens (§. 61, 65, et 69).

Hypotheticae tantummodo gravis.

§. 318. Quoties vero fuerit hypothetica, adeo ut opposito, aut alio modo agere possimus, et malum tantummodo sit grave; tum eam legem hujusmodi necessitas habet, 1) ut illud eligamus semper, quod ad maiores perfectiones obtinendas valeat (§. 60); ac porro 2) finis remedio; et 3) in collisione malorum physicorum malum minus malo maiori; 4) adeoque etiam malum incertum malo certo praefera-

tur (§. 69). Id tamen non imus inficias, malum incertum grave malo certo, sed longe leviori, redimere aliquando licere.

Ex hisce intelligitur, cur incidente contentione satius quidem sit I. animi, quam corporis, perficere facultates: II. cur tamen officium, quod ad vitam tuendam valet, anteponendum sit illi officio, quod scientia et cognitione continetur: III. cur porro corporis totius magis, quam partis, aut facultatum externarum, ratio sit habenda: IV. cur, si aut membrorum, aut rerum facienda sit jactura, quod ad longiorem vitae conservationem pertinet, considerare oporteat, et alteri praeferre: V. curque res, ut labores necessarii utilibus, utiles autem voluptuariis sint anteponendi.

Nunquam praeferenda autochiria.

§. 319. Is vero officiorum erga semetipsum conflictus existere nunquam potest, in quo licita sit *autochiria*, seu voluntaria sui ipsius occisio. Est sane vita omnium bonorum temporalium fundamentum, et aeternorum occasio. Igitur omnibus facultatibus internis, atque externis, libertati, existimationi, valetudini, et corporis integritati praestat; quae ferè omnia aliquam moram habere possunt, ad sustentationem. Quare qui manus violentas sibi inferre mallet, quam bonorum, quae modo memoravimus, jacturam

sentire, falsam utique faceret exceptionem, et fini remedia, bonumque partis bono totius anteponeret.

Quod latius confirmatur.

§. 320. Et quoniam omne periculum mali incerti infra idem fere malum certum est ponendum (§. 318.); turpe profecto foret, mortem futuram, etsi valde verisimilem, et acerbissimam, morte voluntaria certa ac praesenti occupare. Praeterquam quod enim multa, ut ajunt, inter os et ossam intervenire possunt, ipsi etiam dolorum acerbitati longius vitae spatium quam maxime praeponderat, ut nulla adeo mors incerta cum certa morte comparari posse videatur. Praeterea, qui se ipsam interimit, animum angustum et minutum prodit, et deinde patientiam exercendi, et fiduciam in DEI providentia ac bonitate collocandi (§. 263) negligit occasionem.

Schol. Disputat peracute hac de re CICERO in Libris de officiis, et generatim asserens nunquam licere homini sibi ipsi violentas inferre manus, casum tamen excipit, in quo ea miseriarum necessitate urgeamur, ut aut vivere non possimus nisi calamitose, et aerumnose; aut non multo post moriendum sit. Tum ferro, veneno, laqueo, praecipitio, aut inedia satum anticipare licere asserit, existimans, DEUM ipsum Naturae voce nobis impunitatem moriendi facere, cum in eum statum nos conjiciat, in quo solum miserrime, aut non vivere possimus. Nisi tamen Natura ipsa vinculum solvat, incerta omnino, et dubia omnis ejus alia vox; et praesertim cum observemus, neminem id facinoris audere aggredi, nisi perturbata jam animi ratione.

*De conflictu officiorum erga se cum officiis
erga DEUM negativis.*

§. 321. Sed nec vitae, vel aliorum bonorum servandorum causa, leges Religionis Naturalis negativae migrare unquam licet. Vitam enim, et reliquas nostras facultates, ea tantum ratione custodire, et perficere obligamur, quatenus ad DEI perfectiones manifestandas sunt remedia (§. 27). Nefas itaque foret horum remedium causa sine omnium ultimo excidere. Quae id omnino tenendum est, totius inhonestatis nullam esse capitaliorem, quam quae contrahitur contemptu summi Numinis, et Divinae gloriae obscuratione (§. 67). *Et affirmativis.*

§. 322. Contra vero, si cum praeceptis erga DEUM affirmativis incideret contentio. Cum enim illis implendis sufficiente opus sit occasione (§. 270); in gravi vitae, vel rerum discrimine actionem, quae ad gloriam DEI immeditate illustrandam conduceret, praetermittere non erit in vitio (§. 69). Sane poterit quis alio loco, et tempore eodem officio fungi, nec, qui se ipsum servat absque impietate, recedere intelligitur a divino cultu; quippe ad quem omnes et singulae actiones nostrae semper referendae sunt.

V. GROTIUS *de Jure belli et pacis* L. II. C. 19. §. 5; PUTEI. *de J. N. et G. L.* 2. C. 4. *de Off. H. et C. L.* 1. C. 5.; HEIN. *de J. N. et G. L.* 1. C. 44. WOLFF, *de J. N. P.* 1. C. 2; DE FELICE *Leq. de D. N. et des G.* Leq. XV, et XVI.

CAPUT XII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS IMPERFECTIS,
SED AEQUITATE NATURALI

Diversa officiorum erga alios genera.

§. 323. SEquuntur erga nostros similes officia. Ea vel 1) in re suo (§. 162), vel 2) in merito tantum, et dignitate (§. 163) principium habent, et a generali, ac primaeva obligatione 1) neminem laedendi, et re suum sinendi cuique; et 2) alios juvandi, ac illis faciendi quidquid nobis fieri velimus, proveniunt (§. 141); et ideo vel 1) *perfecta*, seu cum coactione conjuncta (§. 166), vel 2) *imperfecta*, seu coactione destituta (§. 167) dicuntur.

Utraque 1) tam absoluta, connata, et universalis; quam 2) hypothetica, acquisita, et particularia esse possunt, prout a sola natura, vel a facto aliquo antecedenti descendant (§. 144); et 3) primitiva etiam, aut derivativa, prout diversae relationes, diversaeque obvenientes hypotheses fuerint (§. 145). Superest modo, ut de utroque horum officiorum genere, et variis cujusque speciebus disputemus. Ab imperfectis autem, tamquam quo

in natura hominis immediatum principium habeant, exordiemur.

Eorum existentia.

§. 324. Quamvis Natura homines præcellentibus adeo dotibus exornaret, ut re quidem perfectior, ac mirabilior omnibus entibus creatis sit homo; adeo tamen limitatos; debiles, ac imbelles nos formavit, ut, quin vires, facultatesque nostras mutuo jungamus, nemo solus se perficere, vitamque suavitet, et commode sine aliorum auxilio traducere, creationisque finem adimplere possit (§. 26).

Haec itaque naturalis mûta hominum dependentia; congenita ad societatem inclinatio, et finis ipsius DEI ita hominem creando, et suae gloriae manifestationis demonstratorem esse volendo; hominem ad socialiter; et amice cum sui similibus vivendum, et se mutuo conjunctis viribus jvandum, creatum fuisse, et eam esse DEI voluntatem, satis superque demonstrant. Quisque, qui se perficere curret, hoc certe non ignorabit.

Horum officiorum principium.

§. 325. In generali ergo obligatione, omnibus communi, nosmet ad ultimum, ceterosque intermedios fines implendam aptos reddendi; et in dependentia, omnibus etiã com-

mudi, ac naturali, ab aliorum auxilio ad id obtinendum, principium ea officia habent. Alios itaque adjuvare debemus, quia eadem adjuvatione unusquisque indiget. Hinc illud generale ea officia cognoscendi principium: *Quod tibi vis fieri, fac alteri.*

Ideo autem ea officia, seu mutua auxilia a merito, dignitate, ac generali omnium necessitate provenientia, *aequitatis*, seu *aequalitatis* dicuntur, quia in natura hominis sufficientem rationem habent, quae una, eademque omnibus; iisdem enim essentialibus partibus constant, iisdem facultatibus, et limitationibus sunt praediti, ad eundem finem creati, iisdemque juribus exornati, ac iisdem obligationibus, et officiis subjecti. Quisquis igitur nostri similis est homo, et alter alterum tamquam hominem tractare debet, ne jus iniquum alii in ipsum retorqueant.

Objectum.

§. 326. Quandoquidem perfectio nostra non nisi virium et facultatum copulatione potest obtineri (§. 324); et ideo obligatio erga se ipsum ab obligatione erga alios separari nequeat; evidens utique officia, quae quisque aliis debet, plane eadem esse ac illa, quae sibi ipsi sunt praestanda (§. 288). Quare etiam oportet, quemlibet hominem aliis hominibus in anima, corpore, et statu externo perficiendis dare operam, multoque magis

ab inferenda quacumque imperfectione abstinere.

Primum, ac praecipuum horum officiorum caput.

§. 327. Cum itaque erga alios officia eadem sint omnino, quae erga nosmetipsos, horum autem praecipuum caput, ac fundamentum sit philautia, seu amor sui ipsius ad Naturae Leges attemperatus; consequens est, praecipuum etiam caput, ac fundamentum officiorum erga nostri similes esse *caritatem*, 1) in voluptate ex eorum perfectionibus, et *commiseratione* ex eorum imperfectionibus proveniente positam; et 2) in propensione, ac promptitudine hanc nostram caritatem actionibus quibuscumque externis, per *humanitatem* scilicet; et *beneficentiam*, erga alios manifestandi.

§. 328. Huic officio opponitur 1) *odium*, seu propensio, et dispositio ad voluptatem ex alterius imperfectionibus percipiendam; 2) *invidia*, seu *taditum*, ac tristitia ex ejus perfectionibus; et 3) *egoismus moralis* (a), seu *solipsismus*, modus scilicet vivendi quorundam hominum, qui se solos amant, sua solum commoda quaerunt, statimque suum externum perfectiorem reddere optant, et la-

(a). Erat aliud Egoistarum genus, illorum scilicet Pseudo-Philosophorum, qui nullam nisi sui existentiam realem significantabant.

borant, sive cum aliorum detrimento sit conjunctum, sive non.

Erga alios Officia indefinita, vel definita esse possunt.

§. 329. Prout autem officia erga alios vel omnibus generatim, vel certis tantum personis habita occasione praestantur; ita jam *indefinitis*, jamque *definitis* accenseri consueverunt. Servant igitur prioris generis officia, qui idoneum eligunt vitae genus, ut aliis juvandis sint aptiores; qui utilia persequuntur inventa; qui denique virtutes intellectuales, et morales proprio exemplo commendant.

§. 330. Ea autem praetermittunt, violentaque, ignaviae sectatores, qui nulli se adducunt vitae generi, sed vitam silentio transeunt, veluti pecora; quique vel falsas et perniciosas doctrinas promovent, vel utiles et proficuas aut occultant, aut plane criminantur, vel 1) ex superstitione, quia religioni contrarias perant; vel 2) ex ignorantia, quia non satis intelligunt, ac proinde animum in herba latitare credunt; vel 3) ex invidia, quia alios praese excellere minime ferre possunt, ut Sophistae, qui Socratem oppressere.

Schol. Quid, si quis opibus abundet, et ei non sit opus aliquo officio, vel opificio, victum quaerere? Maiori cum obligatione tenetur, eo ipso quod nulla ei huic officio adimplendo media desint, ut ex. gr. litterarum studio det operam. Non enim nobis solum nati sumus, sed et nostris similibus (§. 299), quos ut nosmetipsos amare tene-

mer; et non mente tantummodo, sed amorem nostrum actionibus externis manifestando, quibus alios juvemus, et eorum felicitatem promoveamus, et augeamus.

Egyptii quotannis explorabant, unde quis viveret, eosque mülctabant, qui hoc indicare non possent.

Definita autem vel innoxiae utilitatis, seu humanitatis; vel noxae utilitatis, seu beneficentiae.

§. 331. Posterioris generis officia; sive *definita*, in duplicem iterum abeunt formam; prout nimirum sine minimo virium nostrarum, vel vero nonnisi cum aliquo ejus, quod nostrum est, detrimento praestantur. Illa dicuntur *innoxiae utilitatis, seu humanitatis*; haec *utilitatis non innoxiae; seu beneficentiae* libet appellare.

Obligatio ad humanitatis officia.

§. 332. Quoad ea officia, quae sine detrimento praestantur, ea tenenda regula: *Quod tibi non nocet, et alteri prodest, ad id obligatus es* (§. 324). Si enim aliis prodesse tenemur etiam cum detrimento, quanto magis sine detrimento?

Inhumanissimus ergo erit, 1) qui alterum ope, et consilio non juvat; 2) errantem non revocat in viam (a); 3) lumen a suo lumine accendere non patitur; 4) sitienti aquam, algenti ignem, et aestu languenti

(a) Atheniensium legibus diris debebatur, quisquis erranti non monstrasset viam.

umbra negat; 5) salutantem, et seruum colloquentem, non aequae cum comitate, festiuitate, civilitate, et candore salutat, et colloquitur, cet.

Sub his ea etiam comprehenduntur, quibus abundamus.

§. 333. Inter innoxiae utilitatis officia merito etiam numerantur, 1) flurim rerum praestatio, quarum tanta nobis affluentia est, ut eas sine notabili aliquo detrimento cum aliis communicare possimus; sicut et 2) eorum rerum, quae alioquin apud nos essent periturae. Valde inhumanos illos non dicere non possumus, qui res tales corrumpunt, in flumen projiciunt, flammis absumunt; vel in terra clam defodiunt, tantum, ut aliorum nemo inde aliquid utilitatis capiat.

Humanitas inimicis, et hostibus etiam debetur.

§. 334. Et cum ea officia in aequalitate naturae, et in amore erga alios, quia homines sint, et nostri similes, principium habeant, facile patet; ut et inimicis et hostibus minime deneganda ea, quae sine detrimento nostro praestari possunt, et praesertim cum in civili, quo vivimus, statu, ubi praesto Magistratus auctoritas omnia in ordinem cogere potest, temere nobis nocere non possit hostis. Inhumanus itaque erit, qui et inimico

suo, aut hosti (a) indigenti, immo et scelerato homini cuilibet ea innoxiae utilitatis officia denegati. Non mores enim, ut recte aiebat ARISTOTELES apud DIOG. LAERT. V. 21., sed hominem; vel si non hominem, saltem humanitatem misereri oportet.

(a). Inimicum dicimus, qui nos non amat: hostem, qui animam & claritatem prodit nobis vim, seu malum aliquod inferendi.

Sebol. Ea, quae de hostibus diximus, locum habent extra praelium, aut quando hostes nobis obesse non posse scimus; et ideo humanitatis insignem merentur laudem illi exercitus, duces, qui captivos, vulneratos, et morbo decumbentes juvant, auxilioque levant. Non ita vero, cum hostili in nos animo sint, et nobis noxia futura ejusmodi officia. Jure itaque hostem a quatione prohibemus, commeatum corrumpimus, omne circumquaque pabulum igne, ferroque vastamus, tormenta perdimus cet.; ne illis nos invasis utilitatem praestent, eorumque ad nobis gerendum, ducendum, et renovandum bellum vires augeantur; prodesse enim aliis, et opitulari Natura praecipit, sed ita, ut nobis non noceamus.

§. 335. Unde, cum omnes amare obligemur, et neminem odio prosequi; et alterius factum, legem naturalem violando, jus nobis non tribuat eandem legem migrandi; etiam inimicos diligere, eos nobis reconciliare, aut saltem, ut minus noceant, emolliere teneri, res evidens. V. MATTH. C. V. v. 44, et 45: LUC. VI. 35.

Obligatio ad beneficentiae officia.

§. 336. Animi ad alios perficiendos proclivitas *Benevolentia*, seu benignitas dicitur; ipsi autem actus benignitatis, si quidem sine

spe retributionis fiant, *Beneficentiam*; secus officiositatem constituunt. Quoniam omnium amicitiam servare, et contra inimicitiam fugere obligamur (§. 334); consequens est, ut benevolentiam colere; et quantum in nostra potestate positum est, etiam beneficentiam exercere; et vicissim promereri teneamur.

Schol. Benevolentia quidem, quoniam a constanti, et perpetua voluntate pendet, nunquam per se exhauriri, aut cum aliis pugnare officiis potest. Aliud vero obtinet in beneficentia; neque enim inexhaustae sunt vires nostrae; et major semper est numerus eorum, qui auxilio indigent, quam ut omnibus istis adjuvandis sufficere valeant. Itaque existente pugna officiorum exceptionem aliquam facere erit necesse.

Beneficia sapienter dispensanda.

§. 337. Cum autem ex amore, et animo juvandi alios, et perfectiones suas promovendi, proficisci beneficia debeant, ejusmodi certe nomen non merentur, 1) quaecumque ex ambitione magis, et jactantia, prodigalitate, aliisve causis, quam amore quis tribuat: 2) quae necessitati cujuslibet non fuerint attemperata, veluti si famelico vestem, sitienti gemmam quis dederit: 3) quae ex ignorantia, aut propriae tantum utilitatis studio, vel ex animo nocendi proficiscantur: 4) quae non indigis, sed opulentioribus facta fuerint: captatoria, seu hamata vulgo dicta: et tandem 5) quae non hilari, benevolo, ac celebrantimo fuerint praestata; his enim dat, qui cito dat, et beneficium non reputabitur aureus an

oculos projectus. Sapienter igitur beneficia dispensari oportet.

De horum officiorum collisione.

§. 338. Deinde tam in *humanitatis*, quam *beneficentiae* exercendis officiis occasionis habenda ratio, et orto conflictu, ea, quae a fortiori obligatione docentur, primario loco ponenda.

§. 339. Scilicet aliorum dilectio amori erga se ipsum non potest repugnare; alios enim homines sicut nosmetipsos, non autem magis diligere obstricti sumus. Inde vero consequitur, ut si caritatis exercitatio cum amore pugnet sui ipsius, nemo alterum, si modo reliqua omnia sint paria, sibi ipsi praeferre teneatur. Atque hoc sensu verissimum est vulgatum illud, *Caritatem a semetipsa inchoare*. Quomodo enim aliis quisquam prodesse posset, si officia sibi ipsi debita negligeret?

§. 340. Ast falleret haec ipsa regula, si quis in eum statum demittatur, in quo neglectus officiorum erga se ipsum, propter pugnam cum officiis erga alios, ad majores efficiendas perfectiones pertineret. Tunc enim bonum totius bono partis anteponere (§. 318), et ad maximam quam possimus humani generis felicitatem contendere oportebit (§. 60). Ad id enim nos sapientissimi naturae Auctoris voluntas solo rationis lumine conspicua fortissimis omnium vinculis obstringit.

§. 341. Dein saepe adsunt personae , quibus non tantum communi illo naturae , sed alio adhuc superaddito vinculo , obstricti sumus. Ex quo consequitur , ut tunc demum servetur benignitatis modus , si beneficium dans se ipsum haud negligat , sique , ut quisque erit conjunctissimus , indigos parentes cognatis , hos extraneis , et inter hos amicos aliis praeferat ; est enim obligatio simplex obligatione composita debilior (§. 60).

An invito detur beneficium.

§. 342. Actus benevolentiae nemini esse obtrudendos , sive *invito non dari beneficium* , vetus quidem est adagium ; bona enim , ajunt , quae alter repudiat , sibi mala esse opinatur. Qui igitur eadem admittere alterum cogit , ipsi non amoris , sed odii praebet occasionem. Enimvero , quoniam alterum gravi periculo eripere , eique jam collum in laqueum inserenti subvenire utique oportet ; non est dubium , quin etiam invitis beneficia conferenda sint , dummodo vires nostrae vires contrarias sine alterutrius pernicio possint superare. Ast absurdum foret , eum vi opprimere , quem te jactas esse servaturum.

Obligatio ad animi grati significationem.

§. 343. In dilectione ejus , qui nobis benefecit , inest *gratus animus* , vulgo *gratitudo*.

Tom. I.



Quum plures et majores causas ponderis plus habere oporteat, in eo autem, qui nos beneficiis ornat, praeter communem humanitatis nexum, singularis adhuc felicitatis nostrae promovendae ratio inveniatur: consequens est, ut cujuslibet sit officium, erga homines beneficos se gratum praebere, atque hosce animi sensus vel re, vel opera, vel verbis, quoad ejus fieri poterit, declarare. Quamquam enim quisque meritam debitamque gratiam referre non possit, *habere certe potest.*

Quam turpe sit oppositum vitium.

§. 344. Itaque foedior est animi ingrati, quam inhumani, turpitude, belluaque deterioris esse judicatur, qui nec collatis in se beneficiis potuit commoveri; sed et eo major erit hujus vitii pravitas, quo praestantiora sint bona, quae alii in nobis collocarunt.

Dupliciter considerari potest ingratitude, 1) negativa, seu *simplex*, cum quis benefactori suo non benefacit; et 2) positiva, seu *atrox*, et *praegnans*, cum quis beneficia malefactis, atque injuriis pensat.

Cur imperfecta dicantur ea officia.

§. 345. Quandoquidem officia, quae in promovendis, augendisque aliorum perfectionibus versantur, imperfecta dicuntur; Lege tamen Naturali, ut cetera alia, decerni ex hucusque dictis satis patet. Ideo autem imperfe-

CAP. XII. DE OF. ERGA AL. IMPERF. 211

cta dicuntur, quod aliquem, ut hisce legibus se attemperet, cogere vi externa non licet. Sane cessaret tunc beneficentiae notio (§. 167); dein saepe ad id cogi quis posset, ad quod non habet vires, et ipsa tandem naturalis libertas plane corrueret (§. 165).

Non ideo tamen inanis eorum obligatio.

§. 346. Nec inanis propterea erit haec obligatio; qui enim aequitatis denegat officia, se odio aliorum exponit, bonam perdit existimationem, atque hoc modo necessaria se perficiendi remedia amittit (§. 310); et in perpetuo denique vivit periculo, ne jus iniquum alii in ipsum retorqueant. Illud vero maximi est ponderis, Divinae voluntatis transgressori, praeter naturales illas hujus vitae poenas, etiam poenas vitae futurae ab infinita Justitia imminere (§. 136).

In perfecta commutari possunt.

§. 347. Ceterum fieri etiam potest, ut officia imperfecta, quatenus in actibus externis posita sunt, vel 1) superioris imperio, vel 2) majore urgente necessitate; vel 3) novo quodam facto in officia perfecta commutentur.

Furi alterius imperfecto obstare, est vera laesio.

§. 348. Quoniam etiam is laedit, qui alterum impedit, ne jure suo utatur (§. 161); non modo in jura perfecta, sed etiam in im-

perfecta cadere laesio potest : qui enim aliquem , quo minus suas augeat perfectiones , interpellat , naturalem ejus libertatem praecedit , et porro , quod alienum est , usurpat. Quare si justis esse volumus , ne quis quodcumque jus suum exercent , atque aliquam adquirat perfectionem , non simus impedimento ; neque illorum , qui praestare aliis auxilia , aut mala ab iis avertere student , conatus remoremur.

Negativa innoxiae utilitatis officia sunt perfecta.

§. 349. Atque ex his principiis ad perfidicilem illam responderi quaestionem potest : an et ii aliquando laedant , qui officia innoxiae utilitatis (§. 331) petentibus refragantur ? Quod enim horum praestationem jure tantum imperfecto deberi dicimus (§. 345) , id ita intelligi debet , si nimirum officia fuerint affirmativa , quaeque in agendo , et juvandis aliis versantur : aliud vero dicendum est de officiis negativis , quae sine ullo virium nostrarum usu , et sola omissione , ac patientia implentur.

§. 350. Scilicet quisque a natura ea facienda jus habet , quae nec Divino cultui , nec philantropiae , nec socialitati repugnant (§. 143 Schol.) : igitur si de iis officiis sit sermo , quibus absque omni nocumento , et nuda cessatione fungi possumus , si tamen justo alterius conatui resistimus , eidem jure suo utenti inferimus im-

CAP. XII. DE OF. ERGA AL. IMPERF. 213

pedimentum : quin porro injuriam in illum immittamus , laedamusque , non est dubitandum.

Ea tamen prius oportet postulare.

§. 351. Quoniam tamen aliquando accidit , ut quae innoxia esse opinamur , alteri adferant imperfectionem ; consequens est , ut non antea injuriam sibi factam quis possit judicare , quam , ubi nuda patientiae officium rogatus , illud nulla adducta probabili causa denegavit. Tum sane eum , qui jus suum exercenti resistit , ad id , quod sibi non nocet , et alteri prodest , patiendum compellere licebit.

V. GROTI. *De Jur. bel. et pac.* L. 2. C. 2. §. II. PUF-
FEND. *de J. N. et G.* L. 3. C. 2. et 3. *De Off. H. et Civ.*
L. I. C. 7 et 8. HEINEC. *de J. N. et G.* L. I. C. 8. WOLF.
de J. N. P. I. C. 3 in pr. et §. 888. et seq. DE FELICE
Leç. de D. N. et des G. Leç. 19. et 21.

C A P U T XIII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLUTIS PERFECTIS ,
SEU DE JUSTITIA STRICTE SUMPTA.

§. 352. **P**roxima sunt officia erga alios perfecta , seu quae principium , ac rationem sufficientem in se suo aliorum habent , et ex obligatione , et jure connato descendunt , quo

ad se conservandos , ac perficiendos omnes gaudent (§. 154). Ea tam absoluta , quam hypothetica esse possunt , prout status hominis , ad quem referantur. De absolutis eo loco disputabimus ; et de hypotheticis , quae varia et multiplicia , prout varia et diversa facta , quorum homo auctor , in posterioribus hujusce libelli partibus.

Horum objectum , et necessitas.

§. 353. Cum officia imperfecta , ut nuper demonstravimus , in juvandis aliis , seu eorum perfectionibus promovendis , et amplificandis posita sint ; consequens , ut in non eis laedendis , sive quovis modo perturbandis in perfectionum suarum acquisitione , conservatione , amplificatione , et usu ; sive in suo tam ad internum , quam externum statum spectante , ea esse ponenda.

§. 354. Equidem , si omnium utilitati inservire , multo magis nulla laesione nostri similes afficere , tenemur. Hoc non modo utilitas , commodumque nostrum ; laeso enim jus violentiae defensionis , seu mala nobis inferendi tribuimus (§. 164) ; sed ipsius Creatoris fines exigunt , qui satis aperte eam esse divinam voluntatem declarant , ut invicem nosmet amemus , et socialiter , ac perofficiose , amanterque vivamus.

§. 355. Non immerito igitur Majores nostri pro principio ea officia cognoscendi.

hanc propositionem statuere : *Quod tibi fieri non vis , alteri ne feceris.*

Officia quoad statum internum.

§. 356. Cum itaque nemo laedendus in r̄ suo , tam ad internum , quam ad externum statum spectante , et internum statum constituent bona animi , corporis , et utriusque facultates ; officia erga sui similes sane quidem violaverit , 1) qui alium a veritate avertat , aut in errorem inducat ; et ideis , ac judiciis falsis ad pietatem praesertim spectantibus imbuat ; 2) qui alterius voluntatem , ac mores corrumpat , et dictis , factis , malove exemplo seducat , et ad voluptates , libidines , vitiaque pelliciat ; vel qui , cum alium a vitiis prohibere , et in viam reducere possit , ac debeat , id vel non , vel non ea , qua par erat , animi contentione faciat ; 3) qui sui similem culpa , dolore , percussit , vulneret , mutilet , occidat ; aut mortis , vel alicujus morbi causam praebet , aliove quovis modo alterius corpus deterius reddat.

Quoad statum externum.

§. 357. In bonis status externi sunt res (§. 302) potissimum , atque existimatio (§. 309) : nulli igitur 1) res suae sunt auferendae , aut 2) existimatio , et fama quomodocumque violanda. Ex quo colligitur , vituperium , ac contemptum aliorum , et hinc dicta , vel facta ,

et scripta omnia, quae in aliorum vergunt contumeliam, seu *injuriam* strictius (§. 161) sumptam, officii perfectis repugnare. Etsi vero nemo majorem, quam simplicem existimationem alteri tribuere debeat; attamen, qui cum contemptu externo existimationem acquisitam alicui denegat, eum laedere adhuc est censendus.

Etiam volenti fit injuria.

§. 358. Quoniam juri stricte tali, quod nimirum cum obligatione connexum est, renuntiare, et semetipsum lege solvere nemo potest (§. 147); consequens est, ut scientis, et volentis intellectum, vel voluntatem corrumpere; eum vita, sanitate, fama, rebusque necessariis privare; aut quomodocumque imperfectiorem reddere adhuc justitiae repugnet. Falluntur igitur qui ad vulgatam regulam, *Volenti non fit injuria*, provocant indiscriminatum. Ea enim tantum valet, si agatur de juribus permissivis, quibus utendi, vel non utendi libertas est concessa.

Officia ex laesione provenientia.

§. 359. Cum autem ei, qui auctor est cujuslibet facti, omnia quoque ejus consecutaria assignanda sint (§. 192), damnum vero, quod injuria datum, laesionis moralis sit effectus; facile patet, eum, qui alterum dolo, vel culpa laesit (§. 213 *Schol.*), etiam damnum ferre, et porro ad dandam laeso omnem, quae

fieri poterit, reparationem teneri. Si namque auctor facti injusti ab onere reparationis esset immunis, tum non ad eum, qui libere agit, sed ad eum, qui necessario patitur, consectaria actionis moralis pertinerent, quod omnino absurdum est. Frustanea insuper fuisset neminem laedendi lex, si ea sanctione destituta esset; potentiores enim debiliores opprimerent; et propter utilitatem suam alios spoliarent, et ita humani generis societas omnino disrumperetur.

Quid damnum.

§. 360. Omne malum, quod nascitur ex laesione, *damni* venit nomine: igitur ea mala, quae vel ex usu juris nostri, vel ex neglectu caritatis alter patitur, ad damna non pertinent. Cum autem laesio vel physica tantum sit, vel moralis (§. 161); ita et damnum aliud *physicum*, *fortuitum*, seu *casuale*; aliud vero *morale*, seu *injuria datum* nominatur: quod postremum pro reatus diversitate in *culposum*, et *dolosum* abit (§. 213 Schol.). Porro damnum ratione causae, et modi vel *immediatum*, vel *mediatum* (§. 208); et ratione facti, aut legis jam *commissionis*, jam *omissionis* (§. 57. 4) esse potest. Hisce nonnulli damnum addunt *positivum*, et *negativum*; quod tamen idem ac immediatum, aut mediatum; *commissionis*, aut *omissionis* est.

Quotuplex illud reparandi modus.

§. 361. *Damnum resarcire* seu reparare idem est, ac efficere, ut laesus bonis per laesionem ademptis expleatur. Ad quod quidem duo generales comparati sunt modi; quorum alterum *Restitutionem*; alterum *Satisfactionem* nuncupant. Nimirum restitutio est, cum illam ipsam rem singularem reddimus, quae fuit ablata: satisfactio vero, cum alia in locum eorum, quae fuerunt diminuta, veluti vicaria substituimus. Etsi enim aliquando in rebus ademptis restituendi via relinquatur; ubi tamen vitae, membri, corporis integritatis, famae, aut honoris facta est jactura, tunc sola *satisfactio* obtineri potest.

Damni quantitas definienda.

§. 362. Quoniam reparatio damni ad id comparata est, ut imperfectiones per laesionem adlatae corrigantur (§. 361); determinare omnino oportet, quantam laesus, sive immediate, sive mediate fecerit jacturam, ut nec plus recipiat, nec minus; sed inter ea, quae fuerunt adempta, cum iis, quae resarcienda sunt, proportio teneatur. Fac enim laesum plus, quam quod eidem abest, exigere damni nomine; non jam suum quaereret, sed alienum; et eo ipso laedentis indueret personam.

Quid de damno a pluribus illato.

§. 363. Si plures sint damni auctores, recte prodita illa est distinctio, ut si *dividuus* sit actus, quilibet, quantum nocuit, tantum praestare teneatur; cum vero actus fuerit *individuus*, nec certa pars damni singulis possit assignari, tunc omnibus simul sumptis in solidum reparatio incumbat. Etsi autem uno correo damnum sarciente, jus laesi in reliquos auxiliatores eatenus perimatur; eum tamen de futura securitate pro ratione malitiae cujusvis et juxta datas alibi de quantitate imputationis regulas (§. 212), sibi adhuc prospicere posse, patebit suo loco.

An ad illud praestandum furiosi, aut mente capti teneantur.

§. 364. Contra ex eo, quod damnus sine injuria datum nemini possit imputari; sequitur, ut furiosi, mente capti, infantes, alii-que rationis usu destituti ad sinendum cuique, quod suum est, adeoque ad ipsam rem ablatam restituendam jure quidem cogantur; re autem pereunte, ab iis, qui nec damni sunt auctores, nec suum augent ex alieno, satisfactio ex justitia proprie dicta nequeat postulari (§. 167). Valet enim tunc illa Juris regula: *Casum*, sive infortunium (§. 161), nisi ad alicujus libertatem referri possit, a nemine esse praestandum.

De horum officiorum collisione.

§. 365. Quemadmodum officia humanitatis, et beneficentiae (§. 338), ita officia etiam justitiae cum officiis erga nos ipsos aliquando in conflictum venire solent. Hoc autem cum acciderit, locum habebit *exceptio*, seu facultas moralis legem negligendi debiliorem, ut propter conflictum legi fortiori pareatur (§. 60), illud semper eligendo, quod ad majores perfectiones obtinendas valeat, malumque physicum morali, et minus maiori praeferendo (§. 69 et 318).

Officia erga alios justitiae praeferenda officiis erga nos commoditatis.

§. 366. Etsi vero aliquando lege interna, et ex caritate quis alterum sibi ipsi praeferre obligetur (§. 340); nemo tamen, ut id praestemus, nos vi externa cogendi naturaliter jus habet (§. 167); quippe quod tantum a laesione ducitur (§. 165); et propterea, vel proprii, vel alieni commodi causa, quid alicui ex suo detrudere minime licebit. Si enim sic affecti sumus, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, totam humani generis societatem dirumpi necesse est (§. 345).

Non autem incolumitatis.

§. 367. Quod si autem officia incolumitatis erga se vel alterum cum officiis justitiae

ita inter se pugnarent, ut vel uni esset pereundum; vel jus alterius, salva tamen ipsius incolumitate, violandum: tunc, quoniam quisque jure gaudet connato se, aliosque ab interitu liberandi, utique hujus juris exercitio poneret impedimentum, quicumque res alteri necessarias, et sibi tantum utiles postulanti recusaret; ac propterea jus etiam cogendi tribueret. Ex quo conficitur, ut, si id, quod nobis utile aut jucundum, cum eo, quod aliis necessarium est, comparetur, jacere quoque utilitatem nostram oporteat, et aliorum necessitatem valere.

§. 368. Ut tamen ejusmodi facta *favore necessitatis* ab omni culpa eximantur, necessarium omnino 1) ut in eum statum sine culpa quis deveniat; 2) ut necessario pereundum, nullumque aliud evitandi periculum medium supersit; 3) ut tantum sumatur, quantum praesens necessitas exigit; 4) et ut propositum restituendi habeat, qui eo necessitatis jure utatur, et damnum postea praestet, si occasio ferat.

§, 369. Hisce observatis regulis, non difficile erit judicare de variis speciebus, quae accidere solent, et de quibus quaeritur, ex. gr. an liceat naufragii periculo alienarum mercium jactum facere; ob incendium alterius aedes diruere (a); piscatorum retia; aut re-

(a) Reparatio damni in incendiis nec semper servari potest; quia incertum an, domo non diruta, altera ab incendio liberata fuisset.

tinacula navium praecidere, ne cum scapha, in quam descendimus, aquis submergamur, et alia ejusmodi.

Nisi alter in pari necessitate versetur.

§. 370. Gravior autem est quaestio super electione officii, cum incolumitas nostra cum alterius incolumitate configit. PUFFEND. asserit, licitam, et honestam esse quamlibet expediendi salutem rationem, *dummodo necessitas proveniat a DEO, aut ab hominis malitia.* HEINEC. eandem sententiam fuit amplexus, hisce tamen conditionibus adjectis, scilicet, 1) *dummodo per nos non steterit in hujusmodi necessitatem incidere*; 2) *neque par sit utriusque conditio*, quia aequalis adversus aequalem nullo favore utitur.

HEINEC. sequutus fuit Clariss. DE MARTINI, et merito, ut nobis videtur. Nam 1), ut ait, cum jura sunt aequalia, unum altero efficacius esse nullo modo potest: 2) neque ulla detegi ratio, cur, qui remedium evadendi habeat, ab altero, qui id non tenet, illo spoliari possit: 3) quia si quisque hoc suum remedium jure tuetur, injustum omnino oportet esse aggressorem, qui alteri id conatur eripere; et 4) quia jura repugnantia dedisse a Divini Legislatoris sapientia omnino abhorret.

§. 371. In ejusmodi igitur calamitate adeo gravi, et miserabili, illud rationi con-

sonum videtur, ut omnia in eodem statu permanent, et nos, resque nostras ineffabili DEI providentiae committamus, veluti in gravi morbo, casuve aliquo ex improvise, aut inevitabili causarum nexu emergenti; novit enim Ens Omniscium, et summe Bonum, ac Omnipotens indigentias nostras, eisque potest, ac vult subvenire.

Quod ad varias species applicatur.

§. 372. Ex hisce autem manifesto conficitur, eum, qui fame periturus, panem alteri aequè necessarium jure auferre minime posse; et nemini hominem etsi consentientem (§. 358) occidere fas esse, ut eo in summa inopia vescatur; neque illi, qui e naufragio secus nequit enatare, alterum de scapha, vel tabula, quam jure tenet, depellere licere: aut homini mediae viae interposito, nec de illa declinare valenti, certam necem inferre, et ita facilitare fugam, cet.

Quid vero, si a malitia alterius ejusmodi necessitas proveniat?

§. 373. Contra vero si necessitas non a DEO, sed ab alterius malitia proveniat, jure enim connato se defendendi, et vim vi repellendi homo gaudet, a connata, et primitiva obligatione se conservandi descendenti.

§. 374. Quoties igitur alter jura nostra

aequalitatis, libertatis, et independentiae turbet, ita ut laesio animi, corporis, vitae, membrorum, ceterarumque rerum nostrarum vel jamjam immineat, vel actu inferatur, vel plane sit secuta, et ea mala non aliter averti possint, quam si laesionem intentans aliis malis physicis a nobis etiam afficiatur, aderit tum officiorum collisio, in qua locum *exceptio*, seu *necessitatis jus* habet, cujus vi erga nos officia officiis erga alios praeferenda. Alios enim tamquam nos amare, non laedere, et defendere; consequenterque nos etiam tamquam illos amare, laesionem non pati, et nos defendere tenemur.

Quisnam esse debeat coactionis scopus.

§. 375. Tunc igitur tot alteri mala inferre licebit, quot erunt necessaria ad finem propriae conservationis obtinendum; ea scilicet omnia, quae durans status collisionis exigit, donec pro laesione praesente *depulsio*; pro praeterita *reparatio*, vel *satisfactio*; et pro futura *securitas* sufficiens obtineatur.

Praeferenda leniora media.

§. 376. Quoniam facultas vi alterum cogendi ex statu collisionis oritur; nec ad alia media jus competit, quam quae necessaria sunt ad laesionem avertendam; consequens sane, ut media duriora adhibere non liceat, quamdiu leniora sufficiunt. Si quis enim sta-

tim durioribus utatur, media impendit non necessaria, et ad quae non habet jus, media porro injusta; atque adeo laesus fit laedens, quamprimum excedit defensionis modum.

§. 377. Quamdiu igitur spes est fore, ut alter verbis, aut innoxiiis factis a laesione futura absterreatur, aut ad laesionem, forte ex errore, et ignorantia illatam, reparandam disponi possit, tamdiu manum conserere esset injustum. Quod ipsum dicendum est, si is, cujus nuda declarationi de non laedendo, aut laesione resarcienda fidem praestare satis tutum non est, dare alias cautiones, velut fidejussores idoneos, aut pignora, sit paratus.

Quando fortiora adhibenda.

§. 378. Quoties igitur frustranei omnino sint leniores, placidique modi, nec aliud omnino medium ad avertendam laesionem, quam cum ipsa aggressoris morte conjunctum, justa quidem tum erit violenta defensio; 1) ad nosmet namque conservandos necessario tenemur (§. 298); et 2) alios tamquam nos, non vero plus, amare; 3) aliter obligatio nobis esset injustissimam mortem subeundi, quod absurdum; et 4) ad id nos ducunt tum naturales stimuli, nullus enim vehementior sensus, et amor, quam vitae, neque ulla maior aversio quam mortis; tum ipsa ratio, quae, posita collisione, praecipit de con-

servando proximo custodiam impossibilem omnino esse, nos docet.

Defensionis violentae limites.

§. 379. Ut tamen locum habeat violenta defensio, diciturque possit *inculpata tutela*, necessarium omnino, 1) ut periculum sit praesentissimum; 2) ut non aliter, quam alterius destructione evitari possit; 3) ut ejusmodi necessitas ab alterius scelere proficiscatur; si enim a nobis, nullus necessitatis favori locus; 4) ut in statu naturali simus, quo nullus Judex, nullus superior, qualis in quo hodie Imperantes, et Nationes erga alias; vel, si in civili, in extremo versemur periculo, solumque eo modo illud effugere possimus.

An praeferenda fuga?

§. 380. Queri solet, an quis ad fugam sit obligatus? Si tuto effugere possimus, securitatem nostrae consulere, ad periculum utique obstricti sumus; non enim praesentissimum est periculum, quod evitari potest, et nulla collisio, si fuga sibi consulere quis potest; neque turpius (*a*), nisi in milite ad moriendum potius, quam fugiendum obligato, quam si quis rabidum canem, aut famam effugeret. Non ita tamen, si anceps fuerit periculum; terga enim adversario praebens facultate se defendendi privatur, et si ca-

dat, aut adsequatur eum hostis, ad se defendendum disponere denno perdifficile foret.

(a) Veteres Casuistae docebant, non debere viros nobiles, dignitate conspicuos fuga sibi consulere, ne viles, et nihilo haberentur.

Adversus quos locum habeat.

§. 381. Neque refert, demens, furiosusve sit aggressor, aut nos errore petat; jus enim nosmet defendendi non ab alterius malitia, sed ab obligatione, et jure connato nosmet conservandi derivatur. Quemadmodum igitur nobis jus est contra bruta, belluasque nos defendere, quamvis nulla culpa, dolusve eis imputari possit; ita contra furiosos, mentecaptos, aut qui per errorem alium petentes nos invadunt.

De jure praeveniendi.

§. 382. Quia jus praeveniendi est facultas moralis injuriam quamcumque imminentem vi repellendi; hoc etiam competit, si vita, corpus, aut res nostrae in praesens et certum discrimen deducantur. Si vero malum tantum metuamus, aut *suspiciemur*; id est, confuse ex levibus et dubiis argumentis nobis representemus; tunc cum malum, tum jus nostrum defensionis incertum est, nulla-que proinde adest justa, satisque idonea belli causa.

*An pro integritate corporis licita violenta
defensio.*

§. 383. Cum quaedam sint calamitates, quae aliquando ea ipsa vita acerbiores sunt, a ratione non alienum ducimus, ut necessitatis favor locum etiam habeat, cum de integritate corporis servanda agitur; 1) nemo enim praevidere potest, an cum vitae periculo ejusmodi laesio sit conjuncta; ex minimo enim vulnere mors aliquando sequitur; 2) membra quaedam cum vita pari passu ambulant, ex. gr. oculi; 3) aliquando per omnem vitam infelix manet, qui ex. gr. manum amittit; quaecumque victum, et amictum parabat; 4) conjuncta insuper cum gravissimis doloribus est vulneratio, aut mutilatio, ac proinde parum rationi conveniens, ut propter aliorum amorem tanta patiamur mala.

Pro pudicitia.

§. 384. Nullum dubium ratione pudicitiae laedi etiam hominis statum, sive blanditiis (a), sive vi, ejusmodi laesio intenteur. Utroque enim modo existimatio detrimentum patitur; est enim pudicitia praecipuum alterius sexus ornamentum, et quod pari vitae pretio aestimatur; 2) plerumque turbantur familiae, et parentes, cognati, sponsique laeduntur; et 3), si stuprator a vi non desistat, non tam pudicitia, quam vita periclitatur.

(a) Graecorum legibus gravioribus adhuc poenis puniebatur stuprum blanditiis, quam vi sollicitatum. Quamvis enim volenti, et consentienti nullam injuriam fieri videatur, hoc tamen minime intelligendum de obligationibus, quibus quis obstrictus est; his enim renuntiare, et semet ipsum solvere nemo potest.

§. 385. Dissentiunt tamen alii, 1) quia si per pudicitiam virtus moralis intelligatur, ea animo inest, et nunquam perdi potest; et 2) si per physicam integritatem corporis, nunquam praefendum physico malum morale; et 3) quia in statu civili a Magistratu impetrari debita satisfactio possit.

§. 386. Interim tamen 1) justus dolor; 2) stupratoris vis, et malitia; 3) metus infamiae; et 4) satisfactionis incertitudo, non contemnendae videntur causae, ut necessitatis favore ejusmodi facta judicentur.

Schol. Qui pro excusatione caedis stupratoris pugnant, variorum populorum leges in comprobationem adducunt, quibus pudicitiae aequae ac corporis defensio cum aggressoris nece permittitur, et maximis laudibus celebrant C. Marrii judicium, quo non modo absolvit, sed corona etiam donavit militem, qui Tribunum ad stuprum sollicitantem interfecit.

Excusant etiam ipsum suicidium ad exemplum Lucretiae, Milesiarum, et Antiochenarum Virginum (a), stuprum evitandi, aut vindicandi causa, perpetratum. Illicita tamen semper autochiria, ejusmodique facto innocens, non nocens punitur.

(a) Vid. GROT. de Jur. bel. et pac. L. II. c. 19. §. 5. no. b.

An pro existimatione, aut honore.

§. 387. Disputari etiam solet, an is, qui

pro honore , ac existimatione tuenda , ex. gr. pro amolienda alapa , calumniave aliqua , ad eandem provolavit , moderamine inculpatæ tutelæ usus esse videatur. Equidem , et non immerito , nihil post vitam præstabilius honore esse nos docent Majores nostri ; et ideo non mirum , quod sibi persuasi fuissent , violentam honoris defensionem licitam omnino esse. Interim tamen mala moralia nunquam præferenda physicis. Neque aliorum de virtute nostra opinio , pro alapa ex. gr. innocenter accepta , amittitur , sed vitiis , ac facinoribus adversus legem commissis. Insuper numerum plurimum non desunt remedia , præsertim in civili quo vivimus statu , quibus congruentem satisfactionem obtinere possimus (§. 313 *Schol.*).

Pro rebus , juribusque nostris.

§. 388. An res et jura etiam armis et interneccione aggressoris tueri liceat , a quibusdam dubitatum ; quod 1) nulla proportio sit inter res unius , et vitam alterius ; et quod 2) res nostras alterius vitæ servandæ causa ultro dare obligemur. Enimvero qui res aufert , is ea media adimit , quibus vita toleretur , quorum si injusta esset defensio , tunc justa foret ablatio. Neque opus est , ut proportio inter damnum et malum læso intentandum servetur , sed inter damnum et medium necessarium pro defensione ; aliter enim , si pro re-

bis minoribus esset vetita, audaciores quotidie fierent fures.

Schol. Leges Moysaicae, Solonis, et XII. Tabul. furem nocturnum occidere permittebant, non vero diurnum, nisi telose defenderet, ea fortasse de causa, ut ait Grotius, 1) quia non facile dignoscetur nocte an fur, sicariusve sit; 2) difficilius recuperari res possint, quia ignotus fur; et 3) quia Magistratus auxilio uti non possumus.

Quando defensio caritati repugnet.

§. 389. Quamvis mediorum usus a cuiusvis judicio pendeat in foro externo; caritati tamen et aequitati naturali repugnaret, si, deficiente licet omni alio medio, quis ob rem, qua carere posset, quamque ad salvandos alios ipse vi beneficentiae gratis dare teneretur, occideret fugientem furem. Quare defensio externe justa, non statim etiam interne justa dici potest.

Loca Sacrarum Litterarum declarantur.

§. 390. Haec Jure Naturali satis sunt perspicua. Fuere tamen, qui defensionem, Legi Evangelicae repugnare opinati sunt propter loca MATTH. C. V. v. 39. *Non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebes illi et alteram; et ei, qui vult . . . tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium;* et APOST. Ep. ad Rom. C. XII. v. 19. *Non vosmet ipsos defendentes, carissimi, sed date locum irae;* aliaque similia.

§. 391. Enimvero Evangelium vult alios

a nobis diligi aequè ac nosmetipsos, non autem magis; ipsi enim Apostoli gladio utebantur (a). Nec negotium faciunt objecta loca. Siquidem D. MATTHAEUS tam de levi injuria loquitur, quam illa, quæ futura esset Religionis causa: D. PAULI autem verba tantum ad vindictam pertinent; sunt enim sic vertenda: *Vosmet non ulciscentes*; quemadmodum contextus docet.

(a) Luc. C. XXII, v. 38; GROTIJ. *de Jur. bel. et pac.* L. I. C. 3, §. 1—4.

An liceat defensionem omittere, juriq̄ suo renuntiare,

§. 392. Perdifficillior vero quaestio videtur, an contra officia agat, qui in aliqua extrema necessitate constitutus mori potius eligit, quam defensionem suam cum aggressoris necesse prosequi. Verum quidem est, Legem de nobis servandis praeceptivam esse (§. 287, et 297), et ab obligationibus, ac juribus stricte talibus neminem se ipsum exsolvere posse (§. 147, et 358): cum tamen in collisionis statu praefèrendum semper quod maiores perfectiones involvat (§. 60); bonum totius bono partis; obligatio composita, et fortior simplici, et debili (§. 340, et 341), et nos non nostri tantum, sed congenerum nostrorum, patriae, parentum, ac familiae etiam causa creati fuissimus (§. 299): sane quidem, si ea persona fuerit aggressor, ut ab ea magna pars homi-

CAP. XIV. DE OF. CIRCA SERMONEM. 233

num, et reipublicae salus pendeat, veluti ex. gr. Imperans, armorumve Dux, in ejusmodi collisione pro patriae, et sociorum nostrorum bono fieri exceptionem debere, indubium nobis videtur.

Vid. GROTIJ. *de Jur. bel. et pac.* L. II. C. 1. §. 3 et seq., et C. 2. §. 6—9; PUFFENDORF. *de J. N. et G.* L. III. C. 1, et L. II. C. 5 et 6; *de Off. H. et C.* L. 1. C. 5. et 6.; HEINEC. *de J. N. et G.* L. I. C. 6 et 7. et *Praelect. ad Gr. et Puf. loc. cit.*; WOLFF. *J. N. et G.* Part. 1. C. 3; DE FÉLICE *Leçons de Droit de la N.* et *des G.* Lec. 17, 18, et 20.

C A P U T XIV.

DE OFFICIIS CIRCA SIGNIFICATIONEM MENTIS.

§. 393. **N**on solum factis nostri similes laedere possumus, eos percutiendo, vulnerando, occidendo (§. 356); suum subtrahendo, sua jura turbando, violando, quovisve alio modo suum diminuendo (§. 161); sed etiam sermone nostro, eos decipiendo, ac in errorem, ex quo aliquod malum eis eveniat, inducendo.

Generale sermocinantium officium.

§. 394. Quemadmodum itaque actiones nostrae omnes cum fine ultimo conspirare oportet.

tet; ita officium generale et absolutum sermoneinantis est, ut toties animi sui sensa alteri communicet, quoties sine hoc remedio divinum cultum, sui, ac aliorum perfectionem non possit promovere: contra vero a quacumque locutione abhorreat, quae amori, tam Summo Numini, quam sibi, atque aliis debito adversatur; quod ex traditis antea pietatis, philautiae, justitiae et aequitatis officiis abunde illustrare licet.

Hujusce officii principium.

§. 395. Idem itaque principium, ac rationem sufficientem habet hoc officium, ac cetera omnia, de quibus jam verba fecimus. Descendit namque ex jure, quo unusquisque gaudet se conservandi, ac perficiendi (§. 154. et 287), et ex generali obligatione, qua omnes nos adstringimur ad nostri similes non laedendos, sed juvandos (§. 353. et 324), et ad nihil eis faciendum, nisi quod nobis fieri volumus: quae omnia in ipsa essentia, naturaeque hominis, eadem in omnibus, fundamentum habent (§. 325).

Quomodo animi nostri sensa alteri declarare possimus.

§. 396. Is mentem suam declarat, qui actionem animae internam, veluti cogitationem, aut volitionem, alteri notam facit. Quod quum praestari nequeat sine aliqua actione

externa, quae internae signum sit; consequens est, ut qui animi sui sensa significare, seu loqui generatim intendit, ei signa quaedam adhibenda sint exteriora, quae actionibus internis tam illius, qui easdem significat, quam ejus, cui haec significatio fit, respondeant.

§. 397. Hoc autem experientia docet per sonos articulatos consequi posse, id est, per sonos, per organa loquelae tam diversimode modificatos, ut diversae inde emergant voces, quibus res omnes, et earum modos, statum, et actiones, passionesque nostras denominare placuit. Quare sermo est sonus articulatus, quo animi nostri sensa cum aliis clare ac distincte (a) communicare possumus.

(a) Quamvis animalia cetera hinnitu, rugitu, murmure, boatu, latratu, similive sono incondito animi sui sensa, et affectus prodere videantur, ea tamen non nisi confuse, et obscure intelligere possumus. Homini id praeterea divinitus datum, ut, quid cogitet, clare, ac distincte eloqui, de eoque alterum certiore reddere possit. Quod jactabat Pythagoras se non modo brutorum sermonem intelligere, verum etiam cum iisdem colloqui posse, eum vel esse fanatici ingenii hominem, vel insignem impostorem ostendit.

Ea signa vel expressa, vel tacita esse possunt.

§. 398. Est autem mentis declaratio alia *expressa*, si verbis, seu sonis articulatis, scriptura (a), vel quibuscumque aliis certis, ac determinatis signis, veluti maniloquio, pediloquio utamur (b); alia *tacita*, quando ea facta ponuntur, ex quibus habita loci, temporis,

ac reliquorum adjunctorum ratione, agentis intentio probabiliter colligitur, juxta id, quod plerumque accidit.

(a) In eo non acquievit humanum ingenium, quod rebus omnibus certa, ac distincta nomina imposuisset, sed et alia signa invenit, quibus loco sermonis uteremur, cum eo utendi occasio non esset, figuras scilicet litterarum, quarum ope etiam absentibus, aut non audientibus sensa animi clare, ac distincte communicare possumus; quod sane tam stupendum, ut non defuerint, qui ipsi DEO id tribuere non dubitarent.

(b) Quamvis colloquendi modi per motum capitis, oculorum, pedum, gestusque alios, sicut etiam per digitos, ut mos est apud Turcas, non solum elingues, sed magnates praesertim, sermonis nomen non mereantur; loco tamen sermonis inserviunt; et ideo quod circa sermonem, circa ea etiam, justum aut injustum est.

Silentium aliquando praeceptum, aliquando prohibitum.

§. 399. Cum itaque a quacumque locutione abhorreere debeamus, quae amoris, tam Summi Numinis, quam nobis, et aliis debito adversetur (§. 394); consequens est, ut intermissio locutionis, seu *silentium*, jam ad actiones praeceptas, jam ad prohibitas pertineat. In prioribus virtus *taciturnitatis*, in posterioribus vitium *reticentiae* positum est.

Idem de *dissimulatione* dicendum, seu occultatione, aut intermissione actionis externae (§. 398), quae internam proderet.

Signis usu receptis utendum.

§. 400. Qui signis externis utitur, ad id

quod cogitat significandum haud receptis, ille animi sui sensa alteri non declarat, neque efficit, ut ab eodem intelligatur, ac proinde aut eum ludificat, aut *fallit*, sive inducit in errorem, laeditque. Quapropter aut servare silentium, aut, obligatione loquendi existente, iis uti signis necesse erit, quae ad mentem declarandam sunt idonea; et facta vel vocabula adhibere, prout communis fert usus. Vid. HORAT. *Art. Poet. v. 72.*

Quid veriloquia, et falsiloquia.

§. 401. Veritas generatim dicitur vacuitas a repugnantia, et speciatim veritas *moralis* concordia nostrorum verborum, vel parit alterius signi (§. 398) cum mente nostra; et *logica* concordia objecti cum ideis, iudiciis que nostris.

§. 402. Erunt itaque sermones nostri *veri*, *veriloquia*, cum menti convenientes; et *falsi*, *falsiloquia*, cum disconvenientes fuerint. Ambo quidem tam logice, quam moraliter, et aliquando, qui veri moraliter, logice falsi, et vicissim esse possunt; sicut et *sinceri*, tam sermones, quam actiones externae, si clare, quod in animo habeamus, significant; vel *simulati*, si aliud, quam quod re ipsa est, denotent, ac ostendant.

§. 403. Sermonum simulatorum sit exemplo *Abrahami* dictum famulis suis, cum ad immolandum filium *Isaac* in montem ascen-

debat (Gen. XXII. v. 5.); responsum *Hebraearum Obstetricium Pharaoni* datum (Exod. C. I. v. 19); et *Salomonis* iudicium (L. III. Reg. C. III. v. 25); et actionum simulatarum *Jacobi* factum, vestibus fratris sui *Esau* induti, ut benedictionem a patre acciperet (Gen. XXVII. v. 15, et seq.); factum *Josephi*, fingens fratres non cognoscere (Gen. C. XLII, et seq.); factum *Rahab* (L. Josue C. II. v. 6); et *Michol* (L. I. Reg. C. XIX. v. 13).

*Quid mendacia, eorumque discrimen
a falsiloquiis.*

§. 404. Majores nostri *falsiloquia* a *mendaciis* distinxerunt, illa dicentes *locutiones contra mentem sine animo alterum fallendi*; et ea *locutiones contra mentem cum animo alterum fallendi*: et *falsiloquia mendacia interna*, et quidem vel *jocosa*, si jocunditatis, et oblectationis tantum causa sint conflata; vel *officiosa*, si plane quis aliorum utilitatem aut commodum falso sermone promovere conatur; *mendacia autem falsiloquia externa*, et *perniciosa*, denominarunt, eo quod in alterius injuriam dirigantur. Cf. S. AUGUST. *Enchir. C. 22.*

De mendacii moralitate;

§. 405. Cum itaque sermo non alio fine a Natura nobis datus, quam ut DEI cultum, et perfectionem nostram, nostrique similium

facilius promovere possimus (§. 394); et lego aeterna, ac immutabili praescriptum sit, ut nosmet invicem amemus, juvemus, neminem laedamus, sed omne illud aliis faciamus, quod nobis fieri volumus: mendacia sane, seu locutiones, quibus alios in errorem inducimus, aliave quaevis mala eis invehimus, Naturae legi esse prorsus repugnantia, luce meridiana clarius (§. 327, et 353).

§. 406. Hoc naturae praeceptum repetitum in Lege Veteri: *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum* (Levit. C. XIX. v. 11.); et a DAVID enunciatum: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (Psalm. V. v. 7.); atque a SALOMONE: *Verbum mendax justus detestabitur* (Proverb. C. XIII. v. 5.); districte commendat APOSTOLUS (Epist. ad Ephes. C. IV. v. 25; et ad Colos. C. III. v. 9): *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Nolite mentiri invicem.*

Et falsiloquii, tam officiosi quam jocosii.

§. 407. Idem de mendaciis internis, seu falsiloquiis tam officiosis, quam jocosis dicendum. Non modo enim generatim obligationem veritatem semper dicendi, in socialitate, et sermonis scopo principium habentem, offendimus; sed insuper ejusmodi loquendi modis saepe assuescit homo, et occasionem

dat, ut, etiam cum vere loquatur, nullam ei fidem alii praebeant. *Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona* (Eccl. C. VII. 14). *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (Matth. C. XII. v. 36).

Quid in collisione extremæ necessitatis faciendum;

§. 408. An autem mendacii genere et illud falsiloquium morale contineatur, quo quis, orto officiorum conflictu, eo tantum animo utitur, ut legi per se fortiori, veluti hominem ab interitu liberandi, satisfaciat; quaestio est, ut jam observaverat D. Augustinus, *latebrosa et inter doctos alternans*. Plurimi cum eodem affirmant, quod huiusmodi locutiones dissensum pariant in agente, adeoque imperfectionem; nullus autem fingi casus possit, in quo a natura et fine sermonis liceat declinare.

§. 409. Addunt porro veritatem vita esse pulcriorem; et, hoc qui negent, illos viam aperire mendaciis, et fortissimum humanae societatis vinculum discindere. Illud denique potissimum urgent, huiusmodi falsum sermonem divinae veracitati adversari; nullum autem antiquius officium esse ducendum, quam

quod in non obscuracione divinae gloriae collocatur (§. 68): verissime igitur docere Hebraeos, *Si quis novit uti perplexiloquio, recte; sin minus, taceat.*

§. 410. Equidem, cum non aliam ob causam nobis datus fuisset sermo, quam ut DEO cultum exhibeamus, atque nostri, et aliorum commodis pro virili inserviamus (§. 405); et ex jure uniuscujusque congruens oriatur obligatio, ceteros omnes adstringens ad alterum in juris sui exercitio non turbandum, alias enim inutile ejus foret jus (§. 52, et 141); minime quidem verti potest in dubium, toties nos teneri non tacere, non dissimulare, non falsum dicere, aut in errorem, ex quo detrimenti aliquid sequatur, alterum inducere; quoties ei veritatem a nobis exigendi perfectum, imperfectumve jus sit; veluti, si fuerit superior, cui subjecti maneamus, aut quis in aliqua necessitate constitutus, a qua sine detrimento eum liberare possimus (§. 332), ex. gr. rectam erranti demonstrare viam, insidias paratas declarare, cet. Tum certe, qui alteri, cum jure perfecto, aut imperfecto interroganti, dissimularet, aut falsum diceret, nulla excusatione a debita imputatione liberare se poterit.

§. 411. Verum enim vero, quoties alteri nullum jus perfectum, imperfectumve sit notitiam quamvis a nobis exigendi, et ex veri

declaratione nostri, vel aliorum, interitus sequatur, veluti si grassator aliquis, an cum cognoscamus, nos interroget; aut percussor quispiam, ignorans nos esse, quos quaerit, de nobismet ipsis inquirat; vel hostis de urbis defensione, patriaeque statu explorare nos velit; vel quis iracundia ardens, ubi delitescat, quem ad trucidandum persequitur, nos vi aut minis dicere cogat, cet. Naturae Legi certe quidem non videtur repugnare, si taceamus, aut sermone simulato utamur, falsumve quid dicamus. Nemo enim inficias ire potest, postulare caritatis legem, quae reliquarum mensura est, ut necessitatis officia ceteris omnibus praevaleant, dummodo pietas erga DEUM nullo modo violetur (§. 67), et ita fiat exceptio, ut lex fortior praeferatur debiliori (§. 66). Quis autem dubitet in collisione vitam amittendi, aut alterum in errorem inducendi, vitae conservationem fortiolem esse? Homicidia, et rerum alienarum ablationes, sunt natura turpia, et a lege prohibita; mala tamen esse desinunt, si posito obligationum conflictu recta exceptio instituat (§. 61).

Neque aliter censuerunt olim quamplurimi Ecclesiae Patres (a), consentque hodie quamplurimi etiam Catholici Doctores. Imo non desunt, qui ejusmodi falsiloquia non modo injusta non dicenda asserant, sed officii po-

CAP. XIV. DE OP. CIRCA SERMONEM. 243

tius, quam falsiloquii nomen mereri, ex eo quod non ex dolo malo alterum decipiendi, laedendive, aut ex levitate animi; sed ex prudentia, et animo eam adimplendi legem proficiscantur, quae in collisione praefenda sibi videtur. Ubi jus alteri non est, nulla etiam laesio.

(a) *Origines, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Lactantius, Chrysostomus, Cassianus, et alii.*

Et non extremae, tam respectu nostri;

§. 412. Neque solum in extrema necessitate locum habet *jus*, et *favor necessitatis*, sed in alicujus etiam gravis mali collisione (§. 63, et 65); veluti si aperto sermone utendo, et veritatem ei aperiendo, cui nullum perfectum, imperfectumve jus est eam inquirendi, latroni ex. gr., ubi pecuniam habeamus, sciscitanti, multum detrimenti inde nobis sequatur: non enim propter alios tantummodo, sed propter nos etiam datus fuit hominibus sermo; neque amoris lex alios plus, quam nos, sed tamquam nos tantum amare jubet. *Bene igitur ordinata caritas a semetipso incipit, dummodo exceptio legitime fiat (§. 339, et 365).*

Quam aliorum.

§. 413. Idem asserendum etiam de collisione illa, in qua veritatem loquendo nihil commodi, sed detrimenti plurimum aliis adlaturi essemus; non enim verba solum legis, sed ejus etiam finis prae oculis habendus, et non solum actionum moralitas, ex motu physico, sed ex ejus consuetariis computanda; neque ex sermonis fine ullum alium ejus debere esse usum colligitur, quam qui ad nostram, et aliorum perfectionem promovendam, ceteraque legis adimplenda praecepta inservit; et tum legi repugnantem esse, cum verba, et facta nostra, etiamsi menti convenientia, ad violanda legis officia nos inducant.

§. 414. Haec eadem fuit communis Majorum nostrorum sententia. Nodum vero per collisionis regulas non expediebant, sed per distinctionem sermonis, cum mentis cogitatione non convenientis, in mendacium, et falsiloquium (§. 404); asserentes mendacium nunquam licitum, contra vero falsiloquium. Falsiloquia autem dicebant sermonem cum cogitatione animi non convenientem, quo quis utitur adversus illum, cui nec perfectum, nec imperfectum jus est veritatem a nobis exigendi; contra mendacium, sermonem menti repugnantem, quo quis dolo malo utitur adversus illum, qui jure perfecto im-

CAP. XIV. DE OF. CIRCA SERMONEM. 245

perfectove gaudet, veritatem a nobis exigendi.

Hinc mendaces, et jure merito, non censebant, qui ex. gr. sine dolo malo verba a cogitationibus dissona furiosis, mentecaptis, infantibus, morbo laborantibus enuntiarent; vel iis, quibus praedictum esset, falsa narraturum iri; quique, juri sciendae veritatis permissivo renuntiantes, se falsas locutiones audire velle declarant; vel iis etiam, cum quibus non loquimur, et quibus mentem nostram occultare oportet, et inde errandi occasionem caperent; cetera.

De moralitate sermonis figurati;

§. 415. Ex hisce patet, quid dicendum de moralitate sermonis figurati, ex. gr. allegorici, fabulis, aut apologis referti, aut ambigui, vel simulati. Quoties enim 1) peculiaris non detur obligatio clare, et aperte cogitationes nostras declarandi, ideoque etiam verba in sensu proprio adhibendi; nullumque jus perfectum, aut imperfectum (§. 166) habeat alter nostra animi sensa exigendi; et 2) quoties aperta mentis declaratio plurimum detrimenti nobis, aut aliis afferat, vel nullum aliis, nobis autem plurimum; evidens sane, in hujusmodi collisione malum minus maiori praefereendum, illudque eligendum semper, quod maiores perfectiones contineat (§. 365, et 366). Ipsemet D. N. J. CHRISTUS

frequenter parabolis, et allegoriis utebatur, ut videre est apud MATTH. C. XIII; MARC. C. VI. v. 48. 49; LUC. XXIV. v. 28; JOAN. C. II. v. 19., et C. XI. v. II.

Veteres Philosophi etiam, Orientales praesertim, bene persuasi, non omnes homines veritatem ab hominibus paulo vilioris conditionis libenter audire, et homines factis, et exemplis facilius ad amplectendum bonum, et fugiendum malum moveri, Philosophiam Moralem per methodum aenigmaticam, hieroglyphicam, symbolicam, paradigmaticam, et characteristicam tradere solebant.

Et simulati.

§. 416. Quod autem ad sermones, actionesque simulatas pertinet, frequentia in ipsa Sacra Scriptura exempla leguntur, quae omnes a culpa eximunt; veluti *Abrahami* cum famulis colloquium, responsum *Obstetricium Egyptiarum*, *Salomonis* iudicium; *Jacobi*, *Josephi*, *Rahab*, et *Micholis* factum (§. 403) praeter alia multa.

Percelebris etiam est illa simulatio *S. Athanasii* (*THEODOR. Hist. Eccl. l. III*), qui *Julianum Apostatam* injuste eum persequentem mutatis vestibus fugiens, et ab ejus satellitibus interrogatus, an *Athanasium* noscet, et an hac via fugeret; respondit, eum tamquam se ipsum noscere, et non procul

abesse. Idem igitur de sermone simulato, quod de figurato dicendum.

De reservatione, quam vocant, mentali.

§. 417. Fuere, qui ut hisce difficultatibus occurrerent, *reservations mentales*, seu internas excogitarunt; sed hi magna minati, extricarunt nihil. Designant autem hoc nomine sermones, qui tum primum verum sensum habent, cum vocabula in mente retenta iis adjiciantur; veluti si quis interrogatus, an *litteras sibi exhibitas exaraverit*, fas se scripsisse neget, subaudiendo *Romae*, cum *Viennae* eas scripsisset. Cum autem hujusmodi sermones re ipsa a mente dissentiant, nemo non videt, eorum inventores vel egisse neugas, vel latebras mendacii quaesivisse.

De aliis mendaciorum latebris.

§. 418. In eodem prope luto haerent, qui reservationem pertaesi ita rem expedi posse arbitrantur, si, quod quis scire se negat, de cognitione, quam cum altero communicare fas sit, intelligat; aut, si vocabula in eodem rerum statu omni carena significatione adseramus; si quidem genus humanam, quod verbis vim tribuit ac potestatem, id ipsum tunc voluisse censatur. Prioris enim opinionis auctores doctrinam reservationum recoquunt; qui vero posteriorem sunt amplexi, animadvertere debuissent, ma-

litiā non in physico verborum sono, sed in voluntate fallendi reperiri.

De reservatione non pure mentali.

§. 419. Reservationes *externas*, seu, ut vocant, non *pure mentales* quod attinet, quas scilicet ex natura negotii, vel aliis signis sensibilibus acutus auditor deprehendere potest, facile admittunt omnes, ad eas tunc perfugere licere, cum quis veritatem nude patefacere non obligatur, sed potius ejus obtegendae justa subsit causa: etsi enim, aiunt, loquens verum sensum ab audiente non perceptum iri confidat; is tamen non alterius intendit deceptionem, sed occultationem veritatis, ipsiusque errorem solummodo permittit.

§. 420. Quoniam vero hujusmodi reservationes (§. 417, et seq.) re ipsa sint sermones ambigui, seu amphiboliae; evidens, tum solum excusabiles, cum nullum alteri perfectum, imperfectumve sit jus veritatem a nobis exigendi; vel si imperfectum sit, ex veritatis tamen declaratione aliquid nobis, aut aliis detrimenti sequatur. Non enim mendacium solum dicenda locutio juri alterius perfecto, aut imperfecto contraria, vel cum alterius damno conjuncta, sed quaecvis falsitas moralis; semper enim obligatio illa generalis violatur (§. 394, et 395), quae a socialitate et sermonis scopo ducitur, quaeque ab eo

CAP. XIV. DE OF. CIRCA SERMONEM. 249

contrahitur , qui dum alterum alloquitur , eo ipso prae se fert eidem , in falsas locutiones haud consentienti , veritatem se dicturum ; alias nullum humanæ societatis vinculum (a).

(a) Olim apud Indos ab honorum aditu penitus excludebantur , qui in mendacio semel deprehensi ; vel ex levitate animi , vel ex consuetudine ita se prostituerent.

Vid. GROTI. *de Jnr. bel. et pae. L. III. C. 1. §. 2 et seq.* ; PUFFENDORF. *de J. N. et G. L. IV. C. 1 ; de Off. H. et C. L. I. C. 10 ; HEINEC. de J. N. et G. L. I. C. 7. §. 194 — 203 ; WOLF. J. N. et G. Part. III. C. 2, et 3 ; DE FELICE Leçons de Droit de la N. et des G. Lec. 23.*

Explicit I. Pars.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
RESEARCH REPORT NO. 100
BY
J. H. GOLDSTEIN AND
R. F. W. WILSON
PUBLISHED BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILLINOIS
1954

POSITIONUM
DE
JURE NATURAE
PARS II.
SEU
JUS NAT. HYPOTHETICUM
NON SOCIALE.

Tom. I.

Q. 3

P A R S II.

DE

JURE NATURAE HYPOTHETICO NON SOCIALI.

C A P U T I.

DE RERUM PROPRIETATIS ORIGINE, ET GENERALIBUS EAM ACQUIRENDI MODIS.

§. 421. **A**Bsolvimus primam Juris Naturae partem, in qua obligationes, jura, et officia ea comprehenduntur, quae ad hominem, vel solum consideratum, vel in statu aliquo a Natura, sine praecedendi ullo ipsius hominis facto, collocatum spectant (§. 104, et 106); et quae ideo *connata, absoluta, aut primigenia* vocantur (§. 144), et eorum complexus *Jus Naturae Absolutum, seu Ethicum, aut Sociale generatim* (§. 223). Sequitur itaque, ut de eis obligationibus, juribus, et officiis verba faciamus, quae ad hominem in aliquo statu ipsius facto constitutum pertinent, et quae proinde *contracta, hypothetica, aut adventitia* nominantur (§. 144, et 168); in primis autem de hisce, quae ad statum non

socialem pertinent (Carol. §. 231), et quorum complexus idcirco *Jus Naturae Hypotheticum non Sociale* dicitur (§. 225, et 226) (a).

(a) Aliquibus fortasse displiceat ea *Juris Naturae Hypothetici non Socialis* denominatio. Equidem extra societatem, saltem absolutam (§. 106), minime considerari homo potest; ex eo tamen deducta locutio, quod hypothetica jura et officia hac in parte exponantur, quae nullam socialem relationem directe habent. Quod si vero aliquis eam expungere, aliaque uti malit, in hoc, et in ceteris suo indulgeat genio, eandem tamen nobis non recuset libertatem.

Juris N. Hypothetici non Socialis objecto.

§. 422. Sub *Jure* itaque *N. Hypothetico non Sociali*, de quo in praesentia facienda verba, illas obligationes, jura, et officia hominum comprehendimus, quae 1) ad rerum proprietatem acquirendi modos, et 2) ad jura, ac obligationes ex dominio provenientes spectant.

Quid proprietas, et quae ejus species?

§. 423. Per *proprietatem* intelligebant *Veteres* (veluti a *prope esse*) quidquid peculiare alicujus fuisset; per *peculium* autem, quidquid alicujus industria ac labore partum, ad eumque proinde stabiliter pertineret. *Juriconsulti* vero vocabula *proprietatem* et *dominium* (a proprietatis effectu) vel promiscue usurpare, vel per vocabulum *proprietatem* *dominium* usufructu diminutum designare solent.

§. 424. Nos tamen, effectum a causa separantes, *proprietatem* dicimus omnia bona, perfectiones, et jura, quae respectu cujusdam personae determinata sunt, seu quibus eadem jam jam instructa est (§. 162): et eam 1) in *personalem*, tam naturalem, quam acquisitam (§. 104), et 2) in *realem* distinguimus; et sub illa facultates internas, tam morales, quam physicas, omniaque bona a Natura nobis donata, consequenterque jura etiam conata, tam primitiva, quam derivativa (§. 144, et 145) comprehendimus; sub hac autem facultates externas, seu *res* quaslibet, modo originario, aut derivativo acquisitas, juraque omnia, tam acquisitioni nostrae inhaerentia, quam ex ea derivata.

§. 425. Principium in eo habet jus proprietatis, quod omnino repugnet, simul esse alienum, quod totum meum est, et ego solus possideo; aut simul esse meum, quod totum alienum est, aut alter solus possidet. Aliter enim nulla naturalis libertas esset (§. 143, et 153).

Schol. Quae ad naturalem proprietatem pertinent in I. Parte; et quae ad *acquisitam* in hac II. Parte pertractantur.

Rerum notio, diversaeque earum species.

§. 426. Dicuntur *res*, seu facultates externae, entia omnia a personis distincta, quae usu utilitateve aliqua inservire nobis possunt. Distinguuntur autem I. ratione *naturae* in

corporales, et 2) *non corporales*, prout scilicet sensibus nostris percipi, aut non percipi possint: *Corporales* autem 1) in *mobiles*, et 2) *immobiles*, prout de loco in locum eas integras et salvas movere, vel non movere nobis sit possibile; et *Mobiles* rursus 1) in *animatas*, seu *se moventes*, uti quadrupeda, aves, pisces, et 2) *inanimatas*, seu quae vita carent: II. *ratione usus* 1) in *fungibiles*, et 2) *non fungibiles*, seu quae usum sine earum abusu, ac destructione non praestare, aut praestare possunt: et tandem III. *ratione status* 1) in *res nullius*, seu a) quae dominum non habent, aut b) quas dominus ita derelinquit, ut in $\tau\alpha$ suo amplius habere nolle sit manifestum; et 2) in *res singulorum*, seu *alterius*, quae scilicet dominum habent, et in alicujus patrimonio vere et actu exstant.

Schol. Quae in nostro patrimonio sunt per vocabulum *bona*, aut *pecuniam* denominare Icti solent, sive numus, sive alia quaelibet res sit; in pecudibus namque divitias suas omnes Veteres constituebant.

Quae rerum proprietates in primaeva hominum statu?

§. 427. Cum primaevi homines, ut vulgo creditur, in statu omnimodae aequalitatis ac libertatis vixissent (§. 114), in quo nemo jure aliquo speciali, praerogativo aliqua praeceteris gaudebat (§. 150, et 151); et probabile sit, dum genus humanum inter paucos

stetit, satis superque sufficientia, ad vitam commode suaviterque tolerandam, omnibus fuisse, quae terra sponte, naturaeque beneficio producebat; illud quidem verisimile videtur, nullas inter primaevos homines singulorum res fuisse, aut proprias; sed vacuas, et nullius, seu in medio, ac in negativa communione positas, unum cunctis patrimonium constituentes, et a quarum usu excludi nemo poterat. VIRGIL. *I. Georg. v.* 125, et JUSTIN. XXXIII. I.

Quae primaevae communionis jura?

§. 428. Inde fluit, ut eo in statu 1) omnes in omnia sine cujusquam exclusione jus haberent; 2) ut tam quae res sponte nascebantur, quam quae industria ac labore, ab omnibus vi Legis Naturae ad mutuam felicitatem adhibendo (§. 324, et 325), producerentur, essent quasi in medio positae, et nullius propriae; et ut 3) cuique ad omnes actus ad vitam servandam necessarios (§. 154, et 155), veluti ad capiendam feram, pomum decerpendum, habitationem ponendam, et per quaevis loca transeundum, modo neminem laederet, jus daretur.

Cur a primaeava communione homines recederent?

§. 429. Aucto vero humano genere, cum sponte nata omnibus non suffecissent, ac

proinde maior quidem necessaria fuisset cultura, et assiduus labor ad res industriales, et artificiales producendas; et interim, veluti frigescente mutuo amore, naturaliumque legum custodia, multi otio torperent, et tamen vivere vellent; probabile quidem videtur, homines necessitate ductos, et veluti a Natura ipsa edoctos, agros signare, ac partiri limite coepisse, et res omnis generis ad vitam necessarias apprehendere, et in futuros usus asservare, retinere, ac possidere cum animo tamquam proprias sibi habendi, ceterosque ab earum usu excludendi.

§. 430. GROTIUS *Voluptatem*, et ex ea necessario provenientes avaritiam, ac ambitionem, quibus affectibus omnes homines magis minusve affici solent, alteram causam fuisse credit, cur homines a primæva communione paulatim recederent, et rerum proprietatem inducerent. Cogitatione fingit, primævos homines, statim ac maiorem lucidiorumque rerum creatarum, et earum relationum, et usuum notitiam acquisivere, magis dulce, ac præferendum cognovisse, auro, argento, et gemmis splendere, quam ferarum pellibus, et arborum corticibus vestiri; ædibus, palatiisque splendidis, quam cavernis, et tentoriis habitare; ciboque exquisito, et varie condito, quam simplici, et vulgari vesci: et hinc necessario enatum vehemens

plura habendi studium ; postea frequentia rerum apprehensione dissidia ; dein bella ; et tandem arrogantiam , et imperium in minores , ac debiliores.

§. 431. Plausibilia quidem ea sunt , verisimiliaque etiam videntur. A prima tamen Protoparentis nostri familia rerum proprietatem jam in usu fuisse positam plurima suadent. Cum enim ADAMUS a paradiso expulsus *vidore vultus sui pane vesci , et terram operari* ab ejus Creatore et Domino , D. Q. M. , condemnatus esset (GENES. Cap. III. v. 17. et seq.) ; illud probabilius sane , ADAMUM determinatum quemdam agrum , ex quo sibi , familiaeque suae necessaria colligeret , selegisse , et coluisse ; idemque postea ejus fecisse filios , ac nepotes , cum e paterna domo exirent (§. 111) , et in alia plaga considerare , ac sedem fixam ponere starent ; aliter enim homines in primaevo illo omnimodae libertatis , aequalitatis , et communionis negativae statu , in quo necessario super uniuscujusque laboribus , et super quantitate rerum ad consumptionem cujusque necessariarum frequentes futurae erant contentiones , tranquille secureque vivere impossibile foret.

§. 432. Illud interim manifestum , inter causas , quibus ad primaeavam illam negativam rerum communionem relinquendam homines impulsus , procul dubio referendam.

1) *rerum* ad vitam necessariorum, postquam humanum genus multiplicari coepit, *indigentiam*; et 2) *frequentia dissidia*, contentionesque inevitabiles inter agricolas et otio ditos, qui sine labore ullo, quaequae sibi placebant, cum ceterorum damno de medio tollebant.

- *Qui primus res acquirendi modus?*

§. 433. Quoad autem modum, quo usi primi homines, ut necessaria sibi non deessent, et ab earum apprehensione et usu igna vos excluderent, non alius quidem fuit, nec esse poterat, nisi rei communis et sibi necessariae occupatio, seu apprehensio, ejusque asservatio, et corporalis possessio, cum animo rem ut sibi propriam habendi, ceterosque vi etiam, si auferre, turbare, aut possessione sua dejicere tentarent, excludendi.

- *Quid apprehensio, possessio, et occupatio?*

§. 434. Rem apprehendere est, illam potentiae nostrae subicere, seu in vires nostras redigere: Possidere (velut a posse sedere), rem sub custodia nostra retinere, ac asservare, ut usui cum aliorum exclusione inseruire possit: Occupare, rem dominum non habentem apprehendere, et possidere, 1) cum animo tamquam nobis propriam habendi; et 2) ea, prout voluerimus, utendi.

Diversae possessionis species.

§. 435. Distinguitur possessio I. a possidendi modo, 1) in *corporalem*, si rem sub custodia nostra detineamus, aut in ea insidiamus; et 2) in *mentalem*, seu *moralem*, si solo animo possideamus, quin rem sub custodia nostra physica habeamus, aut in ea consistamus: II. a *causa*, 1) in *juridicam*, seu *civilem*, si rem justo titulo, et tamquam nobis propriam, sive corporaliter, sive mentaliter possideamus; et 2) in *naturalem* seu *nudam possessionem*, si uti nostram non possideamus, veluti si conducta, commodata, aut deposita tantummodo sit (a): III. ab *objecto* 1) in *veram*, seu *propriam*, si res sit corporalis; et 2) in *analogicam*, seu *quasi possessionem*, si incorporealis, veluti obligationes, et jura (b).

(a) Qui naturaliter possident non possidere dicuntur, sed in *possessione esse, nude delinere.*

(b) Juriconsulti cum de *juribus*, quibus aliquis gaudet, verba faciunt, cum apprehensionis incapacia, non a nobis *posideri, tradi*, aut in *nostro dominio esse* dicunt, sed *quasi possideri, quasi tradi, in bonis esse*; Bona autem appellant omnia, quae in patrimonio nostro vere, et actu exsunt, et pretium habeant, nosque locupletiores reddant.

Obligationes, et jura ex rerum occupatione emanantia.

§. 436. Cum frustranea omnino fuisset rei cujuslibet occupatio, si cuilibet possessorem turbare, et possessione sua dejicere liceret; et jus possessori non esset, rem occu-

patam in necessarios usus convertendi; evidens sane, ex occupationis facto non oriri non posse, 1.) obligationem negativam aliorum se a re occupata abstinendi, ejusque possessorem in ejus usu non perturbandi; et 2.) jus possessoris rem apprehensam tamquam sibi propriam retinendi; et ceteros ab ejus apprehensione, aut usu excludendi; et de ea, ejusque consecrariis, modo neminem lædat, pro arbitrio disponendi.

*An eo modo licite introducta fuisset rerum
proprietatis?*

§. 437. Sunt qui hanc rerum proprietatis originem redarguant, quod eo modo minime legitime introductam dici possit; 1.) quia res, ad quas omnes homines jus connatum habent, unanimi tantum eorum voluntate occupari debuissent; et 2.) quia hoc modo multis nimia rerum copia obtigisset, quibus porro alii non sine injuria carere coguntur. Ex eo igitur contendunt GROTIUS ac PUFFENDORF., res communi olim voluntate fuisse divisas, datamque simul unicuique facultatem, quod reliquum erat, occupandi.

§. 438. Ejusmodi tamen ambagibus opus non est. Primaeva namque rerum communitio non positiva, sed negativa erat, in qua nimirum omnia nullius erant, et quasi in medio posita; ac prout in qua non aliud jus singularis, quam res vacuum apprehendendi, non vero impediendi, ne alii, quod sibi necessa-

rium; occuparent (§. 427). Quare, cum per occupationem rei nullius nemini fiat injuria (§. 164); evidens, necesse minime fuisse, aliorum consensum requirere, declarationemve expectare. Quanta vero cujusque esset indigentia, id ejus arbitrio relinquendum, si modo res ceteris necessariae superessent.

Deinde cum ex qualibet obligatione necessaria emanent ad eam implendam jura (§. 141); ex obligatione nosmet conservandi necessario etiam emanare fatendum, jus ad res necessarias; et ex hoc derivativum alterum eas occupandi, possidendi, et eis cum aliorum exclusione utendi, ac disponendi; aliter enim frustranea foret obligatio.

§. 439. Quod autem a Natura, D. O. M., hominis causa creata fuissent omnia, et in negativa communione posita, earumque omnium usus hominibus omnibus aequaliter concessus, disertis verbis enuntiat MOYSES, ipsam DEI concessionem hominibus post eorum creationem factam referens: *Replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram. . . . Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: GENES. Cap. I. v. 27; et seq. et iterum post diluvium: Et terror d'exter, ac tremor sit super cuncta animalia tera*

nae, et super omnes volucres caeli, cum universis, quae moventur super terram; omnes pisces maris manus vestrae traditi sunt; et omne quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia:
GENES. Cap. IX. v. 2, et seq.

Equidem ex ea concessione manifestum sane fit, 1) DEUM, quamvis res singulis futuris hominibus non distribuisset, aequalem tamen facultatem rebus creatis utendi ac fruendi hominibus omnibus concessisse; consequenterque 2) facultatem alteram, ex illa emanantem, eas occupandi, et tamquam proprias sibi habendi, et eis cum aliorum exclusione utendi; aliter enim inutilis foret rerum usus concessio.

Qui alter res acquirendi modus?

§. 440. Cum vero introducta rerum proprietate non eadem mansissent externae hominum facultates, sed necessario quidam certis rebus abundarent, quibus alii indigebant; et imperfectum sit illud vinculum, quo homines se se mutuis viribus iuvare, ac perficere adstringuntur (§. 166, et 345), nemoque ad suum alteri concedendum invitus cogi possit (§. 164, et 165); aliter enim frustranea foret proprietatis introductio; alium modum quo res ab altero iam occupatas, et supra constitutas, acquirere sine corporum injuria homines possent, invenire fuit apud *Roma*

igitur, (nec alius detegi sane poterat legitimus modus) inventa fuere, quibus, quicumque ad alienum, in suum recipere vellet, is domini consensum obtinere, cumque prius sibi devincere debebat.

Modus originarius et derivativus.

§. 441. Duo sunt itaque generales rerum acquirendarum modi, ex quibus ceteri omnes descendunt, ac pendent; duoque proinde etiam generales tituli; alter ad res, quae dominum non habent; et alter ad eas, quae dominum jam habent, acquirendas spectans. Priorem originarium, et posteriorem modum derivativum cum GROTIJ denominamus.

Quid modus, quid titulus?

§. 442. Dicitur acquirendi modus quodvis sufficiens medium, seu actus, quo rem quamlibet potestati nostrae ita subijcimus, ut eam custodire, ea uti, aliosque ab ejus usu excludere possimus.

§. 443. Non alius autem, cum res nullius est, quam ejus occupatio (§. 434); et cum alterius, quam ejus promissio a suo domino, et acceptio ab eo, qui ea indiget, et nam vult, expresse, taciteve declarata, secutaque dein traditio, vere, aut fecte facta.

§. 444. Praeter modum titulus etiam requiritur, seu ratio sufficiens, ex qua justitia acquisitionis demonstratur. Positus autem

titulus, cum res nullius, in iure nostro con-
nato in res ad vitam servandam necessarias
(§. 155); et, cum alterius, in rei domini vo-
luntate, et consensu, quovis modo decla-
rato.

§. 445. *Modum causam proximam; titu-
lum causam remotam* dicimus,

V. GROTI. *De Jur. bel. et pac.* L. II. C. 2; PUFFEND.
de J. N. et G. L. IV. C. 3 et 4; et *de Off. H. et Civ.*
L. 1. C. 12; HAINECI. *de J. N. et G.* L. I. C. 9; WALK.
de J. N. et G. B. II. C. 1; DE FELICE *Leg. de D. N. et*
des G. Leg. 25.

C A P U T II.

DE ORIGINARIO RERUM ACQUIRENDARUM

MODO.

Duplex originarius acquirendi modus.

§. 446. **D**E originario rerum acqui-
rendarum modo sermonem instituentes, cum
dupliciter cum PUFFENDORFIO considera-
mus, scilicet 1) *originarium simpliciter talem*,
ut ipse ait; et 2) *originarium secundum quid*.
Prior locum habet, cum substantiam aliquam
apprehendimus, et asservamus cum animo
tamquam nobis propriam habendi, et *Occu-
patio* dicitur (§. 434); posterior, cum fru-

et us a substantia jam occupata provenientes, aut quodlibet ei accedens incrementum, et *Accessio* nuncupatur.

Quibus occupare permissum?

§. 447. Cum hominibus omnibus jus con-
natum in res ad vitam servandam, commo-
deque tradendam necessarias competat (§.
154), et jura connata eadem et aequalia sint
omnibus (§. 150); evidens, res occupare
omnibus hominibus permissum, quicumque
tam physice, quam moraliter possint, et ve-
liant.

§. 448. Nec interest, ut unus, aut plu-
res eandem rem occupent; quicumque enim
a natura ea omnia faciendi jus habet, quia
nec divino cultui, nec philantiae, nec so-
cialitati repugnant (§. 350).

Quoties autem plures eandem rem oc-
cupent, omnibus aequale jus competit, et
reliquis excludere possunt. Habent itaque
condominium, quod alias dicitur *communio po-
sitiva*. Ast vero si ex illis pluribus partem
juris proprii nemo habeat, sed res sit uni-
versitatis, ut in monasteriis, *communio mixta*
aderit.

Quae res occupari possint?

§. 449. Extenditur occupandi jus ad quas-
cumque res omnes, quae usu, utilitateve ali-
qua inservire nobis possint, et exhausti fu-

erint usus, atque apprehensionis, et custodiae capaces; dummodo, tamen sint nullius, aut a suo domino vere derelictae (§. 426).

§. 450. Non itaque occupationi subjectae, 1) quae alicujus fuerint: 2) quae in eo fuerint statu, uti quis occupavit jus eas occupandi, quales sunt pisces in parte fluvii occupata, thesaurus in alieno fundo, et quae res jacentes vocantur, seu quae ad haereditatem non adiuam spectant: 3) res nunquam derelictae, veluti amissae, aut e rheda cadentes; fugitivae, si dignosci possint; furtim aut vi subreptae; per bruta ablatae; in imminenti naufragio jactae, cet.: 4) res inexhausti usus; et 5) quae apprehendi, custodiri que non possint, veluti sol, mar (a), aer; cessant enim in hisce rebus tam possessio, quam reliquae domini causae; et hinc in primaeva communione manserunt. VIRG. *Aeneid.* VII. v. 229.

(a) Valde agitata fuit olim quaestio, an mare possit esse in alicujus dominio, aut alicujus Imperio ita subjectum, ut jura majestatica in eo exercere valeat, veluti jus vectigalia petendi, impediendi navigantes, cet. Oceanum impatientem esse apprehensionis et custodiae, evidens res est; occupari vero posse frons minora, sinus, littora, portus, illasque maris partes, quae territoria populorum adluunt, omniaque proinde in eis inclusa, minime certe repugnat. Jam pridem enim conqueverunt gentes mare certis terminis definire, classibus possidere, tormentorum explosione defendere, portus claudere exteris, piscationi tributa imponere, cet.

De animalium occupatione.

§. 451. Occupantur res animatae, pisces nimirum, aves, animaliaque cetera, dominum non habentia, piscatione, aucupio, venatione; retibus scilicet, jaculis, canibus, laqueis, et aliis satis cognitis venatoriis instrumentis. Necessarium tamen, ut ea sub potestate nostra physica, cum animo tamquam propria nobis habendi, ceterosque ab eorum adprehensione, aut usu excludendi, detineamus, et asservemus (§. 433), in piscinis scilicet, vivariis, caveis, alvearibus, roborariis, locove aliquo circumsepto, unde aufugere nequeant.

An eorum amittatur proprietas, simulac nostram custodiam evadant?

§. 452. An autem animalium jam a nobis occupatorum amittatur proprietas, statim ac nostram custodiam evadant? Romani Juriconsulti nos edocent distinctionem fieri oportere inter *animalia fera*, *mansuefacta*, et *mansueta*, et deinde controversiam dirimentes asserunt:

I. *Animalia fera*, quae scilicet, eorum sententia, animum eundi, ac redeundi nunquam acquirunt, nostra statim esse desinere, et primi occupantis propria fieri, ac nostram custodiam evaserint, et in libertatem naturalem se receperint; scilicet, statim ac no-

stros effugerint oculos, aut eorum persecutio difficilis fiat. INSTIT. L. II. Tit. I. §. 12.

II. *Mansuefacta*, quae nimirum, etsi natura fera, domi tamen cicurata abire, et redire, solent, ut cervi, pavones, columbae, et apes, eousque nostra esse, donec revertendi consuetudinem non deseruerint; et apium examen, donec in nostro sit conspectu, ejusque persecutio non difficilis fuerit. IBID. §. 14. et 15.

III. *Mansueta* autem, quae scilicet vadunt et redeunt, veluti gallinae, anseres, boves, oves, equi, sues, canes, cet., nostra manere semper, licet effugiant, in quemcumque locum abeant, et furtum committere, qui ea lucrandi causa retineant. IBID. §. 16.

§. 453. Repugnantia tamen videntur, quae circa *animalia fera*, et *mansuefacta* nos edocent. Cum enim de dominio verba facientes asserant, 1) illud esse jus in re sine respectu ad aliquam personam; 2) non esse momentaneum, sed perpetuum; 3) rem possessione amissa nostram semper esse; 4) et furto ablatam nostram esse non desinere, sed, ubicumque reperiatur, nos eam vindicare posse, cet.; intelligi certe quidem nequit, quomodo venationis obtentu suum jure facere judicent, qui ex. gr. cervum alterius fugitivum, aut pavonem, columbas, apes, aviculamve aliquam ex cavea evadentem ceperit; ea sola ratione, quia animalia fera ni-

tura esse imaginaverint , et difficilis nobis sit eorum persecutio ; cum interim de domino certo constet , et ipse luculentissimis signis suum esse animal demonstrat. Quid ergo dicendum , evidens (§. 242 , 244 , 359 , et 450).

An ad animal occupandum sola vulneratio sufficiat ?

§. 454. Quæstio est etiam inter Jureconsultos , an fera bestia , ab aliquo ita vulnerata , ut capi possit , statim vulnerantis fiat propria ; an necessaria adhuc sit ejus apprehensio. Necessariam apprehensionem esse decrevit Imperator JUSTINIANUS , quia multa accidere soleant , ut eam non capiat. INSTIT. L. II. Tit. I. §. 13,

Equidem non videtur injustus , qui animal vulneratum inveniens venatori , qui illud persequi desiit , non reddat ; venatori tamen facultatem denegare animal per alterius fundum persequendi , modo fruges non corrumpat , aut damnum datum resarciat ; sicut et suum et proprium dicere , qui animal cadens apprehenderit , priusquam accedat venator , qui illud vulneravit , et persequi nunquam desiit , rationi minime congruum.

An animalia occupare , occidere , et in cibum convertere liceat ?

§. 455. PYTHAGORAS , atque PORPHYRIUS , et qui cum eis pro animarum transmi-

gratione propugnarunt, quandam nobis cum ceteris animalibus jurium communionem esse crediderunt; consequenterque eis vere a nobis laesionem fieri, si immaniter tractentur, occidantur, vel in cibum convertantur. Contendunt ad eundem finem, ac nos, a DEO creata fuisse, ac proinde eisdem, quibus nos, ad vitam servandam juribus dotata; addentes insuper, praeter alia multa, ipsum carniū usum humanae naturae repugnantem esse, insalubrem, et homines efferos reddentem.

Nullam tamen detegi posse inter homines et animalia cetera jurium communionem, ex ipsorum natura satis superque patescit (§. 7, et 9). Animalium vero usum ab ipsa Natura DEO, omnium Creatore, et Domino, nobis fuisse concessum, ex GENESI C. IX. v. 1. et seq. evidenter patet, DEO dicente: *Omne, quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Insalubritas autem, quam urgent, non a moderato carniū usu, sed ab ingluvie, et rerum creatarum abusu certe quidem provenit. Equidem, si animalia occidere fas non esset, in infinitum multiplicarentur, et non modo omnia nobis ad vitam servandam necessaria, sed nos etiam devorarent (EXOD. Cap. XXIII. v. 29; DEUTERON. Cap. VII. v. 22). In ejusmodi ergo collisione animalium cōservationi praeferranda erga nos esse offi-

cia, res manifesta est. Interim tamen absque necessitate ea immaniter tractanda non esse, neque crudeliter tractanda, ipsa ratio suadet.

De occupatione rerum mobilium.

§. 456. Occupantur res mobiles, ex gr. pretiosi lapilli; uniones, et margaritae, in littore maris inventae, thesaurus in loco nullius (a), ceteraque adespota, aut a suo domino derelicta, sola inventione, et apprehensione. Cum enim sint nullius, neque in re suo ledatur aliquis; nemini quidem contradicendi, aut alterum a sui juris exercitio excludendi jus est.

Necessarium tamen omnino, ut inventioni apprehensio accedat; nisi enim sufficiens sit factum, quo alter in suam potestatem rem inventam redigat, et ex quo, eam sibi ut propriam habere velle, constet; intelligi profecto nequit, cur istius potius, quam illius, propria dicenda. Si quis ergo in littore maris deambulans, aut a fenestra sua prospiciens, gemmam invenerit, alius vero transiens eam apprehenderit, iste, non alius, ejus fiet dominus. *Conf. INSTIT. Lib. II. Tit. I. §. 18.*

(a) Dicitur thesaurus vetus depositio pecuniae de cujus domino memoria non existat. Alii inventionem thesauri ad occupationem referunt, et illum inventori, alii autem ad accessionem, et soli domino attribuunt. Imper. HADRIANUS totum inventori, si in proprio solo invenerit; et si in alieno, publico, aut privato, ei dimidiam partem, et domino loci dimidiam alteram adjudicavit. *INSTIT. Lib. II. Tit. I. §. 39.*

De occupatione rerum immobilium.

§. 457. Ad rerum immobilium occupationem quod attinet, cum apprehensionis sint incapaces, occupatio sufficit per *universitatem* (a); scilicet, ut quis fundum ingrediat, terminos ponat, ramusculum de arbore excidat, cet., quin singulas circumambulare glebas sit opus; aut, si urbanum fuerit praedium, domus fenestras, foresque aperiat, testatumque faciat praesentibus, se ea omnia illud praedium tamquam proprium sibi habendi animo facere.

(a) GROTIUS mentionem fecit occupationis per *universitatem*, et per *fundos*. Priorem dicit, cum universus quis populus (aut homo etiam quisque) totum aliquem terrae tractum occupat, terminos constituendo, ac designando, vel arcifinios, ut montes, aut fluvios; vel limitatos, ut leucas, pedes, aliamve quamque mensuram; et omnia se occupare declarat, quae in territorio continentur, flumina scilicet, montes, silvas, animalia, aves, pisces, cet. Posteriores, cum quisque sibi rem, vel locum aliquem determinatum occupat, suisque usibus assignat; ceteris vero partibus conjunctis in communiione negativa relictis.

De rerum occupatione post civitatum constitutionem.

§. 458. Haec omnia tamen, quae de rerum occupatione diximus, locum tantummodo habent in naturali statu (§. 114), aut in illis civitatibus, in quibus ad espota occupandi facultas libera, vel quibusdam tantum limitibus circumscripta, civibus relinquitur.

Introductis enim civitatibus omnia, quae in uniuscujusque territorio manent, ad Nationem pertinent, seu ad ejus Imperantem, qui eam repraesentat, tamquam per *universitatem* acquisita. Omnia itaque deserta loca, silvae, montes, flumina, eorum alvei, insulae; metalla, thesauri, fossilia omnia; ipsa animalia terrestria, volatiliã, et nantantia; omnia denique tam desuper, quam subter superficiem terrae existentia, et quaecumque his accedunt; ac proinde jura, veluti piscationis, aucupii, venationis, jus forestale, minerale, cet., nisi privatis jam concessa existent, aut eorum occupatio permittatur, civitatis τ suum constituunt, et in communione positiva manent (a), vi cujus non modo advenas a suo territorio arcere, sed ipsos etiam cives a jure occupandi excludere potest.

(a) Hinc illa rerum a ICTis introducta divisio 1) in *communis*, quatenus proprietas est nullius, et usus omnibus patet, veluti aer, aqua profluens, mare, et littora maris; 2) in *publicas*, quarum proprietas ad Nationem pertinet, usus vero ad singulos de populo, veluti flumina, portus, ripae, viae, fontes, pontes; 3) in *res universitatis* quarum proprietas ad urbem, oppidumve aliquod, monasterium, collegium, societatemve quamlibet, et usus ad singulos de societate; et 4) in *res singulorum*, quae in patrimonio privatorum sunt. *Conf. INSTIT. L. II. Tit. I. pr. — §. 11.*

De occupatione bellica.

§. 459. De alia occupationis specie mentionem facere solent ICTi, ex Lib. II. *Inst.*
Tom. I.

S

STIT. Tit. I. §. 17 deducta, quam occupationem bellicam dicunt, et cujus vi personas aequae ac res hostiles in bello captas Jure Gentium proprias occupantis fieri contendunt. Enimvero, cum occupationi in rebus nullius tantummodo sit locus, res vero hostiles non aliter pro rebus nullius, quam per imaginariam fictionem; personae vero per nullam fictionem pro rebus haberi possunt; occupationem bellicam ad originarium acquirendi modum referri minime posse, res evidens.

Licitae quidem in justo bello sunt *repressaliae*, et *androlepsia*, seu res hostiles, et milites, illustresque aliquas personas capere, ut suo loco ostendemus; principium tamen hoc jus habet in collisione ac necessitate, in qua ita collocata Natio aliqua existet, ut sibi omnino necesse, vel partem sui territorii, vel *autonomiam*, existentiamque suam politicam amittere; vel omnia illa media in usu ponere, quae ad injusti hostis minuendas vires, aut eum ad pacis amplectendam pactionem movendum necessaria fuerint; et ita a praesenti malo se liberare, a futuroque securitatem sibi obtinere facilius possit. Tum igitur personas et res hostium capere licitum; sed nec res capientium fiunt propriae, nec personae in servitutem (a) ullo jure redigi possunt. Detinentur res, veluti pigneratitiae; et personae, veluti obsides, ut scilicet, cum de pace agatur, congruentem lae-

sionis , ac jacturae , cujus injustus hostis fuit causa , reparationem obtinere Natio laesa , et suos cives pro aliis permutare , vel redimere facilius possit.

(a) *Servitatem* dixerunt Romani statum ; in quo homo alteri ita subjectus manet , ut non modo totius generis operas , et per totam vitae suae curriculum , ei pro alimentis tantummodo praestare teneatur ; sed et ab eo , tamquam res quaelibet , donari , permutari , vendi possit , cetera !!!

Accessionis notio , et species.

§. 460. Sequitur , ut de originario altero res acquirendi modo verba faciamus , quem secundum quid , vel *accessionem* nominavit PUFENDORFIUS.

Per *accessionem* intelligimus quodvis incrementum , quod rei in patrimonio nostro existenti , et quam ut propriam possidemus , accedit , vel 1) beneficio Naturae , vel 2) facto aliquo , industriave nostra , vel 3) beneficio Naturae , et industria simul nostra. Hinc triplex *accessionis* species , 1) *naturalis* ; 2) *industrialis* , et 3) *mixta*.

Schol. Sumitur etiam *accessio* pro jure nobis vindicandi , et ut propria habendi , quaeque ex rebus nostris proveniant , eisque accedant.

De accessione naturali.

§. 461. *Accessionis naturalis* quinque enumerare species I Cti solent ; 1) *foeturam* scilicet , seu animalium fructus , ut agnos , hae-

dos, vitulos; lac, pilum, lanam, cet.; 2) *alluvionem*, seu lutum, aut terram, per moderatam aquarum fluvialium violentiam sensim ac pedetentim in agrum nostrum introductam, et aggeratam; 3) *vim fluminis*, seu incrementum per exundationem simul et semel adjectum; 3) *insulam* in mari, aut in fluvio natam; et 5) *alveum*, quem flumen, novum suscipiendo iter, siccum relinquit. *Conf. INSTIT. L. II. Tit. I. §. 19 — 24.*

Quae observanda, ut justa ea acquisitio dicatur.

§. 462. Ut tamen, per quamlibet harum accessionis naturalis specierum cujuscumque incrementi acquisitio facta, legitima seu justa dicatur, duas Clariss. DE MARTINI regulas proponit:

I. Si incrementum, rei alicujus accedens, ex ea proveniat, ad ejus dominium pertinet (§. 425).

II. Si incrementum aliunde venerit, et certae sit originis, velut in vi fluminis, priori domino restituendum (§. 357, et 359); et si incertae, velut in alluvione, principalis rei dominus praecipuum jus accessionem occupandi habet (§. 449).

Quod igitur ex animalibus nascitur, ad dominum ventris pertinet: insula in mari, aut in fluvio nata, sicut et alveus fluminis, ad maris (§. 450 *not.*, et 458), aut fluvii dominum; et, si nullius, ad primum occupantem (§. 449).

Schol. Jure Rom. insula in medio fluminis nata, alveusve derelictus, eis accedebat, qui utrinque prope ripam praedia arcifinia possiderent, pro cujusque fundi latitudine; arbores autem, vi fluminis in alicujus praedium allatae, tum propriae domini fundi fiebant, cum primum radices egerint. INSTIT. L. II. T. I. § 21 — 23.

De accessione industriali.

§. 463. Industrialis accessionis tres enumerant species, I) *Adjunctionem*, seu accessorium rei firmiter, eadem specie manente, adjunctum, vel a) per adferruminationem, aut b) adplumbaturam; vel c) per picturam; d) scripturam; e) texturam purpurae; f) inclusionem gemmae; g) aut per aedificationem; veluti si quis gladio suo scapulum ejusdem, aut diversi metalli adjungat; in tabula pingat; scribat in charta; annulo gemmam includat; purpuram, vel fila aurea panno suo intexat; domum aedificet.

II. *Commixtionem rerum aridarum*, aut liquidarum *confusionem*, vel ejusdem, vel diversi generis, et speciei, ex gr. tritici, aut avenae, aut milii; vel tritici, et avenae, et milii simul: vini, aut cervisiae, aut olei; vel vini, et cervisiae, et olei simul.

III. *Specificationem*, seu novam aliquam speciem ex quavis materia confectam; ex gr. vinum ex uvis, oleum ex olivis, frumentum ex spicis, ex lana vestimentum, ex confusione vini et mellis mulsum, ex commixtione farinae et sacchari bellaria, aut placentas, cet. *Conf.* INSTIT. L. II. Tit. I. §. 25 — 35.

Quae observanda.

§. 464. Duae quoque regulae a Cl. DE MART. pro accessione industriali proponuntur;

I. Si rei meae novum aliquid accedat, quod alienum non est, meum erit accessorium.

II. Si accessorium fuerit alienum, et separari sine detrimento possit, priori domino restituendum; et si non possit, pro rata communis res censenda; ita tamen, ut qui communionis auctor omne damnum alteri resarciat (§. 359): et, si nemini imputari communio possit, bonaque fide facta fuisset adjunctio, commixtio, vel confusio, aut specificatio, tunc vel voluntate utriusque, vel sorte decidendum, quinam rem retineat, et alteri per aequivalens satisfaciatur.

Schol. Clariss. HEINEC. accessorium alienum ei adjudicari vult, cujus illud acquirendi justior causa fuerit; eam autem esse dicit rei praestantiam ob ejus raritatem, usum, pulcritudinem, artificium, et affectionis pretium, modo aestimationem rei alienae suo domino praestet. De J. N. et G. L. I. C. 9. §. 258.

Jureconsulti Romani subtiliter admodum de eo philosophati sunt; nulla tamen certa aliqua ratione nisi, sed variis incedentes viis. Primo enim statuerunt, accessorium sequi debere principale; et principale dixerunt, quod rei cuilibet existentiam praebet; deinde distinctionem facientes inter ea, quae sine damno separari, vel non separari possint, accessorium irrevocabiliter adjuncti adjudicaverunt, cum non separari; et revocabiliter, cum separari posset; excipientes vero aedificationem in alieno solo, ne urbs ruinis deturparetur; et picturam in aliena tabula ob artis dignitatem. Qua autem de causa, cum eadem sit ratio, artis scilicet dignitas, non excipiendum etiam ab *accessorii* regula putarent in alienis chartis, vel membranis *scriptum carmen, historiam, aut orationem aliquam, etiam*

litteris aureis exaratam; vel *specificationem*, cum parvi momenti aliena fuisset materia, centuploque plus pretii speciei inesset? difficillimum quidem sufficientem rationem detegere. *Conf.* INSTIT. L. II. Tit. 1. a §. 25-35, et WALDECK §. 265, et seq. Edit. I. Conimbr.

De accessione mixta.

§. 465. Ad accessionem mixtam *satio et plantatio* pertinet. Omnia, quae in alicujus fundo, vel Naturae beneficio, vel ejus labore ac industria, procreentur, ad eum prorsus pertinere, nulla dubitatio quidem. Dubium vero excitant Icti super segetis, aut arboris dominio, cum ab aliquo in alieno fundo sata, plantatave fuerit.

Soli domino cedere, ex eo tempore quo radices egerit, judicarunt Icti Romani (INSTIT. L. II. Tit. 1. §. 32). Nos vero easdem regulas, quas pro accessione industriali proposuimus, tenendas contendimus (§. 464). Non enim verum semper, et rationi congruum eorum axioma, *accessorium sequitur principale*; sed in ea specie tantum, quando scilicet rei nostrae aliquid accedat, quod acquirere velimus, et physice ac moraliter possumus; justas enim ac idoneas causas habere potest agri dominus, ob quas neque segetem, neque arborem acquirere velit, aut possit; ex. gr. si alia semina in agro suo spargere convenientius ducat, aut si alterum male conseruisse campum, ac proinde uberem futuram non esse segetem certo cognoscat, aut sibi inutilis expensas solvere magno sit detrimento.

De arbore prope confinia posita.

§. 466. Dubium excitari etiam frequenter solet super dominio arboris prope confinia positae. Veteres Icti arbores, plantasque omnes per radices succum attrahere, ac nutrirī credentes, arborem prope confinia positam soli domino tribuunt, in quo radices egerit; ac proinde, si in vicini fundum etiam radices mitrat, communem *pro indiviso* iudicant, dum in solo maneat; et *pro diviso* simulac eruta fuerit. (INST. L. II. Tit. I. §. 31)(a). Recentiores vero non ex radicibus, sed ex stipitis, ac ramorum inspectione quaestionem dirimunt, et communem esse iudicant, quoties super alterius aream ramos fuderit; 1) quia per folia etiam nutriantur plantae, et 2) quia quisque vi dominiū alterum ab areae suae usu excludendi iure gaudet.

(a) Aliqui nos fortasse culpabunt, quod Jus Nat. cum Positivo commiscere videamur. Ut primum vērō animadvertatur, eos, qui in Academia nostra Juris Nat. studio dant operam, in studio Inst. Jur. Civ. Rom. insimul versari; et Jus Positivum idem re quidem debere esse ac Naturale, quod Hypotheticum dicimus, seu Jus Nat. sociali statui, in facto hominum principium habenti, accomodatū, non gravate quidem excusatos nos habebunt.

Vid. GROT. de Jur. bel. et pac. L. II. C. 3, et 8; PUFFEND. de J. N. et G. L. IV. C. 5, 6, 7, et 8; et de Off. H. et C. L. I. C. 12; HEIN. de J. N. et G. L. I. C. 9; WOLF. de J. N. et G. Part. II. C. 25; DE FELIOR Leçons de D. N. et des G. Les. 25.

 C A P U T III.

 DE JURIBUS, ET OBLIGATIONIBUS, QUAE EX
 PROPRIETATE DERIVANTUR.

Quid dominium, et quae generalia ejus Jura.

§. 467. **D**iximus ex occupationis facto nostras fieri res occupatas, proprietatemque nostram acquisitam constituere; atque idcirco, vi proprietatis ex occupatione provenienti, jus occupanti esse, 1) rem tamquam suam possidendi; 2) ceteros ab ejus apprehensione, aut usu excludendi; et 3) de ipsius rei substantia, et consecrariis disponendi: Ceteris autem obligationem incumbere se se a re occupata abstinendi, et dominum in suorum jurium exercitio non turbandi (§. 436). Ea Jura, ceteraque ex hisce derivata, per vocabulum *dominium* explicare solent Icti, et aliquando per ipsum vocabulum *proprietatem* (§. 423); ac proinde *dominium* dicunt Jus in re, quod personae competit in re sua, sine respectu ad personam aliquam; et vi cujus, ceteris exclusis, omnia commoda, utilitatesque omnes ex re sua percipere, et de ea, ejusque accessibus pro arbitrio disponere potest.

Tria inde specialia jura.

§. 468. Hinc specialia domini jura derivantur, I) scilicet rem suam possidendi; II) omnia ex illa emolumenta percipiendi; et III) se se possessione, aut dominio, sive toto, sive pro parte abdicandi. Unde proloquium illud: *Quisque rei suae moderator, et arbiter.*

Quae ex possidendi jure deriventur.

§. 469. Ex facultate possessionis jus consequitur, 1) quoscumque alios e re sua excludendi, et cunctis omni actu circa eandem interdicendi; et 2) illam retinendi, tuendi, amissamque ab omni detentore repetendi, probatoque dominio vindicandi (a) (§. 165, et 425).

(a) Hinc ortum duxere illa remedia Legibus Civilibus probata, ac stabilita ad defendendam, recuperandamve rerum nostrarum, tam corporalium, quam incorporalium, possessionem (§. 426), *Interdicta* nominata, qualia *Uti possidetis*, *Utrubi*, et *Unde vi*. Conf. INSTITUT. L. IV. Tit. 15.

Quae ex jure ad omnia emolumenta.

§. 470. Vi autem juris, quod habet ad omne emolumentum, licet domino 1) re sua non modo *uti*, hoc est, id quod poscit necessitas percipere; sed et 2) *frui*, nimirum, quidquid ex illa provenit ad utilitatem et jucunditatem suam convertere, tum meliorare,

immo et in aliam plane formam transferre, seu *specificare* (§. 463).

Quae ex jure disponendi.

§. 471. Ex eo denique, quod domino sit jus de re sua pro arbitrio disponendi, sequitur, ut possit 1) rei suae *dominium* in alium quovis modo, gratuito, aut oneroso, et totum, vel partem tantum transferre; sive a) ea pars sit jus in solam substantiam (*proprietas*, seu *dominium directum*); sive b) jus in omnia consecutaria (*dominium utile*); (a) sive c) jus, vi cuius in re sua aliquid non facere, vel alterum facere pati teneatur (*servitus*): (b) et 2) rem suam etiam destruere, corrumpere, perdere, eaque abuti; dummodo tamen officiis erga DEUM, se, et alios, etiam imperfectis (§. 333), ejusmodi facta non repugnent (§. 165, et 350).

(a) Hinc vulgaris illa *dominii* distinctio 1) in *plenum*, cum *proprietas*, seu jus de re disponendi, cum *dominio utili*, seu jure utendi ac fruendi conjunctum est; et in *minus plenum*, cum separatum; duobus ejusdem rei manentibus dominis, quorum alteri jus est circa dispositionem de illa re concurrenti, nullam vero utilitatem percipiendi, praeter quod pro agnitione dominii inter se convenerint; et alteri jus omnem utilitatem ex re percipiendi, minime tamen rem altero inconsulto alienandi.

(b) *Servitutum* vocam Icti Jus in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati, vel non facere tenetur 1) in alterius personae, vel 2) rei utilitatem. Priorem *servitutum personalem* vocant (*usum*, *habitationem*, *usufructum*); posteriorem *realem*, seu *praedialem*, et in *rusticam*, vel *urbanam* dividunt, prout natura praedii. *Conf. INSTIT. L. 11. tit. 3, 4, et 5.*

*Obligaciones ex proprietatis jure, seu dominio,
provenientes.*

§. 472. Quoad obligaciones autem, quae ex proprietatis, seu domini jure proveniunt, cum juri cujuslibet congruens aliorum respondeat obligatio (§. 52); evidens, tot eas esse debere, et aliis respectu proprietatis alterius incumbere, quot generalia ac specialia domini jura fuerint.

Principium omnes habent in illa generali obligatione alteri faciendi, aut non faciendi, quod nobis fieri, aut non fieri, volumus (§. 325, et 355); et ad duo summa capita reducuntur, 1) alterum scilicet in exercitio sui juris non perturbare, quovisve modo laedere (§. 161); et 2) damnum dolo, culpe datum resarcire, per convenientem scilicet satisfactionem, aut rei ipsius restitutionem (§. 359, et 361).

*Obligatio nullum rei alicujus domino inferendū
damnum, et illatum reparandi.*

§. 473. Tenentur itaque omnes rem suam quiete dominum possidere pati, et proprietate sua nec per furtum, rapinam, aut invasionem privare, vel quovis modo, dolo, aut culpa, defraudare; vel, ut re sua, prout voluerit, disponat, impedire (§. 161). Et cum nemo in jure suo connato, aut hypothetico laedendus (§. 353, et 354), et laesio facta

resarcienda (§. 359); indubium sane, auctorem mali, ex ejusmodi facto orti, ad satisfactionem teneri, seu ad laesum bonis per laesionem adeptis explendum (§. 359 — 362). Aliter enim *meum*, et *tuum* voces essent inanes; potentiores debiliores opprimerent, naturalis evanesceret libertas (§. 366), et frustranea omnino neminem laedendi lex, si ea sanctione destituta esset.

Quid furtum, rapina, invasio, defraudatio?

§. 474. Dicitur *furtum* (ita a *furvo*, seu *nigro*, quod clam, et in obscuro fiat; seu a *ferenda*, nominatum) contrectatio fraudulenta rei alienae, vel ejus usus, possessionisve, domino invito, aut inscio, lucri faciendi causa, facta: *rapina*, furtum violentum, seu per vim apertam commissum: *invasio*, factum, quo quis possessione rei suae immobilis vi ac violentia dejicitur: *defraudatio*, quaelibet fallacia ad alterum circumveniens, et suis rebus emungendum, ab aliquo adhibita; verborum scilicet insidiis, aut fraudulentis factis, veluti ponderibus, mensurisve falsis utendo, terminos movendo, cet.

De damno ab alicujus animali dato.

§. 475. Quid vero si animalia nostra aliquam alteri pauperiem inferant, veluti si pecora alterius gramina, aut segetem depaverint, boves cornu petendo, et equi calcitrando al-

terum vulneraverint? Romanis legibus tenebatur animalis dominus, si a nemine instigatum fuisset, damnum resarcire, vel animal tradere laeso. Ei vero imputari factum, quod mere fortuitum, et cujus neque auctor, neque moralis causa fuit, minime ratio patitur (§. 203). Aliud tamen dicendum, si animal domini culpa rem alterius destruat, vulnereve aliquem, veluti si quis ex. gr. caprarum gregem e custodia sine caprario emittat, vel canem villaticum, verrem, aliudve ferum animal in urbe habeat, ubi vulgo fit iter, cet. Jure ac merito Romanis Legibus in tantum condemnabatur animalis dominus, quantum aequum judici videretur, aestimatis impensis in curatione factis, operis cessantibus, damnisque reliquis. *Conf. INSTIT. L. IV. tit. 9.*

Obligatio rem alienam restituendi.

§. 476. Cum itaque laesionem quamlibet nostri similibus factam penitus resarcire teneamur (§. 361) per congruentem *satisfactionem*, aut *restitutionem*, cum fieri possit; et qui rem alterius retinet, suam non esse sciens, in causa est, cur alter rei suae jacturam patiatur, consequenterque eum laedat; manifestum sane, 1) teneri quemque rem alienam a se inventam, vel casu aliquo, etiam titulo justo, ad se pervenientem, suo domino reddere; sive eam ipse petat; sive per edicta, aut praeconium jacturam suam denuntiet:

et 2), si de domino sibi non constet, inventionem, possessionemque suam publicam per edicta facere, ut rei dominus argumentis proprietatis suae ostensis eam repetere possit. (DEUTER. C. 22. v. I, et seq.). Locum enim non habet inventionis jus (§. 456), quoties ex ipsius rei inventae natura, et loco ubi reperta, satis desumi possit, rem inventam alicujus esse.

Ipsa missilia ab aliquo sparsa, licet earum dominus eo facto aperte declaret, se ea derelinquere velle, apprehendentis propria non fiunt, si aliunde constet, forte ebrium fuisse, qui ea sparserit, aut nescire quid agat; ex persona enim hanc liberalitatem exercente, et ex occasione, qua id faciat, facile quidem ejus animus dignoscitur. Quod enim nobis fieri volumus, eadem aliis facere debemus.

Schol. Nec quidquam a domino pro inventionis mercedula repetere licet, nisi antea promissum fuerit; aut aliquid sponte donare rei amissae dominus velit; aut expensas aliquas pro ea restituenda fecerimus; nemo enim aliena jactura locupletandus.

§. 477. Eadem ratione 3) restituere volentem non modo impedire non debemus, sed potius, ut id faciat, persuadere nolentem; et, si amissam rem alterius occultet, eam domino declarare. Ejusmodi enim reticentia causa fuisset, cur alter re sua privaretur, et id nos scientes animum quodam modo lae-

dendi manifestaremus, a laesioneque proinde reparanda minime immunes judicare nos possemus.

Quid, si dominus non appareat?

§. 478. Quid vero, si omni adhibita diligentia verus dominus non appareat? Cum alios ab apprehensione, et possessione alicujus rei solum excludere ille possit, qui ejus fuerit dominus (§. 456), nullum autem, saltem moraliter, ejusmodi res ab aliquo inventa habeat; manifestum quidem, tamquam rem nullius, vel a domino derelictam habendam, inventorique proin tribuendam. Vulgaris tamen opinio est, res, de quorum domino nihil constat, in pauperum usus dispensandas. Equidem caritatis adimplet officia, qui de ejusmodi rebus ita disponat; non ideo tamen injustus censendus, qui jure suo usus rem domino moraliter vacuum sibi retinere statuatur; nulla enim apparet ratio, cur pauperibus res dominum non habentes, et ab alio repertas, jus vindicandi esse credatur.

An aliquando res alienas auferre, destruereve liceat?

§. 479. Quoniam vero in collisionis statu officia erga nos necessitatis officii erga alios utilitatis praeferre liceat (§. 367), neque jus connatum ad res necessarias introductione domini cuiquam adimi possit (§. 147), quippe

quod in immutabili obligatione se conservandi principium habet (§. 154); indubitabile quidem, posse eum, qui extrema necessitate luctetur, et nulla ei pateat evadendi via, domino etiam invito, eadem necessitate non laboranti (§. 370), res sibi necessarias auferre, deteriorare, atque etiam destruere. Jure igitur res ad levandam navim in mare projicere licet; deficientibus in ea cibis singulos in commune referre, quod habent, obligare; orto incendio aedificium vicini diruere; arma ad se defendendum eripere alteri; et quae ejus sunt generis (§. 369).

An ea in hypothesis obligatio restituendi adsit?

§. 480. Sed quamvis in ejusmodi collisione locum sine dubio habeat, necessitatis Jus; non omnia tamen fieri posse credendum. Ex necessitate enim solum emanat, ac proinde ex necessitate etiam mensuram capit. Quare, si sufficiat usus, in substantiam jus non datur; et si substantia pro tempore sit opus, ea, vel ejus aequivalens, non poterit perpetuo, et cessante necessitate, retineri; hac enim ulteriori, et non necessaria, retentione certe quidem dominum laedimus. Quam primum igitur fieri possit, facienda rei ablatæ restitutio. Hinc in jactu maris ab omnibus, quorum res aliorum amissione manserunt, salvæ, damnum amissarum domino praestandum pro rata parte rerum quæ salvæ,

et earum quae fuerunt amissae; in commu-
nitione ciborum eorum pretium dominis sol-
vendum; et in aedium eversione ab illis,
quorum hac de causa aedes salvae, aut a vi-
cinitate, satisfacienda laesio, etc. (§. 473):

§. 48t. Neque dicatur, 1) eum, qui jure
suo utitur, nullam alteri laesionem inferre (§.
164), ac proinde ad reparandum damnum,
quod non intulit, obligatum dici non posse;
et 2) juri cujuslibet congruentem aliorum re-
spondere obligationem, eum scilicet in sui ju-
ris exercitio non perturbandi; consequenter-
que patiendi, ut in collisione constitutus,
necessitatis jure, res eorum apprehendat; in
necessariosque usus convertat (§. 367). Juri
namque uniuscujusque naturalis, inseparabi-
lisque etiam obligatio inhaeret eo ita utendi,
ut nihil officii erga DEUM, aut alios repu-
gnans faciat (§. 52); et ex ipso necessitatis jure
obligatio emanat ea omnia, necessitate ces-
sante, emendandi, quae ejus causa contra le-
gem perpetraverit: excusatur enim favore ne-
cessitatis, qui ea in hypothesis legem adim-
plere non potuit; ab implendis vero obliga-
tionibus ceteris, quibus adstringebatur, et quae
semper existerunt, et sublato necessitatis im-
pedimento vim omnem suam recuperant,
minime excusari potest (§. 354, 368, et
261):

*De restitutione rei immobilis, cum ab aliquo
bona fide possidetur.*

§. 482. Quae de obligatione rei mobilis restituendae diximus, locum etiam in possessione rerum immobilium habent.

Quaeri vero solet, ad quid teneatur rei alienae immobilis possessor, cum verus ejus dominus appareat; eamque repetat; scilicet, an fructus omnes non solum pendentes, aut exstantes; sed et consumptos, deperditos, percipiendos, accessionesque omnes, omneque lucrum ex re perceptum, aut percipiendum, domino rem suam vindicanti restituere debeat?

Schol. Per fructus intelligitur quaevis utilitas ex re aliqua proveniens. Distinguuntur 1) in *naturales*, qui beneficio naturae, et 2) in *industriales*, qui natura, et labore simul ac industria nostra producuntur; utrique autem in *pendentes*, aut *non pendentes*, prout a) rei frugiferae cohaereant, veluti segetes in agris, poma in arboribus, et pensiones, quarum dies nondum venit; vel b) non cohaereant, veluti, si lectae jam segetes; poma arboribus excussa, pensiones jam receptae. *Non pendentes* autem rursus considerantur veluti a) jam *percepti*, seu in usum separati; b) *percipiendi*, qui non percepti, sed a diligenti patrefamilias percipi poterant; c) *exstantes*, qui adhuc in patrimonio possessoris manent; et d) *consumpti*, qui usu, atque e) *deperditii*, qui aliqua ratione esse desierunt.

§. 483. Distinctionem, ut paucis rem exponamus, fieri oportet inter eum, qui bona, et eum qui mala fide possidet. Is bona fide possidere dicitur, qui rem alienam justa,

et veluti invincibili ignorantia possidet (a), nesciens prorsus alienam esse; immo potius, se verum ejus esse dominum firmiter persuasus: contra vero mala fide, qui rem suam esse fingit, cum alienam esse compertum ac exploratum habet.

(a) Cum finita sit ingenii humani vis, nec tanta cuique esse possit rerum cognitio, ut non maximum earum numerum ignoremus, quas omni licet adhibita diligentia scire tamen nequimus; et quidquid per vires nostras noscere impossibile est, sicut et id, ad quod cognoscendum non sumus obligati, illud sane invincibiliter ignoramus, lege haud repugnante; planum quidem, dari justam plurimarum rerum ignorantiam.

§. 484. De possessore igitur bonae fidei loquendo, eum ad rem vero domino tradendam cum pendentibus, exstantibusque fructibus tantummodo, obligatum esse; atque ad plane consumptos, deperditos, aut percipiendos solvendum, vel damnum aliquod resarciendum, si res deterior facta, totave perierit, minime teneri contendimus. Cum enim bonae fidei possessor pro vero domino habeatur, omnia jura dominio inhaerentia, ex eoque derivata, quin ad factorum, aut non factorum suorum rationem alicui reddendam obligatus dici possit, ei tamquam vero domino competere res evidens. Nemini igitur suum exercendo jus laesionem infert, ad quam reparandam cogi debeat; neque ei imputanda facta, aut non facta, quae jure facere posse credebat, et invincibili, justaque ignorantia

perpetravit (§. 196); nulla ratione nec ipse, neque etiam alius, qui ejus errorem depelleret, rem alienam esse sciens.

§. 485. Quia vero aliena jactura locupletari nemo debeat, ita negotium peragi inter bonae fidei possessorem verumque dominum ratio praescribit, ut neque plus, neque minus post restitutionem factam habere debeat possessor, quam antea jam habebat. Unde, 1) si bonae fidei possessor locupletior fuit factus suis fructibus parcendo; si 2) maiori, quam emit, pretio rem vendidit; si 3) eam gratis acquirendo permutavit, vel donavit, cum necessario donaturus esset, ad filiam ex. gr. in matrimonium alicui dandam; et si 4) dominus rem suam a secundo possessore (a) obtinere nequeat; ad rei aestimationem, et futurum venditione acquisitum praestandum bonae fidei possessor proculdubio tenetur.

(a) Inter dominii effectus jus etiam rem vindicandi numeratur (§. 469). Hoc autem jure uti potest dominus adversus quemcumque possessorem, quin, quoad rei restitutionem adterit, bona an mala fide rem detineat, itemque domino notus, ignotusve sit; rem enim ab eo non ob factum aliud quod reposcit; sed rem, in quam ei jus est, repetere curat.

Ad quid teneatur, qui mala fide possidet?

§. 486. Aliud vero de eo dicendum, qui mala fide possidet, seu qui rem suam esse fingit, cum alienam esse non ignorat. Cum enim pro vero domino haberi nequeat, sed pro praedone potius; et ejus respectu rationes

cessent omnes, quibus aliquid ex aliena re lucrari posset; omnia quidem in re aliena facta, vel non facta ei omnino imputanda (§. 213). Unde non modo rem ipsam tradere, et fructus omnes pendentes, et exstantes; sed et perceptos, plane consumptos, deperditos, et omnes, quibus tam ipse, quam petitor frui potuisset; omneque damnum etiam, et rei periculum, si ob moram deterior facta, vel tota perierit, nec alias peritura fuisset, domino praestare tenetur, eumque penitus reficere, indemnemque reddere.

Ad quid verus dominus?

§. 487. Sicut vero bonae fidei possessor cum veri domini jactura, ita etiam dominus cum possessoris damno, locupletari non debet. Impensas itaque (a) necessarias, et utiles, a possessore tam bonae quam malae fidei in rem suam erogatas, restituere procul dubio tenetur. Quilibet enim res suas conservare, et in melius referre solet, ac debet; nihilque aliud proinde fecerunt possessores, nisi quod dominus ipse facere debuisset, cui porro non licet aliena jactura lucrari.

(a) Dicuntur *impensae* sumptus, quos in rem facimus, sive a) ejus conservandae, sive b) fruendae, sive c) ornandae causa; suntque idcirco vel *necessariae*, vel *utiles*, vel *voluptuariae*.

§. 488. Ad voluptuarias vero impensas quod attinet, si a malae fidei possessore factae,

cum eas facere non esse obligatum probe sciret, eas gratis domino concedere videtur. Bonae vero fidei possessori illas *tollere* licebit, hoc est, auferre sine ullo rei detrimento; vel, quantum inde lucri cepert, a domino postulare.

§. 489. Cum expensis tamen confundi non debet, quod possessor bonae fidei sponte pro re acquirenda erogavit; aliter enim dominus, si hoc illi teneretur reddere, nihil certe quidem recuperaret. Satis est igitur, ut possessori adversus eum, a quo rem accepit, salvus maneat regressus, ut aiunt; seu jus congruentem damni satisfactionem exigendi. Nec quidquam etiam, jure perfecto, a domino postulare possessor potest (§. 476 *Schol.*), nisi, certo rem corrumpendam sciens, eo animo a pirata ex. gr., ut domino redderet, eam redimeret.

De Usucapione.

§. 490. Quæri vero solet, an *putativum* bonae fidei possessoris *dominium* in *verum* per longævam possessionem licite convertatur; adeo ut sine injuria priori supervenienti domino rem ita possessam tradere non teneatur possessor?

asserunt Jureconsulti rem longævo tempore possessam possessoris quidem fieri propriam; et hunc *acquirendi modum continuatione legitimæ possessionis per tempus a lege definitum*, usucapionem dicunt.

§. 491. Requiritur tamen, 1) ut adsit justus acquirendi *modus, et titulus*, siue causa ad acquirendum habilis; veluti occupatio, si rem nullius esse possessor crediderit; et si alicujus, sui domini voluntas et consensus (§. 441 *et seq.*); 2) *bona fides* (a), seu opinio possessoris, qua se juste possidere opinetur, rem scilicet alterius esse omnino ignorans (§. 483); 3) *possessio juridica* (§. 435), seu animus rem tamquam propriam sibi habendi; eaque *unquam interrupta*, seu *usurpata*, ut aiunt; neque *naturaliter*, amissione scilicet possessionis; neque *civiliter*, interpellatione quavis, in legis dispositione sufficientem rationem habente: et 4) tandem longævum tempus.

(a) Jure Romano satis erat bonam fidem initio, seu acquisitionis tempore adesse; malaque fide superveniente usucapio non impediabatur: Jure vero Canonico, et non immerito quidem, continua bona fides requiritur.

§. 492. Quoad autem temporis spatium, quod ad id necessarium justumque dici debeat, illud sufficiens judicant, quod ab Imperatore JUSTINIANO præscriptum; triennium scilicet ad res mobiles usucapiendas; et decem annorum spatium ad res immobiles inter præsentem, et viginti inter absentes; triginta ad res ab ordinaria præscriptione (a) exemptas, aut quarum acquisitionis nullus titulus existet; quadraginta ad res fiscales, patrimonialesque Principis,

aut immobiles Ecclesiarum, et Civitatum; et centum annorum ad res Ecclesiae Romanae, Conf. INSTIT. Lib. II. Tit. 6.

(a) *Praescriptio*, proprie, *exceptionem* significat, qua jus et intentio alterius, quae neglectam ejus persecutionem per tempus a lege definitum, semovetur. Icti vero modo *pro exceptione* praescriptionem sumunt, et praesertim, qua rei vindicationis actio repellitur, et tunc *praescriptionem extinctivam* nominant; modo *pro ipsa usucapione*, seu per possessionem per longaevum tempus, seu a lege definitum, et tunc *praescriptionem acquisitivam* appellant.

Jure veteri Romano *usucapio* rerum mobilium anno, et immobilium biennio absolvebatur. Erat et *praescriptio*, objecto et effectu ab usucapione differens. *Justinianus* vero usucapionem decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes constituendo, denominandoque praescriptionem longi temporis, omnem differentiam sustulit, et usucapionem ac praescriptionem in unam, ut aiunt, massam conflavit, nulla amplius remanente inter usucapionem et praescriptionem differentia, quam quod usucapere de rebus corporalibus, stricte, diceretur.

Cum autem postea, in subsidium usucapionis et praescriptionis longi temporis, inventa fuisset praescriptio longissimi temporis, triginta scilicet, quadraginta, et centum annorum, illam *ordinariam*, et hanc *extraordinariam* dixerent. Vid. HENR. Recitat. in Elem. J. C. §. 438. t.

An usucapio a Naturae Lega probetur?

§. 493. Utrum vero haec Imperatoris JUSTINIANI Constitutio, ab omnibus fortasse Nationibus recepta, et in usu posita (a), principium ac rationem sufficientem in Lege Naturae habeat, non una omnium sententia est.

(a) Usucapionem, et praescriptionem jam agnovere, in civilique statu necessariam judicarent Nationes omnes anti-

quae, et cultae, veluti *Aegyptii, Hebraei, Macedones, Atheniensis, et Lacedaemonii*. Memorabilis locus est *JUDYCA C. XI. v. 26*, in quo *יִשְׁרָאֵל* ad praescriptionem provocat: *Habitavit (Israel) . . . in cunctis Civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos: Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?*

Adfirmantium sententia.

§. 494. Adfirmant *GROT., PUFFEND., WOLF.*, aliique non pauci, quamquam non ex eodem fundamento. Quidam enim *a)* provocant ad praesumptam derelictionem rei tanto tempore non possessae, aut non repetitae data occasione; et maxime, quia minime praesumi debeat, ignorare rei dominium, se, finito tempore ad praescribendum a lege definito, non amplius rem suam repetere; nec invincibili juris ignorantia excusari se posse: Quidam *b)* tacitam volunt intervenisse conventionem, quae possessori diuturno verum dominium tribuat: Quidam *c)* rationem repetunt ex fine proprietatis, quae non possit semper in incerto fluctuare; et hinc dominium putativum cum vero confundi: Quidam *d)* denique felicitatem urgent humani generis, quae stare nequeat, si perpetua admittantur de proprietate dissidia (*a*).

(*a*) „Nec vero (ratiocinatur *THEOPHILUS Paraphrasi*
 „ in *INSTIT. Lib. II. Tit. 6. pr.*) iniquam esse legem
 „ aliquis existimaverit, quod alter per usucapionem (hoc
 „ est, temporalem possessionem) dominus efficeretur; et
 „ alter dominio rerum suarum privaretur. Id enim adin-
 „ ventum est, ne res ipsae perirent. Namque unusquis-
 „ que ignorans, num vere esset dominus rei, quam pos-

„ sideret, nullam omnino in eam curam impendebat,
 „ semper timens, ne quando verus dominus veniret, et
 „ eam sibi auferret. Et ea de causa socordes quoque erant
 „ mortales, et per socordiam ipsorum, sine cura, sollicitu-
 „ tudineque res erant: quod cum ita esset, sane eveni-
 „ ebat, ut res deperirent, et corrumperebantur.„

Negantium.

§. 495. Alii vero contra sentiunt, ad si-
 gulaque respondentes asserunt, 1) ejusmodi
 derelictionem, a) si praesumpta sit, et ficta,
 Legi Naturae, quae homines res suas jactare
 prohibet, contrariam omnino esse; et, b) si
 vera, locum occupationi, non usucapioni
 praebere; c) dein praesumptionem cedere de-
 bere veritati, quae quidem, statim ac verus
 appareat dominus, rem suam animum dere-
 linquendi nunquam habuisse declarans, ma-
 nifestatur; ipsum namque domini silentium
 derelictionem satis non firmare, quia saepe
 ex ignorantia, aut metu possessoris oritur;
 et ex eo, quod quis non contradicat, ut alter
 rem possideat, minime sequatur nec contra-
 dicere, ut alter perpetuum habeat ejus do-
 minium: 2) tacitam conventionem rem per-
 mittendi possessori ultro fingi; quin potius
 velle omnes censendum, ut res amissa suo
 domino restituatur.

Neque 3) meliorem rationem esse, aiunt, in confusione domini, eo quod vero
 rei domino volente desinet confusio (§. 464);
 ac proinde, cognito vero domino, putativi ve-
 rique domini confusionem cessare prorsus de-

bere : 4) denique communem felicitatem non probare , usucapionem jure perfecto obtinere ; quia etiam humani generis intersit officia beneficentiae , et gratitudinis exhiberi , inde tamen non concludi , obligationem adesse perfectam , ut praestentur ; immo vero paci , et tranquillitati satis *jure possessionis* consultum esse , rem licite retinente possessore , donec alter perspicue demonstrat , se rei dominum esse ; nullatenus enim , si hoc ita fuerit factum , communi bono restitutio repugnat.

§. 496. Nullam itaque sufficientem rationem adduci posse contendunt , ob quam a domino invito , et qui neminem laedit , rei dominium in possessorem naturaliter derivetur ; et praesertim , si perpendatur , tempus ex quo vel derelictio , vel conventio , vel confusio colligi debuerit , nullo modo sola Naturali Lege determinari posse ; an nimirum decem , viginti , centum , aut quot demum annis impleatur. Tum igitur solum Lege Naturae niti , atque ab ea probari *usucapionem* asserunt , cum immemoriali tempore ita quiesca durasset possessio , ut nulla in contrarium memoria exstet , impossibilisque omnino sit idonea alterius dominii probatio.

Quid de eo sentiendum

§. 497. Equidem negari nequit , hanc per longaevum tempus acquirendi modum , sicut

et ex eo derivata jura, *in facto hominum* principium ac rationem sufficientem habere, consequenterque hypothetica esse omnia, atque adventitia (§. 144, et 145). Non ideo tamen, quod ab hominibus adinventata, et constituta, in Naturae Lege fundamentum non habere, aut ab ea non probari dicendum.

Schol. Quoties in quaestionem venerit, an Lex, Institutaque aliqua Civilia Juris Naturae sint, ut aiunt, vel a Nat. Lege probentur, nullum aliud Icti officium erit, quam per *principium leges cognoscendi*, (§. 125) propositum, explorare, an DEI voluntati, creationisque finibus convenient, repugnentve; et ita ea Legi Naturae consentanea, et ab ea probata, vel prohibita, aut permissa asserere, prout hominum naturae, et creationis finibus convenientia, disconvenientiaque fuerint. Haec enim voluntas DEI est (§. 28).

§. 498. Nihil aliud enim Lex, aut Jus dici potest, sive de Humano, sive de Naturali quaeratur, nisi quod naturae hominia, et ejus scopo essentiali bonum, et conveniens fuerit (§. 52 *Schol.*), et ad creationis finem, tam ultimum, quam intermedios ceteros (§. 27, et 28) adipiscendos accommodatum (§. 44). Legis, et Juris nomen certe quidem Jus Humanum non obtinebit, nisi, praeter bonitatem relativam, ut aiunt, bonitatem etiam absolutam habeat (§. 241); sive, nisi fuerit ipsum Jus Naturae hypothetico sociali statui accommodatum (§. 106 *not.*, §. 225, et seq.), et prout differentes obveniant species explicatum (§. 148). Quoties itaque Civilia Instituta quaeris, eisi ab hominibus inventa,

et ad actiones nostras, a Legibus Naturae nec praecipuas, nec prohibitas, sed permissas, regendas proposita (a), naturae hominis, aut ejus essentiali scopo, consequenterque DEI voluntati haud repugnantia esse nobis certo constat; a Lege Naturali ea probari, et in ea principium ac rationem sufficientem habere dicendum.

(a) Possunt quidem Legislatores Civiles Jura hominum permissiva (§. 58, et 147) restringere, et certis regulis, formulis, et limitibus subjicere, prout civilis societatis natura, bonumque publicum exigit; ex. gr. aetate, qua varia obire liceat negotia, determinare; matrimonii, promissionibus, et pactis cujuslibet generis modum et normam statuere; Leges Naturales declarare, easque species applicare obvientes, praemiis atque poenis munire, et obligationibus imperfectis (§. 167) jus cogendi civile adjicere, etc.; minime tamen aliquid praescribere, quod Divinae voluntati adversetur, Naturalibusque Legibus repugnet (§. 68, 70, et 148); *obediendum enim oportet DEO magis, quam hominibus.* ACT. APOSTOL. Cap. V. v. 29. *Conf.* infra §. 529, et 530.

§. 499. Cum ergo indubium sit bono publico convenire quam maxime, 1) ut dominia rerum non sint incerta; ut 2) unusquisque rebus suis recte utatur; ut 3) homines negligentiores ad res suas maturius vindicandas impellantur, si meliorem vigilantium, quam dormitantium conditionem esse animadvertant; et 4) ut dissensiones ac lites inter cives evitentur, quas avi, proavique nostri nescierunt; et insuper ab ipsa Natura sit praescriptum, ut in collisionis statu (§. 60) semper praeferatur, 1) quod ad maiores

perfectiones obtinendas valeat; 2) bonum maius minori; 3) bonum totius parti, et publicum privato; et 4) ad maximam, quam possimus, humani generis felicitatem contendamus (§. 61, 340, et 365): evidens quidem, modum per usucapionem acquirendi utilissimum, ac necessarium in civili societate esse, ac proinde non modo naturae, et scopo essentiali hominis in societate degentis non repugnantem, sed quam maxime congruum esse; Voluntatiq̄ ~~DE~~ minime oppositum; et consequenter in Naturae Lege principium ac rationem sufficientem habere, et ab illa probari. Ipsius namque Naturae Lex est, ut in "societati hypothetico statu", prout ejus natura, et salus publica exigat, permissiva restringantur jura; eorumque exercitium saluti cujusque populi, et reipublicae attemperetur; aliter enim nullus ordo (§. 148).

Manifestum itaque, usucapionem *materia*liter acceptam, seu quoad facultatem, et jus eo modo acquirendi, a Lege Naturae descendere; *formaliter* vero sumptam, seu quoad tempus, ceteraque adjuncta, necessaria omnino, ut locum habere, et licite in Civili Societate exerceri possit; ad Jus Civile proprie, speciatimque pertinere (§. 496), ab eoque descendere.

Schol. Neque dicatur, ex eo tantum sequi, licitam usucapionem esse in externo foro, et jure merito dominis negligentibus actionem rem suam tunc tempore non pos-

sessam, nec repetitam data occasione, vindicandi denegari; sed minime ab obligatione eam restituendi in infinito, sibi liberari se posse ejus possessorem. Quae enim ab illis adducuntur (§. 494), qui pro usucapionis bonitate propugnant, ejusmodi argumentationem satis superque infirmant. *Conf.* §. 340, et *infra* §. 529, et 530.

V. GROTIUS. *De Jur. bel. et pac.* L. II. C. 2, 4, 10, et 17; PUFFENDORF. *de J. N. et G.* L. IV. C. 12, et 13; et *de Off. H. et Civ.* L. I. C. 12, et 13; HEINECCIUS. *de J. N. et G.* L. I. C. 12; WOLFF. *de J. N. et G.* P. II. C. 3, et P. III. C. 7; DE FELICE *Leg. de D. N. et des G. Leg.* §. 26, et 27.

CAPUT IV.

DE DERIVATIVO REBUM ACQUIRENDARUM MODO;

SEU DE PACTIS GENERATIM.

§. 500. **J**ura et officia hominum exposuimus, quae, ratione *originarii*, seu *res nullius* acquirendi *modi*, ad eos pertinent. Sequitur itaque, ut de altero acquirendi modo verba faciamus, qui ad *res alicujus*, seu dominum jam habentes, acquirendas spectat, et ideo, quod proprietas, juraque ab eo emanantia ab alio in alium transferantur, non immerito *derivativus* dicitur. Cum vero non alium ejusmodi res acquirendi modum detegereve homines potuissent, quam per unius promissionem, et alterius accepta-

tionem (§. 440), quem modum *Pacta*, sive *Contractus Majores* nostri dixere; ut de *Pactis*, seu *Contractibus*, eorumque variis speciebus, atque juribus, et obligationibus ab eis provenientibus, sermonem instituamus, ipsa ordinis ratio exposcit.

Quid pactum?

§. 501. Qui alteri voluntatem suam declarat rem alicujus praestandae, hoc est, aliquid dandi, faciendi, vel non faciendi, *promittit*; qui vero declarat voluntatem rem sibi promissam in re suum recipiendi, ille *acceptat*, seu *stipulatur*. Haec igitur *acceptata promissio*, seu consensus duorum, vel plurium in idem placitum, de dando, faciendo aliquid, quod ex lege tantum humanitatis, et beneficentiae debetur (§. 331, et 345), *pactum* vocatur.

Schol. Romani Icti distinctionem faciebant inter vocabula *conventionem*, *contractum*, et *pactum*. *Conventio* erat nomen genericum, et qualemcumque promissionem acceptam designabat.

Per *contractus* denominabant conventiones, quae causam simul et nomen, vel causam tantum haberent, et inde in *nominatos*, et *innominatos* eos distinguebant. *Causam* autem illud dicebant, ex quo secundum Leges obligatio perfecta, et actio nascebatur; et earum quatuor constituiebant species, 1) *rei* scilicet *traditionem*; 2) *verba solemnia*; 3) *litteras*, et 4) *consensum*.

Per *pacta* designabant eas conventiones, quae nec causam, nec nomen habebant, ac proinde obligationem civilem non producebant, sed naturalem tantum. Ideo autem *pactis* actionem non tribuebant, quod plerumque homines se serio pactos negarent; ac proinde necessarium fuisset ad civil-

lationes vitandas eos certis formulis alligare, et in contractibus eorum fidem collocare. Interea tamen non modo servanda esse non negabant, sed immo improbum putabant, qui fidem datam servare nollet. Vide HEIN. *Recitation. in Jus Civ. Lib. III. tit. 14.*

PUFFEND., atque HEIN. asseruerunt, quod etsi inter pacta, et contractus nullum Jure Naturae sit discrimen, eo quod negotium ex paciscentium consensu capiat substantiam; contractus tamen ad res praetio aestimabiles, et in commercio constitutas; et pacta ad res, et facta, quae in commercio esse non solent, ex. gr. pactum de nuptiis in futurum, aut in praesenti celebrandis, referri posse crediderunt. *Conf. PUFFEND. de Off. H. et C. Lib. I. C. 15. §. 1., et HEIN. de J. N. et G. Lib. I. C. 14. §. 385.*

Necessaria pactorum adjuncta.

§. 502. Ad pacta igitur duo prorsus requiri, ex ipsorum notione manifestum; I) scilicet, ut duo, vel plures (non enim pacisci duo tantum, sed plures, ac innumeri etiam possunt, totaque una Civitas in pacto contineri) idem se velle declarent, hoc est, *consentiant*; et II) ut praestatio sit possibilis. His observatis *res* suum promittentis fit *res* suum acceptantis; adeoque ille paciscendo vel a) rem, vel b) operam, vel c) particulam libertatis naturalis (§. 153) in agendo alienat; hic vero unum ex his *modo derivativo* acquirit.

Consensum declarandi necessitas.

§. 503. Quoniam igitur pactum sit duorum, vel plurium in idem consensus, isque tanquam internus sciri nequeat, nisi externo aliquo signo manifestetur; illud quidem ne-

cessario sequitur, teneri factores voluntatem suam declarare, signis scilicet certis, ac determinatis, et usu receptis; vel 1) *expressis*, verbis nempe, litteris; nuntio, aliisque similibus; vel 2) *tacitis*, factis nimirum (§. 398), ex quibus naturae negotii, ceterorumque adjunctorum ratione habita, juxta id quod plerumque accidere solet, plane ac aperte eorum voluntas, quin ulli dubitationi relinquatur locus, dignosci possit.

Schol. Per simplicem etiam nutum, veluti capitis inclinationem, aut conversionem, dextrae junctionem, aliaque usitata signa; nec non per patientiam, et silentium; immo et per conjecturas quasque alterius voluntas satis manifestari, dignoscique potest. Praecavendum tamen, ne aliqua probabilis causa adsit; ex qua aliam esse alterius voluntatem certo constet; potest enim quis, licet dissentiens, ob alterius metum tacere potius velle, quam verbis aut factis dissentium suum testari; et licet ex traditione chirographi, aut pignoris, ex. gr., debitori a creditore facta debiti remissio praesumatur; potest tamen creditor debitori dare chirographum, ut defectum suppleat aliquem; et pignus eam etiam credere, ut eo nuptiali die utatur.

Mutua debet esse declaratio.

§. 504. Necessarium insuper, ut promissioni accedat acceptatio, quovis etiam modo declarata (§. 503). Alias enim deerit in idem consensus; consequenterque neque pactum, neque ulla obligatio erit (§. 501); non enim, an promissum dare, aut facere teneatur, scire potest promissor, antequam alter sibi gratum esse, et illud velle declaraverit. Sola igitur promissio sine acce-

ptatione, vel antecedente, vel consequente, sufficiens causa non est, ut res promissoris alteri non stipulanti adquiratur (§. 502). Si quis ergo per litteras, vel tabellarium alteri absenti quid spondeat, et antequam litterae sint redditae, aut tabellarius illius mentem declaraverit, et voluntas alterius accesserit, promissionem revocaverit, licet postea acceptatio sequatur, nullum tamen, mutuo jam deficiente consensu, effectum ea habebit.

Declarationis effectus.

§. 505. Quoniam alterius voluntas nisi ex signis externis sciri nequit (§. 503), *uti se alter sufficienter declaraverit, ita eum iudicandi jus habemus.* Et quia sufficiens declaratio ipsi voluntati aequipollet, ideo licet paciscentes aliud mente voverent, aliud ore proferrent, pactum tamen existeret. Non vero paciscuntur, qui se *jocari* manifestant, aut solum *tractatus* faciunt, et negotiationes pactitias, in quibus, utrum consentiendum sit, nec ne, deliberatur adhuc.

Consensus debet esse verus.

§. 506. Non modo tamen 1) sufficienter, et 2) mutuo declaratus, sed 3) verus etiam esse debet paciscentium consensus. Qui enim, de qua re agatur, non intelligat, neque ejus distinctam ideam habeat, sufficientiaque *momenta* ei a ratione repraesentata fuerint, qui-

bus ad consentiendum, vel non consentiendum se inclinare conveniens iudicet (§. 15, et 17), minime consentire; nec ex facto, cujus neque vere conscius, neque auctor (§. 195), obligare se potest.

Quid, si ex ignorantia, aut errore praestitus?

§. 507. An autem ratae, legitimaeque dicendae pactiones illae, in quas pactores ex ignorantia, aut errore consenserint? Verum quidem est, minime consentire eum dici posse, qui super re ab ea, quae suae menti obversatur, plane dissimili paciscitur; ita enim certe quidem non pacisceretur, si suum errorem cognovisset.

§. 508. Cum vero ex ignorantiae, ac erroris praetextu quotidie pacta rescinderentur, et incerta proinde, ac imperfecta perpetuo manerent hominum iura, rerumque ordo penitus turbaretur, distinctionem fieri oportet inter ignorantiam, et errorem essentialem, ac invincibilem, et errorem accidentalem, et vincibilem; seu in quem prudentissimus etiam quisquam labi, et a quo diligentia quavis adhibita liberare se quisque potest.

§. 509. Quoties itaque essentialis fuerit error, nullum ex eo oriri pactum, ob consensus defectum (§. 502), nullamque proinde obligationem, **res evidens: contra vero cum acci-**

dentalis tantummodo ; vere enim consentit , quī , dum errorem faciliter evitare poterat , rem tamen diligentius explorare noluit ; in collisionisque statu praefendum semper , ut praescribit ratio , bonum plurimorum bono unius , et publicum privato (§. 60). Sibi imputet , qui debitam in pactionibus suis conficiendis diligentiam non adhibuit.

Interea tamen , cum mutuo nos amare , juvare , et , quod nobis fieri volumus , aliis etiam facere debeamus , illud sane aequitas , nostrique similibus amor exigit , ut culpa , non dolo , erranti actio ad damnum emendandum detur.

Schol. Errorem essentialem ab accidentali discernere nos edocent Icti, 1) ratione personae, veluti si nuptias Bertae affectanti, nomen vero ignoranti, Tullia per errorem sponderetur, vel Stichum ementi Dromus daretur; 2) ratione rei, veluti si gemmarum, aut metallorum ignaro, adamantem occidentalem pro orientali vendiderint, aut plumbum inauratum pro auro, cet.; et 3) ratione adjunctorum, veluti si horologium quibusdam rotis instructum petenti aliud pro quo vendiderint, et eis attributis destitutum, quorum absentia illud ei prorsus inutile redderet.

Aut ex dolo malo elicitus?

§. 510. Eodem modo de illis pactis ratiocinandum, in quibus paciscentium alter ab altero fuerit dolo circumventus (a); minime enim in idem consentit, cujus menti velut praestigias alter objecit, et rem, de qua pactus, multo aliter, quam re ipsa esse postea deprehendit, concipere fecit (§. 506).

(a) *Dolus* generatim dicitur propositum ac intentio illud agendi, quod non debere facere probe scit agens; seu propositum contra ea agendi, quae quis facere obstrictus est: speciatim verò, et ratione illud perpetrandi modi; dici solet, quaevis calliditas, fallacia, aut machinatio ad alterum circumveniendum, fallendum, decipiendumve, adhibita.

§. 511. Ut tamen arbitrariae rescissioni pacta subjecta, proindeque suspensa, et incerta semper jura hominum non maneant, distinctio facienda etiam inter *dolum causam pacto dantem*, et *dolum tantummodo incidentem*, seu qui postea tantum apparuit, et impulsiva paciscendi causa non fuit; paciscentesque, si eis fuisset cognitus, pactum, quamvis non eodem modo, conficerent. Priori casu non modo non valebit, deficiente in idem consensu, sed *damnum datum*, si adsit, reparare etiam dolosus pactor tenetur: in posteriori vero valebit, eo tamen, qui ejus, si adsit, fuit causa, ad laesionem reparandam adstricto.

§. 512. Quid vero, si ab aliquo tertio dolus, aut error, proveniat, qui paciscentium alterum, inscio altero, ad ita paciscendum pellexit, ex. gr. filios in bello occubuisse, aut territorium occupasse hostes, asserendo; vel rei emendae, aut vendendae pretium plus, aut minus justo aestimando, cet. ? Huic proculdubio imputanda laesio, et ad eam, nisi forte erroris exceptio ipsius rei natura pacto insit, reparandam cogendus (§. 195).

Aut vi, metuve extortus?

§. 513. Ob consensus defectum omni robore destitutae etiam illae dicendae pactiones, in quas vi aut metu quis ab altero impulsus consenserit.

§. 514. GROTIUS et HOBBSIUS cum *Stoicis* ejusmodi pacta valere contendunt ex eo, quod voluntas coacta semper sit voluntas (§. 81). Cum tamen, ut ait PUFFEND., nemo jus aut imperium in alterum naturaliter habeat (§. 153), et obligatio ab alterius jure ortum ducat (§. 52); manifestum sane, nullum ei, qui alterum ad sibi aliquid promittendum vi coegit, esse jus ab alio exigendi promissum; nec alteri obligationem promissum adimplendi. Ubi enim nullum Jus, nulla obligatio (§. 49); aliter enim illud absurdum sane sequeretur, ex promissione a latrone ex. gr. per vim extorta nos teneri, aut jure præmium a nobis exigere sceleratum, quia, cum posset, nos non occideret.

Schol. Ideo pacta per vim aut metum facta non vitari contendebat HOBBSIUS, quod alias vitarentur etiam pacta, quibus plurimae invaluerunt Respublicae, ab Usurpatore, Tyrannove aliquo invasae; pacta pacis; pactaque omnia bellica. In bello tamen, sicut in Civitatibus violentia constitutis, collisio adest, vi cujus necessaria prorsus fit exceptio (§. 60), ut finis imponatur bello, et in infinitum non protrahantur mala. Quamvis enim alterius populi belligerantis causa semper sit injusta, eum tamen id agnoscere, aut saltem confiteri uterque detrectet, nullus-

que sedeat inter eos Judex, res profecto careret exitu, perpetuarenturque mala, si alterutra pars non cederet, factumque servaret.

Veteres Icti, *Stoici* praesertim, ideo voluntatem constantem semper voluntatem esse asserebant, quod persuasi erant, ac statuebant, sapientem affectibus carere; eumque nunquam metuere, laetari, contristarive, et, quamvis in *Pbalaridis* tauro inclusum, nihil curare; sed, bona contingant, malave accidant, omnia suis deque habere; consequenterque non sapientem, sed stolidum esse, qui metuit, et stolidum fructum suae stultitiae non debere capere.

Quidquid vero Stoici velint, metus non modo in stultos, sed in sapientissimos, et prudentissimos etiam cadit; repraesentato enim malo futuro, et difficillime declinando, necessario, et naturaliter, metus oritur.

In ejusmodi ergo pactis non quaerendum, an quis consenserit, sed an alteri jus fuerit ad metum incutendum, eoque modo consensum eliciendum; si enim alteri nullum jus est, promissio quoque nulla erit. Elegans Epigramma MARTIALIS IX. 59. v. 5, et seq.

Quid si me tonsor, dum curva novacula supra est,

Tunc libertatem, divitiasque roget?

Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor,

Latro rogat: res est imperiosa timor.

Sed fuerit curva quum tuta novacula tbeca;

Frangam tonsori crura, manusque simul.

§. 515. Interea tamen, ut pacta debitum habeant exitum, et fides data faciliter, ac frequenter non violetur (a); sine enim pactorum fide nec feliciter, nec tranquille vivere homines possunt; distinctio facienda etiam 1) inter vim leviolem, terroremque innanem, et vim atrociolem ac metum, qui in virum constantem cadit, et 2) inter justum, injustumque metum, Pro illorum itaque pactorum firmitate standum, ad quae conficienda 1) vi aut metu, cui facile resisti po-

test ; et 2) ad quae metu justo quis fuerit adactus ; veluti a superiore , aut eo qui jure suo utitur , et alterum ad illud peragendum cogit , ad quod jam antea obligatus erat ; ex. gr. a creditore , aut magistratu , a moroso debitore alicujus poenae comminatione solvendi debitum promissionem extorquente.

(a) Ob eam causam Claris. DE MART. , quamvis ex consensu injusto metu , aut vi extorto , nullam obligationem oriri recognoscat ; in externo foro tamen , quoties metus in se injustus pro justo externe habeatur , servandum pactum contendit.

§. 516. Ratae etiam , ac legitimae eae promissiones censendae , ad quas faciendas non ille , cui promittitur , sed aliquis tertius in metum promissorem conjecit. Qui ergo latronum metu praesidium aliquod sibi mercede conduxerit , a promissione servanda exceptione metus se liberare minime potest.

Idem de illis promissionibus dicendum etiam , quas , licet ignorantia , aut errore , dolo , vi aut metu factas , pactores tamen eas postea probarunt , et ratas , firmasque manere voluerunt ; non enim ex priori , sed ex posteriori consensu obligatio oritur.

Quinam pacisci possint ?

§. 517. Cum ergo ad pactorum firmitatem necessario requiratur , ut vere in eandem rem , quae danda ; in idem factum ; quod faciendum ; et in eandem ejus *circum-*

stantias pactores consentiant; evidens quidem, illos omnes, et eos solum pacisci posse, qui tam physice, quam moraliter valeant.

§. 518. Furiosi ergo, nisi lucido intervallo ejus distinguatur furor; mentecapti; dementes; infantes, seu pupilli naturaliter (a); plane ebrii (b); aegroti, quorum animum morbi violentia perturbet; in somnoque annuentes (§. 202) pacisci minime valent; usu namque rationis destituuntur, ac proinde ipsa voluntatis declarandae facultate carent; non enim inclinare se potest voluntas, nisi prius sufficientia motiva ad volendum, aut nolendum, ab intellectu ei fuerint repraesentata; de naturaque appetitionis, aut aversationis suae fiat certior (§. 15).

(a) Hi scilicet, qui adhuc ratione sua uti nequeunt. Quamvis Jure Civili, quia hypothetici socialis status natura, et collisio boni publici hoc idem exigit, minores viginti quinque annis sine tutoris, aut curatoris adprobatione obligare se nequeant; cum tamen nemo alterum decipere, neque alterius jactura locupletare se debeat. Jure Naturae a contracta obligatione adimplenda se exsolvere minime potest, qui sciat, quod gerit, et, qua de re agatur, distinctam ideam habeat.

Quando vero rationis usu pollere juvenes dicantur, definiiri quidem nequit; pro diversitate namque ingenii, educationis, climatis, cetera, alii citius, et alii tardius adulescere, ac sapere incipiunt. Aegyptii singulis septennis annis corpora, et octonis mentes mutationes quasdam subire credebant, eosque annos *Climactericos* denominabant. Hinc pro determinanda infantia annum septimum, pro pubertate decimum quartum, et pro aetate virili vigesimum primum; et ita pro rationis evolutione, usu, et maturitatis statu, annum octavum, decimum sextum, et vigesimum quartum notabant. Aegyptios sequuti fuerunt Graeci,

et Romani, hosque omnes fere Gentes. Pro locorum tamen diversitate a Positivo humano Jure definiendum hoc est.

- (b) Distinguenda summa ebrietas a media; non immoderato enim potu onustos, quod agunt, plane cognoscere, ex observatione constat; et de *Germanis* testatur TACITUS, et de *Persis* atque *Graecis* Q. CURTIUS, non modo privatas, sed res etiam graviore inter pocula solere agere; et per celebrem Flandrorum consuetudinem de pactis narrat N. BURGUND. *in Praef. consuet. Flandr.*, a consuetis scilicet in taberna vinaria ante meridiem sequentis diei recedere eos posse.

An liceat per alios promittere, et pacisci?

§. 519. Cum ex paciscentium in idem consensu pacta substantiam capiant, et perinde sit, sive quis praesens verbis, aut factis; sive absens litteris, aut nuntio voluntatem suam declaret; et humanitatis amor unumquemque impellere debeat, ut alterum non minus quam se ipsum juvet, et ejus utilitatem promoveat; non possumus non inferre, posse quemquam negotia sua alteri comittere, et hunc negotium suae fidei commissum recipere. Hoc si fiat, indubium certe, quod quis per alium facit, per se ipsum facere dicendum.

§. 520. Cum tamen de rebus alienis liberalis nemo esse debeat, neque de eis, quae dominio, et arbitrio alterius subjecta sunt, earum domino absente, et ignorante, disponere possit; necessarium omnino ejus mandatum est, verbis, litterisve manifestatum, generale, aut speciale; signumve externum aliquod,

ex quo rei domini voluntas colligi possit, et consequenter ex promissione ab alio facta obligatus maneat.

Non ita tamen; si alter amico suo, ex. gr., stipuletur, promissionemve aliquam in ejus utilitatem factam acceptet; sui similitum namque promovere commoda, et utilitates unicuique licet, et incumbit (a).

(a) Regula Jur. Röm. §. 4. INSTIT. *de inutil. stipulat. neminem posse alteri, nisi cujus juri subjectus sit, stipulari, æquitati naturali prorsus repugnat. Conf. INSTIT. Lib. II. tit. 9; et Lib. III. tit. 29.*

Quæ pactorum materia?

§. 521. Primum pactorum adjunctum, quod necessario requiritur, et in eo positum, quod idem se velle pactores declarent, seu consentiant, exposuimus; et pactorum consensum debere esse 1) plane ac aperte, vicissimque manifestatum; 2) verum; ac 3) liberum; consequenterque a) sine ignorantia, aut errore præstitum; b) dolo non elicitum; neque c) vi, aut metu extortum. Sequitur itaque ut de altero, necessario etiam, verba faciamus; in eo positum, quod possibilis sit præstatio; est enim pactum voluntas declarata de aliquo dando, faciendo, vel non faciendo; seu consensus de obligatione aliqua introducenda, aut tollenda, quæ si possibilis non fuerit, nullum quidem pactum reddet.

§. 522. Erit itaque pactorum materia, quidquid tam physice, quam moraliter dare, facere, vel non facere possumus.

De promissione physice, aut moraliter impossibili.

§. 523. Siquis ergo promittat, a) quod in τῷ suo non habeat; vel b) habere posse nulla spes sit; nec c) pro lubitu de eo dispo- nere possit; vel d) quod viribus ejus, tam physicis, quam moralibus, subjective contin- gens non fuerit (§. 18), ex. gr. hypocoen- taurum dare, tabulam pingere, Sinense scri- ptum aliquod interpretari, cet., evidens nul- lum omnino esse pactum; et aut jocari, aut insanisse pactores credendum.

§. 524. Illud animadvertendum tamen, ratam, vique obligandi instructam dicendam esse promissionem illam, cujus adimplendae impossibilitas non absoluta, sed hypothetica tantum fuerit (§. 79, et 80); veluti 1) si tempore initi pacti stare promissis posset pro- mittens, et postea vires, aut facultates, qui- bus pollebat, detriverit, aut obliquiverit (§. 205), ut gulosus decoctor (a); vel 2) si rem non absolute impossibilem, sed quam sibi subjective contingentem non esse nove- rat, dolo malo promiserit; aut 3) rem ali- enam (b); aut 4) suam, sed in quam jam alteri antiquiori pacto jus aliquod quaesitum erat; vel 5) si possibilem esse fingens, veluti

alchimista, alterum deceperit. Quamvis enim ad impossibilia nemo teneatur, ex alio tamen capite ad satisfactionem obligatur.

(a) Illi scilicet, qui otio torpentes, fucorum instar, alienis opibus vivere, et res ab alio non sine sudore partas turpiter obligurire non dubitant; et mercatores, qui non infortunio, sed nequitia sua bona dissipant, et ita creditores suos fraudant, et eorum pecuniam emungunt. Est hoc sane pestilentissimum hominum genus, ad nefanda quaevis facinora perpetranda proclive; ut enim aliena non appetant, qui sua dilapidarunt, fieri quidem non potest.

Atbeniensium Legibus, et *Romanorum* XII. TABUL. (Tab. III.) ejusmodi debitores creditoribus addicebantur, ut eos vinculis, et custodia coercerent, et ex eorum operibus suum sibi sumerent; aut, si plures creditores essent, eos venundarent, et pretium pro rata inter se dividerent.

(b) Quamvis alienae rei promissio, ex promittendi juris defectu, stare nequeat; ad omnem tamen diligentiam adhibendam tenetur, qui, ut alius det, faciatve aliquid, operam se daturum promissit (§. 393). An verò promisso non sequuto ad id, quod interest, teneatur? Si alienum factum promittens non ultra se obligavit, quam ad id quod sibi possibile, in ea solam specie obligatus dicendus, cum 1) fuerit in dolo; aut 2) indemnitatem promississet.

De promissione rei illicitae.

§. 525. Quoniam a sana mente alienum omnino est, actionem a Lege prohiberi, et vi pacti, aut obligationis fidem datam servandi (§. 505), ad illius complementum teneri; illud extra omne dubium positum, frustrata, ac nullius omnino ponderis esse pacta, quibus ad aliquid contra pietatem, honestatem, decorum, aut justitiam faciendum, aut non faciendum, aliquis se obliga-

verit ; actionem enim a Lege Naturali prohiberi , et tamen nos ad illius praestationem adstringi , repugnans omnino res est.

§. 526. Illa itaque promissa , quorum praestatio cum manifesto alterius damno conjuncta sint , etiamsi ipse consentiat , et velit , minime servanda. Quamvis enim vulgo dicatur consentienti , et volenti nullam injuriam fieri , id tamen de illis intelligendum , in quae consentire cuique licet (§. 358). Quare , qui fidem sic praestaret volenti , et urgenti , non minori imputatione dignus esset , ac ille qui invitum , et repugnantem laederet. *Conf.* Liv. I. *Reg. C. XXXI. v. 4 et seq.*

§. 527. An autem rem promissam ob aliquid turpe factum praestare teneatur promissor ; aut praestitam repetere liceat ei ? Cum ex pacto sua natura nullo nulla oriri possit obligatio ; evidens nullam adesse obligationem praestandi promissum ; immo potius semel atque iterum violare Legem , qui fidem ad ejusmodi implenda facta datam servaret.

Quoad vero rei praestitae repetitionem , asserit cum PUFF. Clar. DE MANT. minime repeti licitum , ex eo quod , qui scienter dat quod non debet , gratis id se dare tacite declarat , et donat ; ejus autem , quod semel donatum , non concedatur repetitio. Contrarium vero defendit GROTIUS , exemplo *Judae* ductus , qui *Thamari* nurui suae , meretricem esse putans , conventam mercedem solvit (GE-

NES. C. 38. v. 13, et seq.) ; exempla vero Jus non probant.

An actus Jure illicitus sit etiam invalidus ?

§. 528. Quæri hac occasione solet, an actus Jure Naturali, vel Civili etiam, prohibitus sit etiam invalidus? Tres a Clariss. DE MARTINI pro ea dirimenda controversia proponuntur regulæ.

I. Actus simplex illicitus, quatenus vetatur, nunquam jus agenti producit, et eatenus est etiam invalidus. Legem enim actum prohibere, et tamen jus ex eodem tribuere, essent repugnantia (§. 525).

Schol. Ea ipsa, quæ in collisionis statu perpetrantur, et favore necessitatis excusantur, per congruentem satisfactionem, si nullus restitutioni sit locus, emendanda etiam (§. 481).

II. Si actio sit composita, et non propter se, sed tantum propter externam aliquam annexam circumstantiam prohibeatur, ille, qui agit, ex ea actionis parte, quæ permissa est, jus acquirere potest. Nulla enim idonea subest ratio, cur actus, qui dividuus est, in quantum est licitus, suum non sortiatur effectum.

III. Quamvis actus intuitu unius sit illicitus, valere tamen intuitu alterius potest, et quidem duplici modo; vel tam in foro interno, quam in externo; vel in alterutro saltem; prout nimirum et jus, quo hic utitur,

internum sit, vel externum; vel utrumque simul. Dum enim quis jus suum usurpat, legem non habet repugnantem; causaque proinde cessat, ob quam actus robore suo privetur. *Conf. GROT. L. II. C. V. §. 10, et 16.*

Schol. Obligationem internam tantum *mere naturalem*; et externam tantum *mere civilem*; et internam ac simul externam *mixtam* Icti dicere solent. *Conf. HEINEC. Recit. in J. C. §. 769.*

Verus hujusce III. Regulae sensus.

§. 529. Ea tamen locum tantummodo habent in hisce, quae ad naturalem libertatem, et jura permissiva pertinent, quae scilicet, prout bonum publicum, societatisque finis expostulat, Imperantes restringere, certisque regulis, et formulis subjicere possunt. Quamvis enim, in hujusmodi casibus *Civilis Legis mandata Juris Naturae permissionibus* certe quidem *praeferenda*; per ingressum namque in societatem naturalem suam libertatem communi imperio subjecerunt socii, et in nihil se consentire promiserunt, quod Imperanti displiceret; et ex Divino mandato sublimioribus potestatibus obedire omnes tenentur (*Ep. B. PAUL. ad Roman. C. XIII*); attamen, cum multoties poenam tantummodo humanae leges imponant, et nihil de actu decernant, nullum dubium quidem, ejusmodi actum illicitum dici posse Jure Humano, quia ab eo

prohibitus; et licitum Jure Nat., quia ab eo permissus.

Sebol. Quoties praeter poenam actum etiam Lex Civilis rescindat, omnia in eodem statu; quo antea, ponenda; et laesio, si aliqua adsit, ab eo, qui ejus causa, laeso resarcienda.

Si vero poenam tantum imponat, et actum non rescindat, scelus expendere Legis contemptor tenetur, obligationesque insuper naturales ex ejusmodi facto provenientes vi Naturae Legis persolvere; factum enim illicitum in externo foro, in interno vero licitum commisit. Quamvis enim ejusmodi, aliisve factis Civiles Leges non adsint, nec ulla actio, aut civilis obligatio ex eis nascatur, a naturali tamen obligatione neminem laedendi, et laesionem datam reparandi exsolvere quemque non possunt (§. 148).

Si quis ergo ex. gr. pecuniam filiisfamilias mutuum credit; sponsalia cum eis absque parentum consensu contrahat; alicujus mulieris intercessionem pro alio accipiat; cum prodigis; aut minoribus sine auctoritate curatorum, aut tutorum paciscatur; super mercibus prohibitis, vulgo *dè contrabando*, negotietur, cet.; naturalem ex ejusmodi pactis obligationem oriri, et Divinae Voluntatis transgressori, praeter naturales illas hujus vitae poenas (§. 92), etiam poenas vitae futurae ab infinita Justitia imminere (§. 135, et 136) quis in dubiis habeat!!! *Conf.* §. 528. *Regul. II.*

Leges, quae poenam irrogant, et actum contra eas susceptum nullum etiam reddunt, *perfectas* nominare solent ICI; et, quae poenam tantummodo imponunt, nihil de actu decernentes, *minus quam perfectas*; et, quae nullam poenam statuunt, *imperfectas* (ULP. *Fragm. L. I. tit. 1.*). Equidem bonum Reipublicae multoties exigit, ut non exasperentur poenae; sed malo passionis aliquo quoad fortunas, existimationem, aut sensum, in consuetudinem certos peragendi, aut non peragendi actus paulatim inducantur cives.

§. 530. Quoad autem ad illos actus, qui Naturae Lege vel praecipuntur, vel prohibentur, minime quidem prohiberi, vel praecipari, aut aliter praescribi ab ulla humana Lege possunt; est namque immutabile Jus

Naturae (§. 139); et universale tam quoad objectum, quam subjectum (§. 137); et si quid Naturae repugnans Imperantes statuerent, DEI voluntati resisterent; et universum rerum ordinem turbarent (§. 498 *not.*).

Nullum amplius circa Divinas Leges Naturales (et Positivas etiam morales, ac dogmaticas) Imperantibus Civilibus jus est, quam 1) eas rursus promulgare, declarare, et eis species obvenientes applicare, et 2) novis poenis munire: quamvis enim Naturae Leges sint planae, et perspicuae, sufficienter promulgatae, sufficientique sanctione praeditae (§. 133, *et seq.*), quamplurimi tamen sunt in civili societate homines, qui recte ratiocinari nesciunt, et qui, etiamsi naturalia praecepta apprime noscant, in specialibus tamen circumstantiis, et praeceptorum ad eas applicatione passim falluntur; et sunt alii, qui, cum Naturae Lex specialem poenam non definiat, et tanta sit DEI bonitas, ut spatii plus satis ad resipiscentiam indulgeat, eo peccandi consuetudine perveniunt, ut Naturae praecepta parvi omnino doceant. Necessarium itaque in societate, ut cives edoceantur, et ut improborum conatibus obstetur; quamprimum enim homines cognoscant, se impune violare Leges posse, frustraneae eae erunt, nullumque usum, auctoritatemque nullam habebunt.

Corollar. Cum itaque vulgo dicitur, esse actus in interno foro, seu Jure Naturae illicitos, in externo autem, seu Civili Jure licitos, in cujus probationem adducere solent pacta, quorum consensus vi, aut metu fuerit extortus, aut in quibus laesio intervenerit, dummodo non sit enormis, quae licet Jure Naturae omnino robore destituta, et illicita, Civili tamen probantur, et licita judicantur, non accurata dicendi est ratio.

Ejusmodi namque Civilia Statuta, quae probare videntur, quod Jure Nat. illicitum, principium ac rationem sufficientem in collisione habent, quae exceptionem ejusmodi, veluti necessariam, requirit; consequenterque a Jure Civili talia facta probantur, quia jam antea propter collisionem a Naturali approbata exstant (§. 140, et 498). Aliiter enim minime Humano Jure licitum esse poterat, quod Divino Absoluto illicitum.

Pactorum distinctio in expressa, et tacita.

§. 531. Diversis nominibus designare pacta Icti solent, prout nimirum diversa fuerit forma, diversusque modus, quo voluntatem suam declarare, ac in idem consentire patientibus placeat.

Cum *expresse*, verbis scilicet, litteris, nuntio, aliisque similibus signis voluntatem suam pactores declaraverint, *expressa* ea pacta nominant; et *tacita*, cum tacite, seu 1) cum ex eorum factis ejus voluntas desumatur; qui enim in coupona mensae communi adsidet, se partem suam soluturum tacite promittit; vel 2) cum per necessariam consequentiam ex iis, quae expressa sunt, fluat; vel 3) cum ex aliqua justa causa, necessitate scilicet, utilitate, aut aequitate praesumatur (a).

(a) Inducitur iste consensus ex sequentibus regulis, aequitati quam maxime consentaneis: I. Quisque videtur probare id, quod sibi utilitatem affert: II. Qui vult quod antecedit, non debet nolle quod consequitur: III. Nemo cum alterius damno locupletari debet: IV. Nemini officium suum debet esse damnosum: V. Nemini dolus debet prodesse.

Icti Romani pacta, quae in consensu praesumpto principium habent, aut in quae aliquem consensisse Leges fingunt, *quasi contractus* nominant. Vim tamen obligandi a consensu praesumpto, aut ficto provenire nollunt; sed, quia ex maleficio aliquo substantiam non capiunt, a variis causarum figuris, ut aiunt, seu ex determinato quodam facto obligatorio, et Legis dispositione, eorum firmitatem deducunt. *Conf. INSTIT. J. C. Lib. III. tit. 28.*

In pura, et conditionalia.

§. 532. Et cum a paciscentium voluntate, et consensu, vero, libero, ac sufficienter, et reciproce declarato substantiam suam, ac firmitatem pacta recipiant; liberumque omnino sit hominibus, prout necessarium, vel utilius sit eis, pacta sua conficere, dummodo de rebus physice, aut moraliter impossibilibus, aut bonis moribus, Legibusque adversis non paciscantur; planum quidem, in paciscentium arbitrio etiam esse *pure*, an *sub conditione*, an *in diem*, vel *ex die* pacisci velint. Hinc *pactarum* distinctio altera in *pura*, et *conditionalia*.

Conditio quid? et quae ejus species?

§. 533. Dicitur *conditio* cujusvis circumstantiae, seu eventus alicujus incerti adjectio, a cujus existentia actus validitas pendeat.

Distingui solet 1) in *naturalem*, seu quae ex rei natura pacto inest, et subauditur, nisi aliud statuere expressa conventionem paciscentibus placeat, ex. gr. error essentialis, dolus, metus, et praestationis impossibilitas (§. 507, et seq.); et 2) in *arbitrariam*, seu quae paciscentium voluntate adjicitur. Ea autem rursus discerni solet 1) in *casualem*, si a providentia pendeat, ex. gr. si hoc in anno navis ex Asia venerit; 2) in *potestativam*, si viribus nostris physicis, aut moralibus subjective contingens fuerit, ex. gr. si Juris studio operam dederis; et 3) in *mixtam*, si a providentia, et arbitrio nostro simul pendeat, ex. gr. si Maeviam uxorem duxeris.

Ab effectu dicuntur etiam conditiones *suspensivae* aliae, et *resolutivae* aliae, prout scilicet 1) actum imperfectum reddant, in futurumque aliquem incertum rei eventum suspendant, ex. gr., dabo, aut faciam, cum senator fueris, cum uxorem duxeris; aut 2) actum perfectum resolvant, ex. gr. dabo, aut faciam, dum senator non fueris, dum uxorem non duxeris.

Schol. Condicio, quae impossibilis absolute fuerit, vera non est conditio; non enim incertum ullum exprimit eventum, sed quem nunquam extitutum certissimum est, proindeque nec pactum suspendit, nec resolvit. Cum adjiciatur, vel joculari paciscentes, vel insanire credendum.

Conditionis natura, et effectus.

§. 534. Cum nemo magis obligetur, quam quatenus se velle declaraverit (§. 505); si conditio deficiat, etiam pactum corruet. Est ergo conditio species pacti, quod servare oportet, nisi sit impossibilis, et ideo vel naturæ, vel legi repugnet (§. 521). Quoties itaque addatur ex. gr. dies, ex qua præstanda sit res promissa, eam nequit exigere acceptans, antequam dies apposita venerit. Ubi vero pura, id est, sine die, et conditione facta fuerit promissio, illam implere tenetur promittens, quamprimum id facere possit, et stipulator præstationem postulât; nec tamen hic statim *cum sacco adire debet*. *Conf. L. 105. D. de solut., et L. 33. D. de usur.*

Alia pactorum distinctio in unilateralia, et bilateralia; sive in benefica, et onerosa.

§. 535. Ex eadem ratione, quod scilicet paciscentium voluntas, et consensus pro generali pactorum lege debeat haberi, dummodo nihil Legibus adversum dare, facereve promittant (§. 532), sua sponte sequitur, ut in paciscentium arbitrio sit etiam, vel unum tantum se obligare alteri, vel ambos sibi mutuo aliquid promittere.

Ejusmodi pacta ratione se obligandi formæ dici solent 1) *μνόςπλευρα*, aut *unilateralia*;

et 2) *διπλωρα*, seu *bilateralia*; ab effectu autem, *benefica*, aut *gratuita*; et *onerosa*, aut *permutatoria*, prout unus scilicet res, aut operas alteri pacto gratis promittat, quin aliquid ab eodem accipere velit; vel uterque pactor ad aliquid praestandum se obliget.

Omnis ergo contractus *beneficus* est *unilateralis*; et *onerosus* contra *bilateralis* semper.

Schol. Haec est naturalis *pactorum* seu *contractuum* distinctio. Discrimen, quod adinvenerunt Icti Romani 1) inter *pacta*, et *contractus*; 2) inter *pacta nuda*; et *non nuda* seu *vestita*; *legitima*; *praetoria*; *adjecta in continenti*, vel *ex intervallo*; 3) interque *contractus nominatos*, et *innominatos*; *bonae fidei*; *stricti juris*; *reales*; *verbalis*; *litterales*, et *consensuales*, nullo omnino usu, aut utilitate sunt, nec eorum dictae *subtilitates* in Naturae Jure praesidium habere possunt. Omnia pacta, seu contractus, deliberato animo inita eandem obligandi vim habent, quam Romanae Leges stipulationibus, et contractibus suis, quantumque solemnitate perfectis, attribuerunt. Paciscentium voluntas legem, et nomen dat contractibus, et suprema eorum lex est; dummodo bonis moribus, et scriptis Legibus societatis, in qua vivimus, jura permissiva restringentibus, vel ea exercendi modum determinantibus, pactiones nostrae non adversentur.

Vid. GROTI. *de Jur. bel. et pac.* L. II. C. II; PUFFENDORF. *de J. N. et G.* L. III. C. 4—9; et *de Off. H. et C.* L. I. C. 9; HEINEC. *de J. N. et G.* L. I. C. 14; WOLF. *de J. N. et G. Part. III.* C. I, et 4; DE FELICE *Leçons de Droit de la N. et des G.* Lec. 22.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS, ET JURIBUS, QUAE
EX PACTIS NASCUNTUR,

Pacta sunt absolute necessaria.

§. 536. **C**UM introducta rerum proprietate, veluti necessario quodammodo, quidam quamplurimis rebus abundant, et quidam quamplurimis indigeant; consequenterque commode vivere minime homines possint, nisi ea officia, quae supra humanitatis et beneficentiae diximus (Cap. XII.), sibi invicem praestent; ita tamen jam pridem mutuis inter homines refrixerit amor, ut de eorum humanitate ac beneficentia parum, immo potius nihil fortasse sperare possimus (a); et imperfecta sint ea officia, eisque invitis extorqueri nequeant (§. 345); illud quidem est consequens, nullam aliam ea certo consequendi rationem esse, quam alterius consensum de illo dando, faciendove, quod alias vel plane non, vel tantum ex aequitatis, et beneficentiae Lege debetur.

(a) Ea de causa *Pythagoras*, atque *Plato*, et ex Recentioribus *Thomas Morus*, et *Thomas Campanella* pro commu-

nione bonorum rursus introducenda, aut agro aequaliter inter familias dividendo propugnarunt. Equidem si tanta esset generis humani felicitas, ut omnes peraeque virtutis amore flagrarent, sane nec dominio, nec pactis indigeremus. Non ob aliam tamen certe causam primaevi homines negativam communionem deseruerunt, quam quod jam eorum plurimi, seu exiguo ingenio praediti, seu acquiritatis, et justitiae immemores, suis opinionibus, et cupiditatibus tantummodo indulgerent. Non immerito Poetae, cum aureum depingunt saeculum, et quicumque primaevam communionem aliquandiu observatam commemorant, illius aevi homines eximia virtute praeditos repraesentant. Quanta vero jurgia ex communiione emanarent, jam, et veluti ex instituto, demonstravit ARISTOTELES *Polit. II. 2. Conf. HEINEC. de J. N. et G. L. I. Cap. 9. §. 237, et 238. not., et Cap. X. §. 269. not.; DE FELICE Leg. de Dr. N. et des G. Leg. 25. in fin.*

LYCURGUS Spartaë, quia bona immobilia in paucas familias immigraverant, et reliquae omnes magna penuria premebantur, agrum ex aequo inter familias partitus est. SOLOM vero ejusmodi Institutum Athenis adoptare non fuit ausus; sed tamen, quo pauperes obaeratos sublevaret, 1) veteres creditorum tabulas aboluit, et alias leviores conscribi jussit; et 2) nummum plusquam quarta parte pretii numerarii adauxit. Ea vero remedia, multiplicantur enim familiae, momentanea sunt, et non ultra annum duratura, et periculosa, ut jam animadvertit *Cic. de Off. II. 18.*

Apud HEBRAEOS Lex erat, qua 1) praedia in perpetuum alienare prohibitum; 2) qua sacerdotibus, ne bona immobilia religionis praetextu paulatim occuparent, fructuum tantummodo decimae in eorum sustentationem concedebantur; et 3) qua anno quinquagesimo, Jubilaei, et Remissionis denominato, pristino domino reddebantur omnia, et unusquisque ad suam pristinam familiam revertebat. *Conf. LEVIT. C. XXV, et DEUTER. C. XV, et XVIII.*

Hebraeorum Legibus, bonitate quidem relativa praeditis, quam maxime similes erant agrariae Romanorum Leges, quibus Patricios plus quam quingenta jugera occupare; et fundos sacrari prohibitum.

Pactis igitur nostrae indigentiae subvenimus, idque cum aliis paciscentes agimus,

ut humanitatis, et beneficentiae nobis officia praestent, quae alias a plerisque frustra speramus. Et cum nullum aliud supersit medium obligationem nosmet conservandi adimplendi, et res, quibus indigemus, et alter jure possidet, acquirendi; evidens quidem, necessaria omnino esse pacta, ut obligatio alias imperfecta, et minus segura, perfecta, firmaque fiat, atque segura. Sine pactis commode vivere minime homines possunt, nec societas civilis, ipsamque genus humanum stare; nec illi quidem, qui maleficio, et scelere pascuntur, sine ea justitiae particula, id est, sine pactis, vivere possent. CICERO. *de Off.* II. II.

Religiosissime servanda pacta.

§. 537. Qui cum alio paciscitur, verbis, aut aliis usitatis signis mentem suam de dando, faciendove aliquo declarat, eique dat fidem promissa solvendi. Cum ergo verbis ita utendum sit, ut alter non decipiatur (§. 405); manifestum quidem est, omnem a paciscentibus abesse oportere fraudem, omneque mendacium (§. 404); adeoque promissis, pactisque deliberato animo initis standum, nihilque fide data debere esse sanctius, neque perfidia, quae est dolosa fidei datae violatio, detestabilius.

Equidem cum officiorum omnium, quae aliis debemus, communis veluti fons, et scaturigo sit mutuus amor (§. 327), vi cujus

suum cuique tribuere, et idem, quod nobis fieri volumus, aliis facere tenemur (§. 325); nemoque sit mortalium, qui pactis, ac promissis ab alio decipi velit; illud quidem sua sponte fuit, sese pactis non illudere patientes teneri, fideique datae praetextu, subdolisque verbis alterum non laedere, et necessitate laborantem inani promisso deludere, velutique deridere.

Perfecta est pactorum obligatio.

§. 538. Promittens, qui pactum non servat, denegat stipulatori id praestare, quod in illius jam translatum est (§. 502), cumque proinde laedit (§. 161, et 357); cum autem jus cogendi cuilibet laeso competat (§. 165), quod perfectum dicimus; evidens perfecte obligari promittentem, ad datamque fidem implendam vi ab alio cogi posse (§. 166, et 359).

Quomodo adimpleatur?

§. 539. Promittuntur vel 1) facta tam commissiva, quam omissiva; vel 2) res corporales; vel 3) alia rerum jura (§. 522). Promissum itaque adimpletur, 1) si promittens, quantum in se est, faciat, aut omittat; 2) si rem tradat, hoc est possessionem ejus physicam transferat; aut 3) si stipulatorem juris, vel rei usum habere patiatur (§. 435).

An sine traditione transferatur dominium ?

§. 540. Quæri solet, an ad transferendum dominium necessaria omnino sit rei traditio? Equidem, si promittatur res individua, ac *immediate singularis*, jus, quod in illam promittens habet, in stipulantem per acceptationem (§. 502) transit; consequenterque statim etiam dominium, si is, qui promittit, sit dominus, utpote res incorporalis, et quæ de loco in locum mutari, aut de manu in manum tradi nequit, in acceptantem derivatur, et traditione ad consequendam solam possessionem tantummodo opus est. Repugnans enim res esset rem aliquam promittere, et in alterum transferre velle; illum tamen nullum in ea jus habere, aut ea uti nolle. Competit itaque stipulatori ante eam jus *rei certæ promissæ inhaerens*, sive *jus reale*, ex quo illam a quocumque juste vindicaret.

Schol. Jure Romano (*L. 20. C. de pactis*) omnino requiritur, ut ipsa res, ejusque possessio in acceptantem transferatur, nullumque jus in ea ante traditionem acceptantem exercere permittitur. Jure merito quidem in civili statu majoris certitudinis gratia traditio requiritur; in interno foro tamen, seu Naturæ Lege, minime locum habent Icturum subtilitates; *nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi*, ut fatetur ipse JUST. §. 40. *INST. de rer. div. et acq. rar. dom.*

§. 541. Non ita tamen, si res promissa fuerit incerta, aut *mediate tantum singularis*,

aut quantitas, veluti equos, centum aurei; pendet enim adhuc a promittentis arbitrio determinare, quam rem in individuo dare velit. Stipulator itaque dominium, et jus reale non acquirit ante traditionem saltem *brevi manu*, vel *longa manu*, vel *symbolice factam* (a), aut aliam sufficientem rei determinationem; sed habet solum *jus personale*, seu *jus ad rem*, ut promittens rem promissam certam faciat.

Fac vero aliquod ens universale promitti, veluti si quis protectionem, assistentiam, vinum, oleum, aut quosvis sui praedii fructus alteri indistincte promittat. Inutilis sane erit promissio, quae etiam re minima adimpleri posset (b). Imperfectam obligationem tantum violaret, qui ejusmodi promissum non adimpleret; nihil enim de re alterius auferet.

(a) *Traditio* dicitur actus, quo dominus, qui jus, et animum alienandi habet, rem corporalem ex justa causa, titulo scilicet ad dominium transferendum idoneo, in accipientem transfert. Tradi possunt *res corporales* 1) *vere*, datione scilicet rei mobilis e manu in manum, et immobilis alterius in eam inductione; vel 2) *fictae*, nimirum a) *symbolice*, traditione signi alicujus loco rei tradendae, ex. gr. domus clavium, vel praedii arbusculae alicujus; aut b) *longa manu*, rem demonstrando; aut c) *brevi manu*, verbis declarando rem traditam nos velle, cum aliquis eam jam possideat, ex. gr. mutuo, aut commodato. Quoad *incorporales* autem, jura scilicet, cum ea tradi nequeant, *quasi tradi* dicuntur (§. 435 not. b), patientia scilicet concedentis, et acceptantis exercitio.

Nihil autem refert, sive praesens ipse rei dominus alicui rem suam tradat, sive absens, et ejus voluntate alius, cui ejus rei possessio sit permessa (§. 503 *Schol.*, et 531 not. a). *Conf.* INSTIT. J. C. L. II. tit. 1. §. 40—45.

(b) Ejusmodi promissiones vocantur solent *pollicitationes*, id est, promissiones sine jure acceptandi factae, seu sine animo se obligandi, et consequenter quae pro meris dictis, aut asseverationibus habendae. Jure Romano (D. Lib. L. tit. 12.) *pollicitationes* vocantur promissiones ab aliquo Reipublicae, aut Civitati, ex aliqua justa causa factae, ex. gr. moenia suis sumptibus reficiendi, et similia.

Ex hisce promissis, sicut et ex votis DEO factis, argumentum desumunt aliqui ad asserendum promissiones esse, quae sine acceptatione valent. Promissionem tamen Reipublicae factam in antecessum pro ea accepit Legislator, dum lege cavet pollicitationem esse adimplendam; et vota nostra DEUM accipere aperte ipse docet: *Cum votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus DEUS tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: DEUTERON. C. XXIII. v. 21.*

Jura ex pactis provenientia.

§. 542. Ex hisce manifestum, quae generatim (a) paciscentium jura sint. Quoniam per pactum aliquid in res suam acceptantis transfertur (§. 502), iste generatim jus habet non patiendi, ut ab aliis in jure acceptatione quaesito turbetur (§. 467) (b); speciatim vero cogendi promissorem, si neque rem tradat, neque de ea disponere sinat (§. 539), ut id, quod pacto conventum, adimpleat; atque posterius hoc jus *personale* appellatur, quia *personae competit tantum in personam*, non in omnes, ut haec dare, vel facere teneatur (§. 540).

(a) Diximus *generatim*, quia unicuique pacto, prout ejus natura, aut forma fuerit, qua illud conficere factoribus placuerit, jura, et obligationes speciales inhaerent, ut suo loco manifestabimus.

(6) Sunt enim *correlata* jus, et obligatio. Si ex. gr. mihi jus est eundi, et ambulandi per alterius fundum; alteri certo obligatio est id patiendi.

Discrimen Juris in re a Jure ad rem.

§: 543. In eo autem a jure reali (§. 467) personale differt, 1) quia ubi jus in re, ipsa res nobis devincta est; et 2) eam a quocumque possessore repetere possumus; et 3) principium habet in proprietate, et dominio: ubi autem jus ad rem, 1) persona tantum nobis obligatur; 2) ab eo solummodo, quocum nobis negotium, repetere rem possumus; 3) omniaque nostra jura ab alterius obligatione proveniunt, seu ab ejus facto aliquo licito, contractu scilicet (§. 502), aut quasi contractu (§. 531 not.); vel illicito, delicto nimirum, aut quasi delicto (§. 359).

Vid. GROTIJ. *de Jur. bel. et pac.* L. II. C. 6. §. 1, et 2, et C. 11; PUFFEND. *de J. N. et G. L.* III. C. 4, et L. IV. C. 9; et *de Off. H. et C.* L. I. C. 9; HEIN. *de J. N. et G. L.* I. C. 10. §. 275, et seq., et C. 14; WOLF. *de J. N. et G.* Part. III. C. 1, et 6; DE FELICE *Leçons de D. N. et des G.* Les. 22, et 27.

CAPUT VI.

DE PACTIS BENEFICIIS SPECIATIM.

§. 544. **E**X hactenus dictis satis manifestum fit, derivativum, seu res alterius acquirendi, modum in *pactis* omnino esse positum; scilicet 1) in *petitione* indigentis; 2) in *consensu* rei domini, eam petenti concedere declarantis (§. 501); 3) in *acceptatione* promissionis, ab eo qui rem petit quovis modo declarata (§. 503, et 504); et 4), ut possessionem etiam rei promissae petitor acquirat, in *traditione* a rei domino vere, fictive facta (§. 540, et 541 not.).

Schol. Romani Icti, quia rem promissam necessariis usibus accommodare nequeat acceptator, antequam eam recipiat, et possideat, derivativum acquirendi *modum* in *traditione* collocant, et *consensum*, ac promissionem dandi, faciendive petita, pro mero *titulo* habent; proutque fuerit modus consentiendi, et pacti objectum (causa scilicet, et nomen), ita se explicare solent; ex. gr. titulo gratuito, titulo oneroso; titulo donationis, mutui; titulo emptionis, locationis, cet. *Conf.* §. 502, 539, et 540.

§. 545. Pluribus modis pacta, conventionesque suas perficere homines possunt (§. 471), *pure* scilicet, vel *sub conditione* aliqua (§. 532); et *gratis*; dando, faciendove petita, nihil a petente suscipere volentes; vel *non gratis*, ali-

quid ab altero accipientes etiam (§. 535).
De gratuitis itaque sermonem instituamus.

Pactorum, quae benefica dicuntur, objectum.

§. 546. Quidquid datur, vel est 1) *res ipsa*; vel 2) *ejus usus*; vel 3) *opera*. Si *res ipsa* gratis confertur, corporalis, aut incorporalis (§. 426); adest *donatio* stricte dicta. Si datur *rei usus* gratis, et res est *fungibilis*, quae nimirum constat numero, pondere, mensura, quaeque vice alterius rei fungit ejusdem generis, ut una substitui pro altera possit, ac tantundem sit idem, nascitur *mutuum*; si vero *non fungibilis*, quae scilicet usu non consumitur, veluti equus, habitatio, et ad certum definitumque tempus conceditur, fit *commodatum*; et si ad libitum concedentis *precarium*. Denique si *opera* tantum alteri gratis confertur, et haec opera in re aliena custodienda consistit, nascitur *depositum*; si autem in negotio alterius sibi commisso gratis gerendo, *mandatum*.

Ab his tamen contractibus pacta de donando, de mutuo dando, de commodando, de deponendo, et de mandato suscipiendo distinguui debent.

Praecipuae horum pactorum leges.

§. 547. Sunt autem generales quaedam regulae, quibus omnes de horum pactorum juribus, et obligationibus incidentes contro-

versiae generatim, faciliterque dirimi possunt. Eas ad quatuor, veluti praecipuas, reduxit Clar. THOMASIVS (a). I. In hisce pactis non spectatur aequalitas, quemadmodum in onerosis (§. 535): II. Beneficium a principio promittere, et praestare liberae voluntatis est; postea tamen fit necessitatis, ad illudque implendum jure cogi promissor potest (§. 542). III. Beneficium nemini debet esse damnosum, et tam danti, quam accipienti. In dante igitur exceptus semper esse debet casus necessitatis, et propriae indigentiae, de qua tempore promissi cogitatum non fuit; et in accipiente, omne damnum, dolo culpave dantis passum, et impensae, ad quas ferendas ex conventionis natura minime obligatus erat (§. 359): IV. Beneficia non dantur invitis; ad amicitiam namque, et gratum animum exhibendum nemo cogi potest (§. 342).

(a) In Notis ad tit. INSTIT. *Quibus mod. re contrab. obligatio.*

De donatione rei singularis, tam inter vivos, quam mortis causa facta.

§. 548. Dicitur *donatio*, seu quaelibet liberalitas nullo jure cogente facta, de re in alterum gratis transferenda voluntaria conventio.

Duobus modis considerari donatio solet, scilicet, vel 1) *inter vivos*, vel 2) *mortis causa*.

Illa dicitur, quae ea fit lege, ut res donata statim donatarii fiat, sive donans sine ullo respectu ad mortem, seu propter suspicionem mortis, seu instante morte hanc suam liberalitatem exerceat: haec, quae ea lege fit, ut non nisi morte donantis ante donatarium perfecta sit; sive moribundus, sive sanus, et incolumis pactum conficiat.

§. 549. Donationis eae sunt regulae: I. Cum donans vel rem, vel jus aliquod alienat (§. 471), solus ille donare poterit, qui fuerit dominus (§. 467, et 517): II. Cum pacta semel inita servanda (§. 537), tradi res donata debet (§. 539), nec amplius jus revocandi donatario competit (§. 505): III. Cum donatio sit verum pactum, tam pure, quam sub conditione fieri potest (§. 532), et plus acquirere non potest donatarius, quam donans se donare velle declaraverit (§. 534): IV. Cum donatio sit vera liberalitas, non ad beneficos, sed ad permutatorios contractus donatio reciproca pertinet.

An aliquando revocari donatio possit:

§. 550. Quaeri solet, an semel facta donatio revocari quandoque liceat? Illud in Europaeorum Nationum Legum Codicibus invenitur cautum (a), 1) ut nemo ultra certam summam donationes facere possit, quin prius insinuatio judicialis praecedat; 2) ut pro inofficiosis illae habeantur, quarum causa ipsa

legitima portione (b) filii destituantur; 3) et ut toties revocari rescindique possint, quoties a) donatori superveniant liberi (c), vel b) adeo ingratus sit donatarius, ut non modo benefactori suo indigenti non beneficiat, sed et insidias ejus vitae struat, impiasve ei manus inferat, aut quovis modo laedat.

Rationi autem quam maxime congruum hoc esse, consequenterque a Naturae Lege probari, ut 1) homines in civili societate inconsulte bona sua non jacent, et ita in paupertatem redigantur, ut, unde sustentari possint, non habeant (§. 549, III.); 2) ut filiorum, et publicum matrimoniorum bonum privato parasiti alicujus praeferatur; et 3) ut in civili societate minime illorum hominum genus protegatur, qui nec in se collatis beneficiis commoveri solent (§. 344), in dubium quis poterit revocare?

(a) Cum hypothetici civilis status natura exigit, ut in ea jura hominum permissiva certis regulis, formulis, et limitibus subjiciantur, ac moderentur (§. 498 not.); nihilque aliud sit Jus Naturae Hypotheticum, quam ipsummet Jus Civile Ratione explicatum, vel ipsum Jus Naturae hypothetico civili status accommodatum; primum quidem ac necessarium officium Juris Naturae studio operam dantium erit, Civilia Instituta, et humanas Leges insimul ac pariter consulere, earumque bonitatem absolutam ac relativam attente considerare; *incipiendo* scilicet a Romanis Legibus (eis namque Nationes Europaeae omnes utuntur, et earum usu ab illa agrestium saeculorum barbarie paulatim cessatum, quam Boreales Populi, Romanum Imperium invadentes, omnis humanitatis, jurium, et reciprocarum utilitatum expertes, ferarumque ritu viventes, invexerant); et *cessando* tandem in examine, cognitione, comprehensio-

neque suae Patriae Legum. Videsis itaque in primis HEIN. Recitat. in *Jur. Civ. Instit.* L. II. tit. 7, dein Clariss. MELLIUM, Academiae nostrae quondam ornamentum maximum, et Juris Patrii Praeceptorem desideratissimum, in *Instit. Jur. Lusit.* L. IV. tit. 3. §. 3.

(b) *Portio legitima* dicitur determinata quaedam hereditatis pars certis personis Legum praescripto necessario relinquenda. Ex *Lege Decemvirali* liberum erat patribusfamilias, prout sibi libuerit, de re sua disponere; adeo ut ipsos filios praeterire, et extraneos eligere, eis facultas esset. Postea vero Legibus cautum, ut 1) liberis; 2) parentibus; 3) fratribus, sororibusque germanis, et consanguineis, portio quaedam hereditatis data esset, quoties turpis eis persona praefereatur. JUSTIN. *Novel.* XVIII. c. 1. sancit, ut, si quatuor, aut pauciores essent personae, portio legitima esset *triens*; si plures, *semis*. Pro diversis tamen Populorum moribus, et legibus varium hoc esse solet.

(c) Equidem obligatione perfecta alimenta liberis suis debere parentes, ex DEI fine satis superque colligitur, dum liberos imbecilles, et sui ipsius incuriosos creavit, et parentibus tam tenerum in eos amorem inseruit. Non infimo quoque est argumento naturalis ille animalium omnium instinctus, pullos suos eousque alentium, donec ipsi sibi offulas quaerere possint. *Conf.* PUFFEND. L. IV. C. 11. §. 3, et seq.

De donatione universorum bonorum mortis causa facta.

§. 551. Duobus modis universitas rerum nostrarum, tam corporalium, quam incorporalium (§. 426), post mortem nostram in alterum transferri potest; 1) *promissione* scilicet, seu declaratione expressa, qua sub duplici conditione a) *mortis*, et b) *non revocatae voluntatis* bonorum nostrarum heredem institimus; vel 2) sine promissione, declarationeve ulla expressa, sed ex *fine intentioneque*

nostra praesumpta. Prior modus dicitur successio testamentaria ; posterior successio ab intestato.

Quid testamentum, et quid pactum successorium ?

§. 552. Quoties itaque nuda tantummodo sit declaratio nostra, *testamentum* ea dicitur ; et, quoties acceptatio accesserit, *pactum successorium*, idque vel irrevocabile, vel revocabile, prout vel una, vel utraque conditio (§. 551, 1) fuerit adjecta.

§. 553. Est ergo testamentum *Voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam* (de suo videlicet patrimonio, omnique jure proprio) *feri vult ; pactum autem successorium Conventio, qua 1) vel homines morientis ipsam possessionem cum dominio rerum suarum in alios transferunt (a) ; vel 2) sani illis jus succedendi in casum mortis attribuunt.*

Ex quo conficitur eum, qui pacisci potest (§. 517), posse etiam testari, et pacta successoria inire. *Conf. HEINEC. in Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 12, et Clariss. MELLIIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5. §. 20, et seq.*

(a) Plura horum pactorum exempla refert PUFFEND. de *J. N. et G. L. IV. C. 10. §. 5 ; et HEIN. de J. N. et G. L. I. C. 11, §. 291, not.*

Schol. Universitas rerum tantum corporalium, quam incorporalium, seu *honorum*, ipso sensu juridico, ab aliquo adquirentium est ejus *patrimonium* ; patrimonium a defuncto re-

lictum dicitur *hereditas*; jus proprium hereditatem in *resuum* recipiendi est *ius hereditarium*; et qui eo gaudet, *heres* nominatur.

*Testamentariae dispositionis principium,
ac fundamentum.*

§. 554. Quum cuivis de rerum suarum dominio disponere liceat, illudque in alios pro lubitu transferre vel in totum, vel in partem (§. 471); eaque translatio fieri possit quibuscumque conditionibus (§. 532); evidens sane, posse quemque res suas tam in praesens, quam in futurum; tam pure, quam conditionate, et speciatim sub conditione vel mortis, vel simul non revocatae voluntatis, alicui polliceri. *Conf. HEIN. in Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 14, et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. Iffl. tit. 5. §. 32, et seq.*

De effectu pacti successorii.

§. 555. Cum cuilibet liceat de substantia sua sive *a*) in praesens, sive *b*) in futurum mortis eventum pacisci (§. 554), et *c*) paciscentium voluntas pactorum sit lex (§. 535 *Schol.*); illud quidem manifestum, alterum paciscentem, posito pacto successorio irrevocabili, in priori casu (§. 553) validum, ac irrevocabile jus nancisci, alteriusque res promissas, et acceptatas in *resuum* statim recipere (§. 502); et in posteriori jus perfectum in eas acquirere (§. 538) sub conditione tamen in diem, vel ex die suspensum (§.

534). *Conf.* Clariss. MELLIIUM *Instit. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5. §. 32, et seq.*

Et testamenti.

§. 556. Quod si nuda sit promissio, sive *testamentum*; jus voluntatem declaratam acceptandi heredi competit, quod non commune, sed ipsius proprium est. Jus itaque hereditarium, quod est jus proprium hereditatem in *res suam* recipiendi a die mortis, et conditione non factae revocationis suspensum, ei nequit denegari.

Variae disponendi formae.

§. 557. Cum ergo ex illimitato domini jure testandi facultas descendat; nulum sane dubium, ei etiam, qui testari, atque heredem facere potest, secundum, aut tertium heredem nominare licere in casu deficientis primi, hoc est, *substituere*; dein ipsum heredem rogare, ut totam hereditatem, vel ejus partem restituat tertio, id est, *fidei-committere*; porro aliquid ex eo, quod universum heredis foret, in tertii cujusdam utilitatem delibare, sive alicui *legare*. *Conf.* HEINEC. *ad Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 10, 15, 16, 20, 23, et 24*, et Clariss. MELLIIUM *Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5. §. 55 et tit. 7.*

Solemnia testamenti ex Jure Naturali.

§. 558. Requisite testamenti ejus *solemnia* vocantur, et quidem *interna*, si ad ejusdem essentiam; *externa* vero, si ad probationem spectent.

Sufficiens igitur declaratio voluntatis vel viva voce, vel scripto facta internam solemnitatem constituit; solemnitas autem externa vel in scriptura testatoris satis recognita, et a suspicionem vis ac metus libera, vel in depositione testium, qui de voluntate defuncti idoneam faciunt fidem, reperitur (a). Deficientibus itaque tam internis, quam externis testamenti solemnibus, heredes ab intestato succedunt. *Conf. HEIN. ad Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 10, et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5. §. II, 13, 19, et 28.*

(a) Si qua jura permissiva sunt, quae multis gravibusque de causis a Civilibus Legibus moderari, et certis solemnitatibus subjici debeant, certe quidem sunt pacta omnia, testamentaque praesertim; nulli enim rei magis inhiant homines, quam hereditati, adeoque etiam nihil pluribus fraudibus, et nequitis obnoxium est, quam testamentum. Ut ergo istis malis artibus obex poneretur, tot solemnitates, tot testes, tot ritus constituerunt Civiles Leges, ut ita testamentum fingere, falsare, corrumpere, non admodum facile fuisset.

Non modo igitur discendum, quod circa ea Ratio dicat, sed discendum pariter, quod a Civilibus Legibus limitatum, additumve invenitur; quod enim ab hominibus inventa, stabilitaque sint, non ideo in Naturae Legibus principium non habere dicendum (§. 497); vel naturalia praecepta esse desinere, quod hypothetico civili statui sint

accomodata (§. 498). Nullus itaque miretur, quod Legum Naturae praecepta Civilibus Legibus firmemus, et earum, et Ictorum lectionem Juris Naturae studio operam dantibus adeo, et crebro commendemus,

De exheredatione.

§. 559. Posita igitur est omnis testamenti vis in testatoris voluntate, seu scriptis, seu verbis, *legitime* declarata; unde testamentorum distinctio in scripta, et nuncupativa. Ut vero legitima dicatur, necessarium omnino 1) quoad testatorem *a*) mentis integritas, *b*) plena libertas, et *c*) in hypothetico civili statu capacitas civilis; et 2) quoad testandi modum *a*) heredis institutio, et *b*) in testamento parentis liberorum, et in testamento liberi parentum expressa jure hereditario privatio, seu exhereditio.

Cum enim has personas alere, ac maxime juvare obligatione perfecta teneamur (§. 550 *not. c.*), earumque praeteritio naturali amoris repugnet, et non nisi propter collisionem majoris cujusdam amoris adventitii locum habere possit; evidens, necessariam omnino esse earum expressam mentionem (*a*). Aliter enim consilii ac rationis expertem non fuisse testatorem merito praesumendum, dum testamentum ordinavit cum iniqua eorum exclusione, quos pietatis officia non negligere jubent. *Conf. HEINEC. in Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 13, 14, et 18; et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III, tit. 5. §. 38, et seq:*

(a) Distinctionem illam liberorum, quam facere Icti solent in suos, et emancipatos; in legitimos, et illegitimos; in naturales, et adoptivos; in filios, et filias; in primi, et ulteriorum gradus liberos, ac denique in natos, et postumos, Natura non agnoscit.

Hereditas est res jacens.

§. 560. Mortuo testatore ipsa bona hereditaria nullius sunt propria. Quum tamen heres institutus jus præcipuum, ac proprium habeat illa in *res suam* accipiendi (§. 556), pertinent bona ad *res jacentes* (§. 450), quas occupare reliquis non licet; siquidem heredem in juris singularis, ac proprii exercitio turbarent (§. 472).

Quomodo acceptetur haereditas?

§. 561. Jus hereditarium est jus proprium bona defuncti in *res suam* recipiendi (§. 552 Schol.). Hanc igitur voluntatem qui declarat verbis, dicitur *hereditatem adire*; qui factis, *se pro herede gerere*. Non ante igitur acquiritur hereditas, utpotè *res jacens* (§. 560), quam ubi aditio, vel pro herede gestio intervenerit. Etsi vero tunc heres fiat hereditatis dominus, ejus tamen possessionem non nisi actuali adprehensione nanciscitur.

Quod si vero heredes sint filii, cum vivente patre quodammodo rerum omnium veluti domini considerentur, et sibi ipsis succedant, hereditatem, vel saltem *legitimam*, ipso jure acquirunt, et *hereditati se immi-*

scere dicuntur. Si autem furiosi, mentecapti, infantesve sint, cum voluntatem suam declarare nequeant, nihil impedit, quod per curatores, vel parentes hereditatem adeant. *Conf. HEIN. Inst. Jur. Civ. L. II. tit. 19; et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 6.*

Heredum jura, et obligationes.

§. 562. Heres succedit in omnia jura et obligationes transmissibiles defuncti, quae scilicet non sunt mere personales (§. 553 *et Schol.*). Sed quia is obligationes contrahit, quatenus est hereditatis dominus, ultra hereditarias vires *naturaliter* non tenetur, nec legatis magis, quam fuit honoratus, onerari potest. Immo heredi etiam liberum erit, vel totam acquirere hereditatem, vel solum partem; per se, vel per procuratorem, pure, vel sub conditione *si hereditas solvendo sit* (a), vel quavis alia; nisi aliud a testatore, aut a Legibus fuerit stabilitum. *Conf. Clariss. HEIN. et MELLIUM in loc. cit.*

(a) Rigor ille Juris Romani, quo heres in omnes defuncti obligationes succedebat, in illa fictione nitebatur, quod heres cum defuncto pro una persona haberetur. Cum vero ejusmodi fictionem Jus Naturae ignoret, nulla sufficiens excogitari ratio potest, cur ultra hereditatis vires heres teneatur.

Quomodo hereditas amittatur?

§. 563. Quemadmodum hereditatem adire, ita eandem *omittere*, seu *repudiare* heres potest; siquidem cuique liberum est juri suo permissivo renuntiare (a). Quod si quis eam nec repudiare, nec tamen adire velit; poterit proxime successurus primi heredis voluntatem exquirere; et si nulla detur sufficiens ratio protractae aditionis, ipse vi naturalis substitutionis hereditatem adire; idque eodem jure, quo officia innoxiae utilitatis negativa postulantur (§. 351). *Conf.* Clariss. HEIN. et MELLIUM *citat. locis.*

(a) Icti Romani heredes quosdam *necessarios*, alios *suos et necessarios*, alios *voluntarios et extraneos* dixerunt; existimabant enim testatorem Legem ferre posse *suis*, id est liberis, et servis, quibus veluti in obsequio relicta erat gloria. Ejusmodi tamen heredum differentiam, et obligationem hereditatem non deserendi Jus Naturae ignorat.

De infirmatione testamentorum.

§. 564. Infirmatur autem *naturaliter* testamentum variis de causis: I. si desit *solemnitas* vel interna, vel II. externa (§. 558); III. si vivus testator mutaverit voluntatem (§. 554); IV. si portio lege perfecte debita cuidam non sit relicta (§. 550 *not. b*, et 559); V. si testatoris status immutetur; denique VI. si heres hereditatem repudiet (§. 563). Juris civilis Auctores primum testamentum dicunt *nullum*, secundum *injustum*, tertium *ruptum*,

quartum *inafficiosum*, quintum *irritum*, sextum *destitutum*. *Conf.* HEIN. in *Instit. Jur. Civ. L. II. tit. 17*; et CLARISS. MELLIUM *Instit. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5. §. 46*; et *seq.*

De successione ab intestato.

§. 565. Sequitur, ut de altero universa bona nostra in alterum mortis causa transferendi modo verba faciamus, qui locum habet, quoties nulla expressa dispositio defuncti de suo patrimonio exstat, et *successio ab intestato* dicitur.

Hujus successionis principium, ac fundamentum.

§. 566. Principium, ac fundamentum habet iste acquirendi modus in ipsa defuncti voluntate ex certis, evidentibusque signis deducta (§. 551). Sunt autem ea finis, ac intentio defuncti in rebus tanta cura ac sollicitudine parandis, conservandis, atque tuendis; intimo namque uniuscujusque sensu constat; hoc adeo studiose ac diligenter homines curare, ut non modo nequid sibi ad vitam commode traducendam desit, sed et ut suis bene sit, et se mortuis, et nulla re amplius indigentibus, pro derelictis sua bona non habeantur, et cuivis occupanti cedant (a), sed illis prosint, quos amant, quorumque felicitate delectantur, et quos etiam per naturam maxime amare debent, et juvare tenentur (§. 341, et 550 not. c).

(a) Mirum, quod aliquibus subiisset in mentem, defunctorum bona pro adespotis, et pro derelictis habenda. Aut enim ea Magistratus vindicaret, aut primo occupanti cedere deberent. Si prius nihil amplius, procedente tempore, in privatorum patrimonio esset; sin postérius, innumerae pro eorum occupatione nascerentur turbae, vel, si cum *Hobbesio* loqui liceret, bellum omnium in omnes. Equidem experientia docet, nulla re magis angi, ac excruciaci solere homines, quam cum; descenditibus carentes, bona sua, tanto labore, et sollicitudine parta, ad homines sibi parum probatos, inimicum fortasse aliquem, aut stultum, perventura cogitant.

Quomodo defuncti interpretanda voluntas.

§. 567: Sed quamvis nulla quidem sit ratio, cur voluntati cujuslibet ex ejus fine ad intentione praesumptae non tantumdem, ac certis verbis, signisve expressae, tribuatur; ac proinde is merito censi debet heres, quem defunctum maxime amare constet (a); ita tamen ejus interpretanda voluntas, ut nec rationi, nec ejus bonae existimationis connato juri adversetur (b).

(a) Qui autem carissimi censendi? Docent Icti, et experientia comprobant, amorem descendere; et, si non habeat, quo descendat, tunc ascendere; et, si nec ascendere possit, ad latus divergere. Elegans ea de re est *Aristotelis* dictum (*Etb. L. 8. C. 12*): *Magis adfcitur causa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentem. Nam quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est. Post hoc autem magnum momentum situm in eodem sanguine, et eadem radice.* Ut naturalem itaque successionem laudant 1) descendendum; 2) adscendentium, illis deficientibus; et 3) collateralium, his etiam non superstitibus.

(b) Non enim respiciendum solum, quae defuncti fuerit voluntas, sed quae esse debuerit; et quae officiorum regulis magis sit conveniens. Quamvis enim eam praesumptionem

a vera defuncti voluntate aberrare persaepe contingat, cum tamen singularis, et a communi usu aliena, agendi ratio licetibus innumeris ansam praebet, exigit in ejusmodi collisione publica tranquillitas, et civilis societatis bonum, ut contra conjecturas communes minime peculiare admittantur.

Quoad descendentes primi gradus.

§. 568. Defunctis itaque parentibus nihil magis naturale, quam eis succedere filios, filiasque (a), et quidem *in capita*, seu portiones viriles (b), cum eadem pro omnibus naturae ratio obtineat (§. 559 not.) (c). Naturaliter enim insitus est parentibus in liberos suos amor, et eos juvandi obligatio tam ex facto generationis, quam ex naturae stimulis satis superque manifestatur (§. 550 not. c).

- (a) Praesumitur enim parentes liberis suis, ut corporis sui partibus, non tam de necessariis, sed et de his, quae ad vitam suavius, honestiusque transigendam, et hominem ad socialem civilemque vitam idoneum reddendum spectant, quam uberrime voluisse prospectum, ab eo maxime tempore, quo ipsi rebus suis frui non possunt.
- (b) Quamvis frequenter accidat, ut pater unum ex pluribus liberis prae ceteris maiori amore prosequatur; rationique minime repugnet, uni ex liberis maiorem, aut eximiam quamdam portionem assignari; infinitae tamen inter fratres orirentur lites, si ex modo paterni affectus patrimonium divideretur.
- (c) Aliqui vero populi ad familiarum conservationem tantummodo respexerunt. Ideo apud *Hebraeos* filiis tota hereditas cedebat, in primis primogenitis, et filiabus sola dos debebatur. Apud *Romanos*, eadem fortasse ratione, ab intestato non succedebant emancipati, nec cognati, sed solum liberi sui, et his deficientibus agnati, et *Lege Voconia* ne filiae quidem, et agnae. *Conf. PUFFEND. de J. N. et G. L. IV. C. 11. §. 8.*

Schol. Quid vero, si filii sint illegitimi, aliquove damnato coitu nati? Cum penes illos nulla culpa sit, sed penes parentes, quo jure miserae, ac innocenti proli ob alienum delictum poena irrogabitur (§. 203 IV.), et tam dura quidem, ut fame fortasse pereat.

Sunt autem, qui liberos incertae originis excludunt, quia tum praesumptio amoris parentum erga eos cesset. De matre quidem raro nasci potest dubitatio, de patre vero frequentius. Quia vero saepe pater aequae nescit, se parentem non esse, ac se esse, immo saepe patres zelotypiae oestro perciti uxoris pudicitiam sine ratione in dubium vocant, duas regulas pro ejusmodi controversiis dirimendis proponit GROTIUS: I. Pater est, quem justae nuptiae demonstrant: II. Qui concubitum fassus est cum femina, patens ejus liberorum censendus.

Quid, si filius, sive legitimus, sive non legitimus, male se adversus parentem gesserit? Si nihil declaraverit parens, filio ignovisse censendum. *Conf. GROT. de Jur. belli et pac. L. II. C. 7. §. 4. et seq.; PUFFEND. de J. N. et G. L. IV. C. 11. §. 9, et seq.; et Clariss. MELLIIUM Insti. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 8. §. 4, 12, et seq.*

Et ulteriorum.

§. 569. Quod si patri, aut matri praemortuantur filii, vel filiae, horum jus hereditarium ad sobolem transmittitur, quae porro suum patrem, vel matrem *repraesentat* (a); atque hocce repraesentationis jure succedit avo, vel aviae (b) in partem, quam parentes habuissent, sive in *stirpes* (c). Descendit enim amor, et, quo magis descendit, eo flagrantior esse solet, magisque plerumque nepotes amant avi, quam liberos parentes; intuentur quippe in nepotibus liberorum suorum imaginem, ac proinde in eodem loco sunt apud avos, quo eorum parentes, si adhuc vivi fuissent.

- (a) Valde enim miserum foret, si, praeter luctum ex praematurato parentum obitu, illis etiam bonis exciderent liberi, ad quae habenda spes, lege, aut designatione maiorum collocata, jam parentibus ipsorum erat.
- (b) Alimenta namque debent parentes non modo liberis primi gradus, sed ulteriorem etiam, si ipsorum parentes non amplius exstent (§. 567 not. a).
- (c) Alias, si *in capita* omnes succederent, superstitem liberorum conditio, per fratris, vel sororis mortem, deterior fieret, adeoque nulla inter eos esset aequalitas (§. 568 not. b).

Quoad adscendentes proximas.

§. 570. Si nulli adsint *descendentes*, naturale est, hereditatem defuncti *adscendentibus* deferri (a); sunt enim hi maximi liberorum benefactores, atque ideo maximum amoris gradum, seu conatum eos perficiendi promerentur (§. 341, et 343).

- (a) Cum totius successionis ab intestato fundamentum sit amor praesumptus, neminem certe, liberis non exstantibus, homines magis amare censendum, quam suos parentes. Est insuper perfecta obligatio eos alendi, estque obligatio nosmet gratos praebendi; educationis enim beneficium a parentibus accepimus, cui bono certe nihil aequiparabile. Eos insuper, cum alias optarent liberos suos habere superstites, bonaque sua in eos devolvere, quoniam naturae ordo fuit versus, lamentabili hoc hereditatis solatio permulcere par est.

Et remotiores.

§. 571. Et, quia parentes, qua tales, unum sunt, et jus representationis inter eos locum habere non potest, jus iisdem competens est indivisibile, proximiorque adscendens remotiorem excludit; et, si omnes fuerint re-

motiores, hi non in *capita*, sed in *lineas* vocantur.

Pater igitur et mater avos excludunt; quod si soli avi adsint, linea paterna medietatem, et linea materna aliam medietatem acquirit, etsi in una linea unica persona, veluti avus tantum, in altera vero avus et avia reperiantur.

Quoad collaterales.

§. 572. Qui a latere junctos perficit, is id praestat, quod communis stipes praestare obligatus est (§. 569 not. b); adeoque ipsi communi stipiti re ipsa gratiam rependit (§. 343). Deficiente igitur stipite, nihil magis naturae consentaneum est, quam ut eos in primis juvemus, quibus opem ferre debuisset stipes; hic enim jus suum hereditarium ad proprios descendentes transmisit, et ideo frater defuncti ejusdem avum excludit (a).

(a) Naturalis inclinatio ad eos regulariter fertur, qui ex nobis descendunt, et deinde in eos, qui nobis sanguine magis conjuncti sunt. Est enim omnibus fere ea cupido insita, ut familiam, ex qua quis ortum trahit, conservari, et quam maxime florere velit.

Schol. Dubium moveri solet, ex encomiis quae passim amicitiae tribuuntur, an amici cognatis praeferendi. Equidem saepe contingit, ut cum alieno longo juvencius versemur, quam cum cognato. In transmittenda tamen hereditate, non nuda respicienda benevolentia, sed in quem bona nostra transire maxime conveniat (§. 567). Si amici aliquando cognatis in successione ab intestato praeferri deberent, maximus hinc sese litibus aperiretur campus, tam inter amicos, ac cui plures uno fuissent, quam inter hos, et cognatos.

Illud itaque in primis corandum, ut liquida incatur via, quae quam minime controversiis sit obnoxia:

Quoad conjuges, et affines.

§. 573. Aliquando vero contingit, ut defuncto nec descendentes, nec collaterales supersint. Tunc ergo is jure hereditario gaudet, cum quo defunctus in proxima vixit societate, qua socius alterius socii commoda promovere obligatur, et quidem maxime, quando nulli amplius consanguinei supersunt. Per se itaque patet, *conjuges* in proxima societate esse constitutos, ad hosque proinde post consanguineos hereditatem deferri, et ex conjugibus postea ad personas sibi sanguine junctas jus suum derivari. *Conf. Clariss. MELLIIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 5, et 8. §. 18.*

Quae naturalis succedendi ordo.

§. 574. Ex dictis intelligitur, ordinem successionis naturalis esse sequentem: ut veniant I. descendentes non indistinctim, sed immediati, et primi gradus in capita, mediati in stirpes. II. Ascendentes primi gradus, seu pater, et mater; dein III. fratres, et qui ab his progeniti sunt. IV. Familia avorum, id est, avus, avia, tum patruus, et matertera. V. Familia proavi, hinc abavi, atavi, cet. VI. Conjuges, VII. Affines. VIII. Socii alii, prout quisque est proximus.

Schol. Hucusque Jus Naturae pertingere potest. Cum tamen haec omnia sola aequitate nitantur, adeoque Juris Naturae magis permissivi, quam praeceptivi sint; evidens, Civilium Legum dispositioni subjectam omnino esse tam ex testamento, quam ab intestato successionem, et, prout societatis civilis bonum exoptulet, immutari procul dubio posse.

Hunc tamen eundem ordinem secutus est Jus r. in *Novel.* 118, in qua statuit, ut liberi, seu descendentes ante omnes succederent; his non exstantibus, ascendentibus; et, iis deficientibus, collaterales, sine discrimine suorum, ac emancipatorum, agnatorum, et cognatorum, masculorum, et feminarum; et post hos, vel cum his, conjuges; et denique, si nemo heres exstet, fiscus.

Conf. HEIN. *Recitat. in Instit. Jur. Civ. L. III.* tit. 1. — 15, et CLARISS. MELLIUM *in Instit. Jur. Civ. Lusit. L. III.* tit. 8.

Quibus modis hereditas deferatur?

§. 575. Duplex itaque est modus, quo intelligitur hereditas *delata*, quam scilicet quis possit acceptando consequi (§. 551); unus nimirum ex *testamento*, et alter ab *intestato*; ac uterque quidem maximo nititur defuncti amore, et conatu alterum perficiendi, usque ad extremum vitae spiritum producto.

Qui modus in dubio praesumatur?

§. 576. Quum tamen alter ex ipsa fuit rei natura (§. 566); alter vero ex facta declaratione voluntatis (§. 553); tamdiu successio naturalis ac legitima ab intestato praesumi debet, donec probetur testamentaria, quae est hypothetica. Secus enim heres legitimus justa ignorantia se tueri potest (§. 483 *pat.*).

*An iste per successionem acquirendi modus
in Naturae Lege principium habeat,
ab eaque probetur?*

§. 577. Disputari solet, an ea bona nostra in alterum transferendi facultas, vel 1) ex nuda declaratione, vel 2) ex praesumptione, a fine intentioneque nostra deducta (§. 551), principium ac fundamentum in Naturae Lege habeat, ab eaque probetur; an vero Positivo Juri potius debeat adscribi?

*Negantium, quoad successionem ex testamento,
sententia.*

§. 578. Sunt, qui (a) Positivo Juri omnino attribuendam esse ejusmodi alienandi, et acquirendi facultatem contendunt, 1) quia dominium nostris usibus tantummodo sit concessum, ac proinde cum vita cessare debeat, et consequenter mortuorum bona pro derelictis haberi. Absurdum enim foret, aiunt, a) res humanas a mortuis administrari, mortuosque rebus nostris sese immiscere; contradictionemque b) involveret dominum aliquid velle in illud tempus, quo velle amplius nequit, et dominium rerum suarum tum demum in alterum translatum cupere, cum earum jam non sit dominus; et c) nulla excogitari ratio possit, cur superstites mortuorum voluntatem pro lege habere teneantur, maxime cum post mortem nihil defunctorum intersit,

an hic, vel ille eorum bonis fruatur; immo potius sua magis intersit, quia persaepe testamenta ex pravis affectibus, odio scilicet, et invidia magis erga propinquos, quam ex vero iudicio proficiscantur, saltem in hac hypothesisi, exitum non habere voluntatem suam, quam a superstitionibus religiose servari.

(a) *Merillius, Thomasius, Gotthofredus, Bynkersboeckius, Henricus, et Samuel de Cocceii, Heineccius, Ictique fere omnes, qui Romanorum subtilitatibus dediti, assuefactique sunt.*

§. 579. Addunt insuper, 2) legitime fieri non posse rei alicujus alienationem ex simplici tantum, ac nuda declaratione testamento facta; quia a) testator, dum vivus, dominium in heredem transferre nollit; et b) mortuus nullum tum jus, et dominium habeat; neque c) ullum ostendi possit momentum, aut modus, quo dominium in heredem testamentarium transeat; propterea quod ejus voluntas cum defuncti voluntate nunquam jungatur; nec cum ille de rebus disponit, quia nihil cum herede agat; nec cum heres acquirit, quia nihil tum negotii cum testatore ei sit (a); consequenterque desit traditio, desitque acceptatio, unus dominium acquirendi, ac transferendi derivativus modus (§. 540 *Schol.*).

(a) Hinc Romanor. Ictorum fictiones, veluti 1) idem esse momentum testamenti factionis cum momento mortis; 2) idem quoque esse momentum mortis cum momento adi-

tionis, quippe quod per fictionem ad momentum illud mortis retrotrahebant; et 3) hereditatem personam defuncti representare, remque jacentem esse, non vero nullius, quia hominum mentes a corporum vinculis solutae adhuc rerum suarum dominium retinebant, cet.

Affirmantium.

§. 580. Contra vero contendunt GROT., PUFFEND., DE MARTINI noster, et alii (a), facultatem de nostris rebus per testamentum disponendi in Jure Naturae principium ac fundamentum habere, a Naturaeque Lege probari (b); solamque facultatem de rebus nostris disponendi certo quodam modo, et quibusdam tantum solemnitatibus adhibitis, a Jure Positivo descendere, ad Civilesque Leges proprie spectare (§. 558 not.). A dominio namque facultas de rebus nostris disponendi, prout nobis placuerit, emanat (§. 471); consequenterque, posito dominio (§. 467), et principium ac fundamentum in Naturae Lege procul dubio habente (§. 436), necessario ab ea etiam descendere; et ab ea probari, facultatem de rebus nostris per testamentum disponendi dicendum.

(a) Illi scilicet Icti omnes, quorum animus et auris a Ictorum Romanorum subtilitatibus, et fictionibus abhorret, seu potius argutiis, captiosis persaepe, ac fallacibus, ad juraque hominum incerta reddenda, et uniuscujusque proprietatem, tranquillitatem, ipsamque vitam astutis et praevis prodendam, valde accommodatis. Jam aiebat Clariss. THOMAS, in Notis ad Tit. D. de pactis, egregia quidem esse, multumque adhuc hodie habere usum, quaeque ex principiis Juris Nat. et Gent. in doctrina de testamentis, de

pactis, et de obligationibus contrahendis ICI Romani adoptaverant; pessima tamen esse, ac perniciosa etiam, quae eorum vere propria sunt, adeoque ex Juris Romani subtilitatis descendunt. Sapienter quidem rogatus LEIBNIT., qui possent hominum mores ad Naturae simplicitatem, ac honestatem induci, respondit: *Utique, si omnia Forensium, et Cavistarum volumina, disputationibus, et revillationibus referat, flammae addicantur, et novae, haud multae, et ex Naturae formulis, dicentur Leges.*

(b) Vidit hoc recte PLUTARCH., cum, narrans a SOLONE permissam Atheniensibus testamenti factionem fuisse, ait: *Effecit, ut res cuique suae, et propriae, et pleno dominio essent; et QUINCTIUS, in Declam. 308 init., dicens: In Legibus positum est, ut, quoties fieri potuerit, defunctorum testamento stetur, idque non mediocri ratione. Neque enim aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem; alioqui potest graevae videri et ipsum patrimonium, si non integram legem habeat, et, cum omne jus nobis in id permittatur viventibus, auferatur morientibus.*

§. 581. Et quamvis dicatur, dominium post mortem cessare; de rebus suis tamen, dum vivus, disponit dominus, suum exercendo jus (§. 554), et obligationem illam implendo, qua res suas in eorum auxilium impendere debet, quos maxime juvare, ac perficere tenetur (§. 568); et dum eas in alterum transferre velle declaravit, expresse quidem sua bona non derelinquere velle, nec primo occupanti cedere, manifestavit (§. 560, et 566 not.). Dominium itaque sub conditione mortis, et non revocatae voluntatis (§. 551) ad heredem derivativo modo transfert, hereditariumque jus statim a declarata voluntate, utpote res, incorporalis, et quae de manu in manum tradi nequit, in eum similiter transit (§. 540., et 556).

§. 582. Verum quidem est, nullam extitisse a) traditionem, nullamque b) acceptationem; tradi tamen quaelibet res potest 1) non modo vere, aut fide (§. 541 not. a), sed etiam 2) ex mera declaratione voluntatis eam transferentis, sive expresse manifestata, sive ex certis signis elicitata (§. 503, et 540); sicut et non tam vere, ac expresse, ex verbis scilicet, aut factis, acceptantis voluntas dignosci potest, quam et ex praesumptione a rei donatae natura deducta (§. 504, et 531); incredibile namque adspernaturum quemquam alterius liberalitatem, quam sibi valde utilem, et lucrosam cognoscit (§. 531 not. a. l.).

Schol. Nos eadem repetimus, quae supra §. 497, et seq. pro consimili quaestione de Usucapione diximus, et quae §. 550, et 558 notis a. Non enim naturalia solum dicenda, quae praeepto aliquo Legis Naturae ita sunt definita, ut aliter de iis disponi nequeat, sed omnia quae rationi naturali quam maxime congruant, et quae naturalis ratio inter omnes homines constituat, et apud omnes Populos peraeque observentur, ut ait ipse JUSTINIAN. §. 1. *Inst. de Jur. N. G. et Civ.* Plerasque autem Gentes a condito aevo ultimas voluntates recepisse, et etiam nunc usurpare, probat GROTIUS *de Jur. bel. et pac. L. I. C. 3. §. 12. a med.*, et L. II. C. 6. §. ult.

Ipsismet SAMUEL DE COCCII *Dissert. Probem. XII. L. IV. C. III. Sect. IV. §. 293*, asserens testamento non adquiri dominium Jure Naturali, fatetur tamen recentiores Doctores uno fere ore statuere, *testamenta quoad originem esse Juris Naturae, quoad vero formam Juris Civilis.*

Quid de successione ab intestato dicendum?

§. 583. Neque minus evidens, ex dispositione Naturae Legis dominia rerum, sine

expresso, et peculiari facto prioris domini, in successione ab intestato in alios transire. Equidem, si hoc mortalitatis solatio privati homines fuissent, et res suas, tanto labore partas, ad illos non perventuras cognoscerent, quos maxime amant, et alere, ac juvare tenentur, inutile fuisset dominium, consequenterque parum nihilve potius de rebus acquirendis solliciti fuissent (§. 566). Ipsa agricultura, commercium, et artes, in societate languerent, ac penitus evanescerent: *Conf. §. 498, et 499.*

Schol. Maxima Ictorum pars pro successione ab intestato, tamquam simplicitati Naturae Legis magis accomodata, propugnant, et solum eam in Naturae Lege fundamentum habere contendunt; proindeque eo etiam argumento successionem testamentariam a Jure Naturae exterminant, quod Naturae Legibus de successione ab intestato adversetur; absurdumque sit Leges privata alicujus voluntate immutari.

Clariss. HEINEC. de *J. N. et G. L. I. C. II. §. 291*, parum vel nihil Juri Naturae conformem esse Romanam testamenti factionem existimans, pacta successoria tamen ut Juri Naturae magis conformia suadet; opinionemque suam exemplo Persarum, Hebraeorum, Francorum, aliarumque Veterum Nationum confirmat. Ejusmodi pacta vero tamquam bonis moribus adversa, plenaque tristissimi eventus, et alterius morti captandae occasionem praebentia, Romanae Leges, et merito quidem ut mihi videtur, damnarunt.

PUFFENDORF. *L. IV. C. 10. §. 5, et 6*, satis erudite pro more ostendit, quanta ex ejusmodi pactis oriantur mala, praesertim, si is, cui Parcae jam extrema legere fila videbantur, sanitati iterum inesperto restituatur. Equidem modus per testamentum disponendi, quo quis ita de rebus suis disponit, ut libertatem suam voluntatem mutandi ad ultimum spiritum retineat, utque heres solum a morte testatoris jus in ipsius bona adsequatur, plurimis, gravissimisque de causis pactis successoris irrevoc-

habilibus, et pure, sineque conditione mortis celebratis, jure merito præferendus. Testamenta scribere, et post mortem tantummodo promulgare, ne scilicet invidiam, periculumve aliquod testatoris voluntas patefacta producat, tutius certe quidem est.

Vid. GROT. de *Jur. bel. et pac.* L. II. C. 7; PUFENDORF. de *J. N. et G.* L. IV. C. 10, et 11; et de *Off. H. et C.* L. I. C. 12. §. 9, et seq.; HEINEC. de *J. N. et G.* L. I. C. 11; WOLF. de *J. N. et G.* Part. VII. C. 5; DE FELICE *Leçons de Droit de la N. et des G.* Lef. 265

De donatione rei fungibilis, sive de Mutuo.

§. 584. Diximus (§. 546) pactorum, quæ benefica et unilateralia dicuntur, objectum esse, 1) vel res ipsas, 2) vel earum usum, 3) vel operas. Cum itaque de donatione rerum verba fecimus, sequitur, ut de rerum usus, et operarum concessione sermonem instituamus.

§. 585. Duobus modis rerum nostrarum usum concedere aliis possumus; scilicet, 1) rem aliquam fungibilem in mutuum dando, 2) vel non fungibilem commodando; id est, ea lege, 1) ut per aliquod determinatum tempus ex mea fiat tua, et ea prout voveris, utaris; vel 2) per aliquod determinatum tempus ea tamquam aliena, et certo quodam modo, tantummodo utaris.

§. 586. Quoties igitur *res aliqua fungibilis (a) alteri gratis traditur, et ea lege, ut ejus fiat, et tantumdem post certum tempus in eodem genere, quantitate, et qualitate restituat, ejusmodi pactum dicitur Mutuum.*

(a) Res fungibiles vocamus, quas adnumerare, admetiri, et adpendere solemus; seu quae sine abusu, et consumptione nullum usum praestant. ut pecunia, cibariaque omnia; et quae substitutionem, et solutionem per alias ejusdem generis recipiunt, ita ut, si ex. gr. centum aureos ab aliquo mutuos acceperis, idem sit eosdem reddere, quos tibi adnumeravit creditor, vel centum alios ejusdem generis. Est enim in eodem genere reddere, tantundem, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, reddere.

§. 587. Hujusce donationis eae sunt regulae: 1) Mutuans, cum rem in genere non alienat, sed ejus usum temporarium, jus habet tantundem in eodem genere, quantitate, et qualitate a debitore elapso tempore recipiendi; obligationem autem, nihil ante temporis lapsum repetendi: 2) Mutuatarius, cum usus rei fungibilis in abusu consistat, fit datae speciei dominus, et illius fert periculum (a), atque jus habet de specie mutuo accepta plane disponendi; obligationem autem mutuum creditori ita restituendi in eadem quantitate, et qualitate, (alienantur enim corpora, non autem eorum quantitas,) ut mutuans non minus recipiat, quam dederit (b), et solo rei suae usu carere videatur.

(a) Pertinet rei periculum ad mutuatarium, quia ad eum rei fungibilis dominium transfertur, alias nullo ei inderet usu, et casus omnes ad rei dominum pertinent. Unde si vinum in acetum abierit, si pecunia credita furto fuerit ablata, minime liberabitur debitor.

(b) Si ergo pecunia fuerit credita, ejusque valor postea vel sit adauctus, vel imminutus, ut in *papyro signato* seu *pecunia chartacea*, ut aiunt, frequenter accidit, ratio illius temporis, quo pactum fuerit initum, non quo fiat solutio,

procul dubio habenda. Tenetur itaque debitor vel tantum addere sorti, quantum pretii numo detractum; vel tantum ei detrudere, quantum postea valoris numo accessit.

*De donatione rei non fungibilis, seu
de Commodato.*

§. 588. Pactum illud, quo quis alteri rem suam non fungibilem gratis utendam concedit, et ea lege, ut post certum usum et tempus eandem in specie restituat, dicitur *Commodatum*.

§. 589. Hujus pacti eae sunt leges: 1) Commodatarius non potest re magis uti, aliove modo, quam pacto concessum; secus furtum usus committit: 2) tenetur omni diligentia cavere, ne res pereat, aut deterior fiat, et, si sua culpa destruat, vel diminuat, satisfactionem praestare: 3) impensas ad rei usum, ex. gr. alendum equum, necessarias facere (a): 4) finito usu, et tempore, rem in specie, hoc est numero eandem, commodanti reddere: et 5) etiam ante definitum tempus, si ea ille indigeat; nemo namque res suas gratis alteri concedere praesumitur, nisi in quantum eisdem sine ullo detrimento carere possit (§. 339); neminique damnosum esse debet beneficium; semperque indante exceptus intelligitur necessitatis, et indigentiae propriae casus, de quo tempore promissi non fuit cogitatum (§. 547, III).

(a) Non vero immodicas, et quae ipsam mercedem locationis transcendant; non enim tum beneficium, sed onerosum, et permutatorium pactum fuisset.

Sebol. Omnibus contractibus inhaerēt quoddam *essentiale*, *naturale*, et *accidentale*. *Essentiale* id dicitur, sine quo contractus non est, ita ut vel actus sit plane nullus; vel in alium contractum transeat. *Naturale* est, quod per se inest, et subintelligitur, sed expressa partium conventionē potest abesse, ut in emptione obligatio venditoris *evictionem* praestandi. *Accidentale*, quod non subintelligitur, sed per pactum adjici potest, ut in venditione pactum de retrovendo, additionis in diem, cet.

Siquid igitur pro usu rei promittatur, cessat mutui, aut commodati essentia, et pactum beneficium in operosum transit, in locationem scilicet. Aliter si quid daretur honorarium, aliquid nimirum, neque promissum, neque debitum, sed sponte in accepti beneficii memoriam oblatum.

§. 590. Differt autem *commodatum* a *mutuo*, 1) ratione objecti, quia in hoc sit res fungibilis, et in commodato non fungibilis; 2) ratione effectus, quia in mutuo dominium transeat, non veto in commodato; et 3) ratione obligationis, quia debitor eandem rem in genere tantummodo reddere teneatur, commodatarius autem in specie. Differt etiam a *precario*, quia rei usus non ad libitum concedentis; sed ad certum determinatumque tempus detur; a *locatione* autem, quia in ea res non gratis, sed pro certa mercede tradatur.

De Precario.

§. 591. Simile est tam *mutuo*, quam *commodato* *Precarium*, seu *pactum*, quo res fungibilis alteri petenti gratis conceditur, ut ea tamdiu utatur, quamdiu, qui concedit, patitur. In eo enim tantum differt, quod, qui

precario rem accipit, neque ejus dominiurū, neque usum ad certum tempus, sed ad concedentis libitum recipiat, ac proinde eam domino reddere teneatur, quandocumque ille voluerit.

De concessione operarum, et 1) de Deposito.

§. 592. Nullum pactum est, quod sanctius, et merito, habuissent Veteres, quam *Depositum*; in depositarii namque amicitia, fide, ac diligentia fiduciam suam deponens collocat, nihilque proinde turpius, quam amicus ab amico sub amicitiae praetextu decipi. Dira igitur quaevis illis praedicebant (a), qui depositum denegarent. *Conf. Exod. C. XXII. v. 7, et seq.; Levit. C. VI. v. 2, et seq.*

(a) Tanta hac in re fuit Veterum religio, ut eum dentes amittere crederent, qui depositum denegasset. Romani ipsum depositum denegandi conatum a Diis plecti existimabant; et ideo *Glaucum* tota cum familia extinctum credebant, quod de negando deposito cogitasset, quamquam illud postea restituisset; duplicique poena praeter infamiam depositarium afficiebant, qui dolo aliquo se gereret, cum depositum miserabile fuisset; miserabile autem dicebant, quod occasione incendii, ruinae, tumultus, frausragii, aut urgente publica, privatae calamitate aliqua fieret; turpissimum judicantes afflicto afflictionem addere.

§. 593. Est autem *Depositum pactum*, quo quis rem mobilem (a) alterius gratis custodiendam suscipit, ut, quando placuerit, deponenti restituat.

(a) Res immobiles non deponimus apud alterum, sed commendamus, seu, ut earum custodiam suscipiat, alteri mandamus.

§. 594. Depositario itaque incumbit 1) diligens rei custodia tempore convento (a); 2) abstinencia ab omni rei usu (b); 3) damni culpa dati reparatio (c); et 4) restitutio depositi, etiam ante tempus pacto definitum (d): contra autem deponenti omnes impensas ad custodiam rei depositae factas refundere (e).

(a) Ista tamen diligentia non in eo consistit, ut quis noctu diuque eidem rei custos assideat; sed satis est, ut eam loco; quem habeat; munitissimo recondat, ubi minime corrumpi possit, et res amici aequae ac proprias curet; non enim amicitiae leges exigunt, ut rebus alterius quis suas posthabeat, si paris utraeque sint pretii. Aequum tamen videtur, quando utraeque servari nequeunt, ex. gr. incendio oborto, ut rem suam viliozem depositarius negligat, et pretiosiorez depositam servet. Quod si tamen quis rem suam viliozem deposito pretiosiori praetulerit, ubi de tali diligentia et cura non fuit conventum; amicitiae et humanitatis iurium dumtaxat violator; et a praestanda rei deperditae aestimatione immunis iudicandus; non enim inde locupletior fuit factus, neque intermissa nuda amicitiae, et humanitatis officia ad refusionem detrimenti inde orti, generatim loquendo, obligant (§. 339, et 345).

(b) Hoc in contractu neque dominium, ut in mutuo, neque usus, ut in commodato, in depositarium transfertur, sed sola custodia. Rem itaque custodiendam nec involucro, nec vinculis exuere depositarius debet.

Si ergo rem fungibilem depositarius absumat, et tantumdem in eodem genere restituat; vel re non fungibili utatur; vel aliquid pro custodiae mercede acceperit, tum non depositum, sed mutuum; aut commodatum; aut locatio ejusmodi pactum dicendum erit (§. 589 Schol.).

(c) Culpa tamen non est 1) in pari causa res suas praeferre; 2) vero domino potius, quam deponenti rem restituere; et 3) illam furioso penitus denegare.

(d) Omne enim commodum in hoc contractu ad deponentem pertinet.

(e) Est enim gratuitum hoc pactum, et in deponentis utili-

tatem comparatum. Non modo igitur impensas in rerum depositarum conservationem factas refundere tenetur deponens; sed damna etiam omnia, quae depositarius ad res depositas servandas passus fuerit, veluti earum rerum pretium, quas pro deposito pretiosiori servando deperdidit (§. 531, not. a).

2.) de Mandato.

§. 595. Quoties autem operam nostram alteri ad quodvis ejus negotium gratis peragendum promittimus, ejusmodi conventio *mandatum* (a) dicitur, et vulgo describi solet per pactum, quo quis negotium honestum (§. 525), ab alio ex fiducia (b) commissum, gratis (c) administrandum, gerendumque suscipit (d).

(a) Ait ISIDOR. L. IV. Origin. C. 24, *mandatum a manus datione* vocari, quia solum inter amicos locum habere posset, et solerent Veteres, cum aliquid amicis mandarent, eorum dextram prehendere, dicentes, *per ego hanc dextram te oro, fidelis ut mihi sis: cedo dextram*, cct. Non immerito Romani infamia etiam mandatarios notarunt, qui dolo se gesserint.

(b) Si enim negotium non ex fiducia committitur, sed pro imperio injungitur ab eo, sub cujus potestate sumus, *jussum* est: si non committitur, sed suadetur, et alterius libertati relinquitur, facere id velit, necne, *consilium*; et si non proprium, sed alterius negotium est, *commendatio*.

(c) Quoties pro mercede negotium alienum suscipitur, jam non beneficium, sed onerosum pactum est, operarum scilicet locatio. Conf. 589 Schol.

(d) Alii dicunt *pactum*, quo quis alteri negotium gratis gerendum committit. Descriptiones vero pactorum beneficiorum non a beneficium accipiente, sed ab illud dante, utpote qui ad dandum faciendumve aliquid se obligat (§. 535), deducimus. Equidem pactis beneficis aliquando etiam ad aliquid obligantur mutuatarius, commodatarius, deponens,

et mandans; hoc tamen ad essentiale pacti non pertinet, sed ex post facto, ut aiunt; et accidentaliter evenit (§. 589 Schol.).

§. 596. Ex hujusce contractus natura facile patet, 1) mandantem causam moralem esse, et mediatam (§. 208) actionum mandatarii, juxta illud, *quod quis per alium facit, per se facere videtur*; 2) ejus officium perfectum esse negotium intra fines mandati rati habere (a); 3) procuratorem indemnem servare, siquid de suo in administrando negotio erogaverit (b): Mandatarii autem, seu procuratoris, cum omnia mandantis nomine agat, et eum representet, 1) jura, obligationesque omnes mandatario acquirere; 2) negotium omni diligentia peragere; 3) rationes administrationis suae reddere; et 4) omne damnum sua culpa illatum reparare.

(a) Hujus contractus norma est voluntas mandantis. Potest igitur vel 1) certis limitibus circumscribere mandatarium; vel 2) ei liberam potestatem dare, et omnia arbitratui suo relinquere; vel 3) per modum consilii ei, quid fieri velit, suggerere. Hinc mandati distinctio 1) in definitum, aut indefinitum; 2) in generale, aut speciale; et ratione formae illud declarandi 3) in expressum, aut tacitum, seu praesumptum, prout verbis, aut scripto fiat, aut ex aliquo facto colligatur; et 4) in purum, aut conditionatum; et prout negotii natura 5) in judiciale, aut extrajudiciale.

In priori autem casu mandati fines transilire non debet mandatarius; in altero ad dolum praestandum tantummodo tenetur; et in tertio mandatum etiam per aequivalens expedire potest.

(b) Non vero si casu fortuito aliquam passus sit jacturam, de qua non fuit cogitatum, ex. gr., si mandatarius, dum mandatum expedit, a latronibus spoliatus fuerit; vel diffi-

cili morbo implicitus; casum animi nemo praestare tenetur, neminique imputari potest, quod aliquis divina providentia dirigente passus fuerit.

§. 597. Finitur mandatum 1) mutuo dissenso; 2) revocatione mandantis, modo re adhuc integra fiat; 3) renuntiatione non in tempestiva mandatarii, et 4) contrahentium morte. *Conf. HEIN. in Inst. Jur. Civ. L. III, tit. 15., et 27.; et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. IV. tit. 3.*

3) De negotiorum gestione.

§. 598. Persaepe evenire solet, ut aliquis alterius absentis et ignorantis (a) negotium aliquod extrajudiciale (b) ultro et gratis gerendum suscipiat. Hanc beneficentiam (§. 336), ratione consecratorum ei inhaerentium, quasi contractum (§. 531 not.) dicere ICI solent, ac negotiorum gestionem nominare, et negotiorum gestorem, seu procuratorem voluntarium, qui eam exercet.

(a) Siquis enim sciat, et alterum ejus negotia gerere patiatur, tacitum mandatum esset.

(b) Qui absentis negotium judiciale suscipit, defensor vocari solet.

§. 599. Obligatur itaque negotiorum gestor, ex eo ipso suo facto, quo negotium alterius, sibi a nemine commissum, ultro gerendum suscipit; auctori enim facti cujuslibet omnia ex eo emanantia consecratoria impu-

tanda (§. 195), omnisque laesio moralis reparanda (§. 359); 1) rem summa diligentia gerere, consequenterque 2) rationes reddere, et 3) damnum ex dolo vel sua culpa datum emendare: teneturque absens negotiorum gestorem indemnem servare, ac proinde impensas omnes necessarias et utiles refundere; nemo enim praesumitur cum alterius damno locupletior fieri velle (§. 531 *not.*), et in id consentire quisque videtur, quod sibi utilitatem affert. *Conf.* HEINEC. in *Inst. Jur. Civ. L. III. tit. 28*; et Clariss. MELLIUM *Inst. Jur. Civ. Lusit. L. IV. tit. 4. §. 2, et tit. 6. §. 21.*

Vid. PUFFEND. de *J. N. et G. L. V. C. 4, et 7; et de Off. H. et Civ. L. I. C. 15*; HEINEC. de *J. N. et G. L. I. C. 13. §. 342 — 349, et 364*; WOLF. de *J. N. et G. P. IV. C. 1, et 3*; DE FELICE *Leq. de D. N. et des G. Leq. 28.*

CAPUT VII.

DE PACTIS ONEROSIS, SEU DE COMMERCIO,
GENERATIM; ET DE RERUM PRETIO.

Commercii notio.

§. 600. **D**iximus nullum alium esse res alterius acquirendi modum, quam per *pacta* (§. 440), seu earum petitionem a nobis, et concessionem a domino, vel *a*) ex humanitate, et benevolentia factam, nihil nimirum a nobis accipere volente; vel *b*) ex permutatione, aliquid scilicet, et tantumdem, quantum in nos transtulit, exigente (§. 545). Ea pacta, in quibus aliquid vicissim datur, et accipitur, per vocabula *συνάλλαγμα, ἀλλαγή, ἐπιμίξια*, id est, *commercium, contractus, commutatio*, denominarunt *Graeci*, et ad eorum exemplum *Latini* vocabula *commercium* et *contractus* promiscue usurpare coeperunt, eo quod non aliter commercium, quam intervenientibus contractibus, explicari possit. Est itaque *Commercium mutua rerum communicatio, seu commutatio rerum, ac operarum superfluarum, cum his quibus indigemus, per contractus explicata.*

Schol. Quamvis per contractus vulgo intelligantur pacta bilateralia, et onerosa (§. 535); quoad essentiam tamen

CAP. VII. DE RERUM PRETIO. 377.

nulla inter pacta, et contractus Jure Naturae differentia est (§. 535 *Sebol.*). In utrisque enim eadem adjuncta requiruntur (§. 501, *et seq.*), et ex utrisque perfecta obligatio nascitur (§. 538), eademque proinde quoad effectum omnino sunt. Hoc unum inter pacta unilateralia, et bilateralia assignari potest discrimen, quod Maioribus placuerit illa pacta dici; et haec, tamquam ad commercium magis proprie spectantia, contractus.

Commercii, seu contractuum origo.

§. 601. Idem igitur principium, et eandem causam habere pacta bilateralia, et commercium, quam pacta unilateralia (§. 440, et 536). Ex quo enim a communione negativa discessum, introductumque fuit dominium, hominesque res utiles ita sibi vindicare coeperunt, ut deinceps nemini earum usum concedere cogentur, sed eas sibi detinere, suisque usibus seponere possent; necessarium non evenire non poterat, ut non eadem essent omnium hominum facultates (§. 536), necessariumque eis proinde fuisset, ex aliorum rebus, aut operibus, id quod sibi deerat, supplere. Deinde cum non omnia proferat omnis terra, ut eleganter observavit VIRGIL, *I. Georg. v. 54*, et *II. v. 159*, ipsa necessitas homines coegit, ut ea, quibus abundarent; quaeque sua arte ac opera produxissent, aliis indulgerent, et alia, quibus carerent, sibi acquirerent. Hoc dum fecere, commercia inter se instituere dicti sunt.

Praecipua, ac generalis commercii lex.

§. 602. Qui res vel operas in alterum gratis conferre nonvult, id semper intendit, ut ab altero quoque res vel operas recipiat, sive ut is etiam aliquid det, vel faciat; nempe 1) rem, aut alicujus rei usum, pro re alia, aut alterius rei usu; 2) operam pro opera; 3) operam pro re, aut rei alicujus usu; 4) rem, aut alicujus rei usum pro opera. Nullus ergo est contractus onerosus, qui non ad quatuor illos articulos revocari possit: I. Do, ut des. II. Facio, ut facias. III. Do, ut facias. IV. Facio, ut des. In his igitur commercium, seu *mutua rerum communicatio, quae per contractus explicatur* (§. 600), situm est.

Quoniam itaque in contractibus onerosis simpliciter talibus omnis donatio exulat; et neuter contrahentium vult aliquid gratis concedere, sed uterque illud sibi propositum habet, ut tantum ab altero recipiat, quantum in ipsum transfert; hinc, ut usus virium alterius usui virium suarum aequipolleat, adeoque ut sint aequalia ratione utilitatis ea, quae invicem praestantur, praecipua, ac generalis horum pactorum lex est.

Quomodo determinanda aequalitas.

§. 603. Necessè igitur est, res corporales, incorporales, et operas, utpote ob-

jecta reciproce communicanda, inter se comparare, id est, 1) earum identitatem, ac diversitatem explorare, 2) tum *quantum utilitatis* eisdem tribuere, et ita mutuam earum aequalitatem definire.

Schol. Non alium modum rerum identitatem et diversitatem, earumque ad se invicem *rationem* explorandi, et aequationem obtinendi detexerunt Majores nostri; nec alius certe quidem detegi poterat.

Quoad res homogeneas, unius quantitatem physicam cum alterius quantitate, mensurarum ope, ponderum, et numerorum comparabant, et ita *rationem* earum, seu relationem duorum objectorum, et quantum unum alterum superaret, vel ab eodem deficeret, determinabant.

Quoad heterogeneas, et quoad operas, et jura, cum unum alteri physice aequale minime fieri possit, quantitatem quamdam, ex earum utilitatibus et commoditatibus deductam, imaginantur, rebusque omnibus attribuerunt, et ex comparatione unius quantitatis cum alterius utilitatum quantitate, tam rerum, et operarum ad se invicem *rationem*, quam rerum ad operas definebant.

Quid valor, aestimatio, pretium?

§. 604. Rerum quantitas 1) physica, et 2) moralis perfectionis in universum, et speciatim quantitas utilitatis, quam in re quamdam nobis repraesentamus, ejus *valor* dicitur; et valoris determinatio *aestimationem*; definitus autem valor rerum, quae sunt in commercio, seu contractus onerosi capaces, earum *pretium* constituit.

*Rerum pretium est omnino arbitrarium,
ac morale.*

§. 605. Cum itaque actus permutatorii ex mutua necessitate, et commoditate oriantur; ac proinde objecta permutanda heterogenea plerumque sint, eorumque utilitas vario sese exserat modo, sitque aliquando vera, et communis, aliquando imaginaria, et particularis, consequenterque minime physice aequalia fieri possint; evidens, non naturalem, ac physicam esse relationem duorum objectorum inter se, sed fictam, ac moralem, eisque hominum arbitrio tributam. Nulla enim est ratio, cur ex, gr. tantillum frustulum auri tantum valeat, quantum multo maior portio argenti, aeris, aut plumbi, aut cur papyrus signatum pro numo habeatur, nisi quod homines hunc valorem ei tribuere voluerunt. Non immerito itaque dici quoque solet *pretium: Quantitas moralis rebus et operis hominum arbitrio tributa, ut earum ad se invicem ratio definiiri possit.*

Quaenam res valoris, et pretii capaces?

§. 606. Cum autem nihil in dominio reperiatur, in quo non aliquos perfectionis, et utilitatis gradus cogitemus (§. 449); evidens, suum habere pretium quidquid proprietatem, seu τ nostrum, constituere potest; et contra objectum non esse pretii 1) quidquid vel ad

nostram utilitatem, commoditatem, aut voluptatem inservire nequit; et 2) quidquid juxta Leges extra dominium, et commercium positum est, ut res sacrae, religiosae, et sanctae (INST. Lib. II. tit. I. §. 7, et seq.), officia ecclesiastica, administratio justitiae, caeterorumque officiorum exercitium, et complementum.

Ad quem rerum, et operarum pretium determinare spectet?

§. 607. Quia dominus jus habet disponendi de re suo pro libito (§. 468), ei licet rebus, juribus operisque suis maius vel minus pretium statuere, illudque omni momento variare. Est enim talis *relatio* accessorium domini, vi cuius nostra cum alienis commutare, vel non commutare est permixsum. *Vid. Gen. XLVII. 14, et seq.*

Schol. In civili vero statu, si ex. gr. annona dolose flagelletur, si rerum peregrinarum vile pretium civium quaestui noceat, aliaeve justae adsint causae, ad Imperantes procul dubio pertinet pretium rebus, et operis necessariis statuere, ne unquam cives ad labores prompti, ac idonei, illis destituantur; sicut et pondera, ac mensuras definire, ne contrahentes sibi invicem defraudandi occasionem arripiant (§. 474).

Hinc distinctio illa pretii 1) in *conventionalem*, quod licitando definitur, id est, aliquid addendo, vel remittendo; et 2) in *legitimum*, quod a Magistratibus stabilitur. *Aequum* autem erit pretium, si in actibus permutatoriis communi consensu paciscentium; et *iniquum*, si per errorem, aut dolum statuatur; *injustum* vero, si laborare volenti deficerent res necessariae. Quare pretium rerum ne-

cessarium ita determinandum est, ut eadem vilis operae, pretio comparari possint. Et ob eandem causam, si solum spectemus usum, res necessariae minus valere debent, quam utiles; et haec minus, quam voluptuariae.

Quomodo definiendum pretium?

§. 608. Attamen non solum rei *utilitas*, sive vera, sive imaginaria, sive communis, sive particularis, sed *raritas* etiam, quod scilicet ea res magis minusve usu exhauriri possit, cum *utilitate* conjuncta pretia rerum gignit, auget, minuitque. Sola *utilitas* sine omni *raritate* pretium non efficit; hinc aqua nullius est pretii, ubi abundat. Nec sola *raritas*, remota omni specie *utilitatis*, nos ad rei dominium adquirendum, aut ad ponendum pretium impellit; et ideo muscae albae nullo veneunt pretio (a).

§. 609. Rariora autem habentur, 1) quae non adeo copiose proveniunt, ut gemmae, uniones, frumentum annis sterilibus; 2) quae ex regionibus admodum remotis ad nos deferuntur, ex. gr. cinnamomum, et alia aromata; 3) quae non nisi magno labore et periculo acquiruntur, ex. gr. merces tempore belli, aut piratis maria infestantibus, ex terris longinquis advectae: 4) quae proficiuntur ab artificibus celeberrimis, ex. gr. *Phidiae* signum, *Appellis*, aut *Parrhasii* tabula; 5) quae admittunt pretium affectionis (b), cet.

(a) Sunt aliae insuper quaedam accessoriae causae, ob quas itidem rerum pretium augetur; veluti 1) labores, et expensae in rem factae: 2) rei usus in morem inductus, ideoque nimia ejus appetitio: et 3) quando sibi quis monopolia vindicat, ut *Batavi* in cinnamomo, superfluum quotannis flammis consumendo; et in multis Indiae partibus arbores caryophyllorum, et nucum myrasticarum extirpando; ne istorum aromatum nimia sit copia: et aliae, ob quas minuitur, veluti 1) pecuniae qualitas; an sit metallica, chartacea, parata, an fides emptoris sequenda; et an totum pretium solvatur, an pro parte tantum: 2) tempus; belli namque tempore praediorum vilescit pretium, rarioresque sunt rerum pretiosarum emptores: 3) rerum copia; minuitur enim eorum raritas, et pauciores sunt, qui eas anxie quaerunt, adeoque villiori pretio a venditore addicuntur; cet.

(b) *Pretium affectionis* dicitur, quod rei attribuimus, non quod nimium sit praestans, sed quod aliquid jucundum in memoriam nobis revocet, ex. gr. 1) insignem honorem, ut donaria Principum; 2) amicum, aut aliquam personam nobis caram, ut donaria amicorum, maiorum nostrorum, cet.; 3) periculum feliciter superatum, ut equus *Petri* Imperatoris Russiae, quo usus fuerat in praelio Pultaviensi; 4) pristinae fortunae catastropham, ut pileum *Stechinelli Baronis*, quo puer usus fuerat, cum mendicaret; 5) rem admodum antiquam et memorabilem, ut fictilis *Epicteti* lucerna, statuae, et numi antiqui, codices manuscripti, cet.

Quid pretium vulgare?

§. 610. Quoniam autem nihil in patrimonio nostro sit, quod non aliquam habeat utilitatem; consequens est, ut singulae res dominii, vel quasi (§. 435 not. b), capaces cum utilitate et raritate omnium aliarum rerum aliquo modo comparari possint, suumque proinde habeant pretium. Valor iste et pretium rei cujuslibet, operae, aut juris, si ex valore et pretio rei alterius, operae, aut

juris determinetur, nulla communi aliqua mensura adsumpta, *pretium vulgare* dici solet; et si per quantitatem aliquam pecuniae, *pretium eminentis* nuncupatur. In nullo autem alio pretium vulgare ab eminenti differt, nisi quoad illud determinandi modum; quantitas enim physica pecuniae sumitur pro quantitate morali rerum et operarum, in qua rerum pretium consistit.

Quid pecunia?

§. 611. Non semper tamen id uni supererat, quo alter indigebat (§. 440); verum saepe, quod alter dare volebat, alter adspernabatur; imo difficile plerumque erat quantitatibus physicis vel operis mutuam utriusque contrahentis utilitatem aequare, neque eam tamen excedere (§. 605); et aliquando res ipsae tantae erant molis, ut transferri commode non possent. Materiam itaque excogitare oportuit, cujus definita quantitas physica pretii cujuslibet objecti mensura esset. Haec autem materia, rerum permutandarum vicaria, *pecunia* (a) dicitur, sive *numus* (b), definirique solet: *Res corporalis, cujus determinata quaedam quantitas sumitur pro mensura communi pretii rerum quarumvis, tam corporaliū, quam incorporaliū (§. 426), et operarum quarumlibet; seu, Mensura communis pretii rerum, et operarum.*

- (a) *Pecunia* a *pecude* dicta fuit. Apud antiquos enim in pecudibus sitae erant divitiae omnes; et antequam in usu esset pecunia metallica, pecudibus, tamquam unitate, et mensura communi, ad exquirendam alterius objecti magnitudinem utebantur, et res, operasque suas per pecudes aestimabant, et permutabant, ut ex HOMERI *Iliad.* constat. Sic pretium ex. gr. unius bovis, aut equi, definiebant, eum triginta, aut quadraginta ovibus aequando; diurnarum operarum pretium arietis, ovi, et ita cet. Ipsa vocabula *pecunia*, *peculium*, *peculatus*, quibus utebantur, et signum in antiquis numis insculptum, equum exprimens, bovem, asinum, arietem, ovem, capram, cet., hoc satis superque comprobatur.
- (b) *Numus*, *numisma*, ita dicitur a *νῦμα* Lex, quia a *Lego* pecuniae valor, et pretium determinatum sit; vel, secundum alios, a *Numa*, II. Romanor. Rege, quia pecuniae signatae inter eos inventor, et auctor fuisset.

Quid pretiam eminentis?

§. 612. Quandoquidem pecunia communis est rerum omnium permutationis capacium mensura, et aequivalens universale; potestque illa omnibus objectis permutandis substitui, et in locum cujuslibet vulgaris pretii (§. 610) venire (a); non immerito ideo hoc *pretium rerum, operarum, et jurium per quantitatem pecuniae determinatum*, pretii eminentis nomen obtinuit (b).

- (a) *Pecunia*, ait PUFFENDORF., comparantur res, operae, jura; honores, tituli, officia, libertas, aliquando et justitia, ipsique mariti, et quid non? *Quisquis habet humos, securam navigat aera.* Conf. HORAT. *Satyr. II. 3. v. 94*, et *Propert. III. 10.*

- (b) Quo praecise tempore *eminenti pretio* uti homines coepissent, omnino ignotum. Probabile videtur, tum introductum, et paulatim, fuisse, cum Gentes ab agresti vita

in urbanam, ac polltam venire; multiplicatis enim *sive* utilibus, sive voluptuosis, repertisque rerum diversis usibus, indeque subortis novis necessitatibus penes antiquos ignotis, artes quoque, rerumque vitae necessariorum genera crevere; in tantaque proinde rerum, et operarum copia, et luxu, sola permutatione, ut apud vetustos, barbarosque, difficillimum foret commercium. Coeptum igitur sensim pretia eminentia spectare, et in primis metalla adhibita sunt, veluti quae et maiori jam esse coepissent in pretio, et non nimis obvia, et durabiliora, et ad hunc usum expeditiora fuissent; invaluitque primum auri usus, veluti facilioris inventionis, quippe quod in arenis fluviorum, et torrentium, facillime detegebatur; et mox argenti, et aeris. Principio autem ipsis metallis rudibus, et nativis utebatur, ea non adnumerando, sed adpendendo, ut antiqua nomina *talentum, pondus, libra, marca* demonstrant, libraeque apud Romanos in *emancipationibus*, et *emancipationibus* usus.

Pecuniae requisita.

§. 613. Ex fine autem pecuniae (§. 611) apparet, cur ejus materia requiratur, 1) quae per se utilitatem habeat, seu intrinsecum, et vulgare pretium; aliter non reciperetur ab omnibus: 2) quae nec nimis rara sit; non sufficeret enim commercii: nec nimis obvia; nullius enim esset pretii (a): 3) quae substantiae sit compactae, ne usu deteratur, et possessores paulatim pauperiores reddantur: 4) quae dividi etiam in partes minimas, ut in commercii aequalitatem obtinere sit possibile (b): et 5) facile custodiri, transferrique possit; alias enim idem maneret incommodum, quod ante inventum numum difficile reddebat commercium.

(a) Recte observavit ARISTOT. *Nicomachor. V. 8*, numum esse veluti fidejussorem, cujus vi, qui secum ferat, quae vis

venalia acquirere potest. Equidem, uti nemo fidejussorem accipit, nisi virum locupletem, in vili autem homine parum cautionis esse putat; ita pro re ubique occurrente, manipulo ex. gr. terrae, aut arenae, nemo res suas, magno labore ac industria partas, permutare vellet.

- (b) Partes, in quas dividi pecunia solet, *monetae* dicuntur, ab eo dictae, quod signi impressione de auctore, vel de pretio, nos moveant.

Cur ad id metalla nobilioria adhibita?

§. 614. Cum itaque in nulla alia re quinque haec adjuncta reperta essent conjuncta, quam in metallis, praesertim pretiosioribus, auro nimirum, argento, et aere; ideo haec metalla huic usui adhibere, et inde numos variae qualitatis, et ponderis cudere plerisque Gentibus cultioribus commodissimum visum est.

Schol. Cum vero non ex necessitate aliqua Naturae, sed ex hominum impositione, et conventionione pecuniae metallicaee usus, et ejus valor proveniat; nihil impedit, quod alias quaeque materias, vel a) ultro, vel b) per necessitatem, adhibere possint. Loco pecuniae *Carthaginensibus* fuisse, nescio quid pelliculae exiguae illigatum, et *Lacedaemoniis* pondus ferri inutilis, narrat AESCHIN. *Dial. de Divit.* C. 24; et refert PUFFEND. *de Jur. Nat. et Gent.* L. V. C. 1, §. 13. quamplurimos populos Africae, Asiae, et Americae Septemtrionalis certo quodam genere conchularum, granorum alborum, et nigrorum; sicut et baccis, massulis salis, cet., pro numo uti, et aurum, gemmas, aliasque res pretiosissimas *Belgis* et *Hispanis* pro speculis, cultellis, fistulis, et similibus donasse. De *papyro* autem, corio, plumbo, aliisque rebus in calamitate publica pro pecunia uti solere Nationes, ut recentiora nostri aevi exempla praetermittam, refert POLYAEN. *Stratagem.* III, 10.

Illae quisquiliae tamen, quibus Nationes barbarae pro numis utuntur, non nisi minutis commerciis inter se reci-

proce explicandis inserviunt; sicut et chartacea, coriacea que pecunia; cum enim pretio vulgari seu intrinseco destituta sit, commercii inter ceteras gentes conciliandis idonea non est, in unaque tantum gente pretii eminentis vice fungere potest. Ejusmodi pecunia pro symbolica, sive pro quibusdam tesseriis, vel chirographis habenda, quae Summi Imperantes, periculo defuncti, solido numo redimere pollicentur; ideoque *apollices* fortasse dicta, veluti *solutiones* quaedam, aut *solvenda*, a Graeco vocabulo ἀπόλυσις *olutio*; seu ἀπόλυσις *olutio*.

Quae autem omnium gens prima pecunia metallica usata fuisset, incertum est omnino. Illud autem probabile, Orientales ea primum, quam Occidentales usos fuisse; ex *Moyse* namque historia constat (GENES. C. 23, 37, et 42) *Abraham* campum ad sepeliendam uxorem suam *Saram* quadringentis siclis argenti probatae monetae emisse, et *Joseph* viginti argenteis a fratribus venditum *Ismaelitis* fuisse; filiosque *Jacobi* in Aegyptum ad emendum frumentum pecunia instructos ivisse. Ita ratiocinatur *Puffendorf*, persuasus, primos fuisse *Hebraeos*, aut potius *Phoenices*, utpote gentem navigationi, mercaturaeque deditam, qui usum pecuniae introduxere; pecuniae autem originem in pacto quodam inter primos inchoatum principium habuisse, et postea consuetudine, ac imitatione aliarum gentium veluti tacito quodam consensu apud omnes usitari coepisse. Ab Orientalibus enim, ait, hoc deducere Graeci, ab eis Romani, et ab his Germani, aliaeque gentes; paulatimque in eum statum res numariae redacta, ut nomi certa figura, pondere, et caractere donarentur, ut, quales essent, quidque, et quantum valerent, statim pateret.

Ad quem valorem pecuniae definire spectet.

§. 615. Quomodo in mutua rerum communi-
catione, per quam contractus explicantur, consistat commercium (§. 600); hoc autem non modo inter singulos homines, et ejusdem tractus, sed inter diversos populos, diversarumque regionum incolas locum habere pos-

sit (a); inde passim, et jure ac merito, receptum, ut cujuslibet reipublicae Principes, sicut rebus ceteris leges praescribunt, ita etiam rem monetariam constituerent, ut certus pecuniae valor esset (b); nullumque detrimentum in re suo cives paterentur.

(a) Secus enim, cum nec terrae omnes omnia ferre possint, multarum rerum usu, quas vita humana desiderat, locorum intervallo careremus. *Conf. VIRGIL. Georg. I. v. 54, et II. v. 109.*

(b) Ideo autem signanda pecunia, seu publica forma, et Principis icona ferienda, 1) ut probam esse constet; 2) unusquisque sciat, quantum accipiat; 3) certusque sit, tantum pro se, operaque sua accipere, quantum accipere debet. Quamobrem ausi, argenti, aerisque flandi ferendique facultate vel solus Imperans uti debet; vel, si monetam cudere aliis permittat, formam tamen, et valorem determinare, cavereque, ne ex re monetaria, quidquam detrimenti cives patiantur.

Signari dicitur moneta (unde pecunia signata, numerata), cum eisdem 1) inscribitur numerus, qui a) vel designat pondus materiae, ex qua constat, vel b) rationem ejus ad eam materiae quantitatem, quae in numerando pro unitate sumitur; aut 2) aliud quodvis signum, ex. gr. Imperantis effigies, gentilitii scuti insignia, cet., ex quo materiam non fuisse falsatam indigitatur.

Duo itaque pretia numus habet, a) *intrinsecum* scilicet unum, b) *extrinsecum* alterum; seu *materialae*, Gentium consensu ex pondere et probitate metalli stabilitum; seu *formae*, qui valor numerarius dicitur, Summi Imperii auctoritate constitutum.

Unde non immerito Numus, seu Numisma, dici solet *Argentum publico Imperii signo consignatum, ut pro communi mensura pretii rerum, operarumque omnium, quae sunt in commercio, inserviat.*

Quantum pretii statuendum sit numis?

§. 616. Quia vero pecunia instituta est non solum ad inter cives commodius expedienda commercia, sed et inter hos, et externos; ita idcirco ejus definiendum pretium, ut alias Gentes, quibuscum nobis commercia sunt, illud non adspernaturas sit probabile. Sequenda igitur ratio unius metalli ad aliud, quae apud plerasque Gentes cultiores in usu est, et quae ejus pretium intrinsecum constituit; adjiciendusque talis numerarius valor, qui non alios deterreat, quominus commercia nobiscum habeant (§. 615 not. a); neque ideo detrimentum cives patiantur.

§. 617. Si namque metalli vilioris pretii mistio, ad colorem et sonum necessaria, prout debet, non fuerit adtemperata; aut numis pretium plus justo fuerit assignatum, valde scilicet maius, quam argenti, aut auri massa, ex qua conflatur, continet; et pro fabricatione, et expensis in argento signando factis, addi solet; exteri a) commercium nobiscum habere dubitabunt; aut b) mercium suarum pretium pro ratione valoris interni nostrae monetae intendent; aut c) ad solam permutationem nostram redigetur commercium, deflorescetque penitus; haudquaquam enim per solam permutationem sustineri potest, nisi tantumdem, aut plus a nobis exportetur, quam importetur, et illi ipsi, quo-

rum mercibus indigemus, nostris vicissim indigeant.

§. 618. Quod si justo minus, seu quam quod suis monetis assignare solent Nationes ceterae, nostrorum numerorum fuerit pretium; vel eodem manente pondere illud minuere aliqua de causa Imperantibus placuerit, (ut ad luxum vitandum suadere solent popularis imperii amantes,) brevi tempore numos nostros ad se trahent vicinae Gentes, repenteque inter nos evanescent.

Praecipuus pecuniae numeratae usus.

§. 619. Cum inventa fuisset pecunia, ut aequivalens sit aliarum rerum aestimationis capacium, atque illis in permutatione substituat, maiusque sit semper ejus pretium, quam intrinsecum, seu metalli, ex quo conflatur, vulgare pretium; et per actum permutatorium ex dominio unius in dominium alterius transeat; evidens, praecipuum, ac ordinarium pecuniae usum in ejus alienatione consistere.

Schol. Hodie tamen inservit etiam pecunia numerata (dicimus numerata, quia juxta loquendi Ictorum usum pecuniae significatio ad omnia, quae in patrimonio sunt, refertur,) pro magnitudine patrimonii cujuslibet aestimanda; divitiae namque, commoditates, paupertas, egestas, et mendicitas cujusvis pecunia aestimantur. Ille igitur dicitur dives, qui pecuniam superfluum habet; pauper, qui non nisi tantum pecuniae labore suo acquirere valet, quantum ad res necessarias comparandas sufficit; egenus, qui ne quidem tantum acquirere valet; et mendicus, qui ne tantum

lum quidem, quantum ad res, quas extrema vitae necessitas exigit, comparandas sufficit.

Vid. GROTIUS. *de Jur. bel. et pac. L. II. C. 12*; PUFENDORF. *de J. N. et G. L. V. C. 1*; et *de Off. H. et C. L. l. C. 14*; HEINEC. *de J. N. et G. L. l. C. 13*; WOLFF. *de J. N. et G. Part. IV. C. 2*; DE FELICE *Leçons de Droit de la N. et des G. Lec. 28.*

C A P U T VIII.

DE PACTIS ONEROSIS, SEU VARIIS PERMUTATIONUM FORMIS.

§. 620. **I**Nnumeri sunt modi, quibus res, operas, vel jura nostra cum rebus, operis, juribusve alterius permutamus. Cum itaque de omnibus verba facere sit propemodum impossibile; eos idcirco, qui sunt frequentiores specialique nomine designantur, tantummodo referemus, ac exponemus.

De permutatione speciatim; seu de rei cujuslibet commutatione cum alia.

§. 621. Pactorum, quae διπλωρα, seu bilateralia, onerosa, permutatoria (§. 535), et contractus speciatim (§. 600) dicimus, praecipuum, magis frequens, atque vetustissimum est ipsa permutatio. Primi enim mortales non aliter ante repertum nummum sua commercia exercebant, quam rerum, operarumque sua-

rum permutatione (§. 611 not. a); et etiam nunc Gentes omnes, non solum quae auro, argento, et aeri nullum statuunt pretium, sed et quae jam pridem pecuniae numeratae usum habent, per hunc modum, ac identidem, suum commercium faciunt.

Quid permutatio, et quae ejus species?

§. 622. Est *permutatio* rei nostrae pro re alterius datio; seu *contractus*, quo *pretium vulgare*, pro *vulgari praestatur* (§. 610). Dupliciter fieri solet, vel 1) neutram rem aestimando, nullumve ejus certum pretium statuendo; vel 2) pretium determinando, et utriusque rei permutandae tribuendo. Illa *simplex*; haec *uestimatoria* dicitur.

Obligations, et jura permutantium.

§. 623. Perfectus manet permutationis contractus, simulac in idem pactores consentiant, quin immediata traditione sit opus (§. 505, et 540). Quia vero permutantes nihil in alterum gratis transferre, sed tantumdem ab eo recipere, adeoque servari *aequalitatem* volunt (§. 602); eorum officium erit 1) rei vitia manifestare, et 2), si quaedam latuissent, vi conditionis naturalis (§. 533) inaequalitatem tollere (a), omnemque laesionem emendare.

(a) Quotiescumque vero *simplex* fuerit permutatio, cum veluti *mutua donatio* spectetur, nulla aequalitas in ea requi-

ritur, nec de laesione ulla conqueri paciscentes possunt; nisi alterius vis, aut dolus accesserit; vel alter libera de rebus suis disponendi facultate non gaudeat.

§. 624. Et cum in naturali statu rerum pretia a cujusvis arbitrio pendeant, nec quisquam teneatur in aestimanda re sua aliorum iudicio stare (§. 607); aequales res erunt, quas contrahentes tales esse judicaverint. Jure igitur permutantes gaudent rei, quam alienant, valorem tribuendi; 2) eique parem, quam vicissim acquirunt; dummodo nihil de his, quae ipsam rem contingunt, errore, dolove reticeatur (§. 507, et 510). *Conf.* §. 607 *Schol.*

De emptione et venditione; seu de rei cujuslibet commutatione cum pecunia.

§. 625. Quotiescumque vero rem aliquam non cum re altera, sed eum certa tantum pecuniae numeratae quantitate commutamus, ejusmodi contractus proprie ac speciatim *emptio* ac *venditio* dicitur, definirique solet *contractus de re pro certo pretio tradenda*.

Hujusce contractus essentialia.

§. 626. Ad hujusce contractus essentialiam pertinet 1) *consensus*; 2) *merx*; et 3) *pretium*. Quoties itaque 1) de re, et pretio, atque in idem vere ac libere paciscentes consenserint (§. 502 — 516); et 2) merx a commercio per leges non sit exempta (§. 521 — 527); et 3)

pretium, vel legitimum, vel conventionale; hocque aequum, certum, et determinatum, fuerit eminens (§. 612); aliter enim non venditio, sed permutatio esset; perfectus manet contractus (§. 505, 537), quin amplius poenitentiae detur locus, etiamsi rei traditio, ipsiusve pretii solutio nondum accesserit (§. 505, 540).

Accidentalia.

§. 627. Cum patiens voluntas sit suprema pactorum lex (§. 532, et 535. Schol.), dummodo physice ac moraliter consentire valeant (§. 517); pactaque sua pure, aut sub conditione, prout ipsis placuerit, conficere possint (§. 532); evidens, venditionis etiam contractui qualiacumque pacta adjicere eos posse, modo non improba, fraudulentave sint. Sunt autem frequentiora:

§. 628. I. *Addictio in diem*, seu pactum de venditione a) perficienda, si intra certum diem nemo plus pretii; vel b) rescindenda, si alter plus pretii obtulerit.

II. *Lex commissoria*, seu pactum, quo venditor rem inemptam fore cavet, si pretium intra certum diem emptor non solvat.

III. *Pactum de retro vendendo*, seu de re empti venditori, ejusque posteris, intra certum tempus vendendi; aut quodcumque venditor acceptum pretium restituat.

IV. *Pactum pratimeseos*, quo venditor sibi stipulatur, ut, si res ab emptore quodcumque

que vendita fuerit, ipse tantumdem offerens reliquis omnibus praefertur.

V. *Pactum constituti*, quo venditor rem, quam vendidit, se jure *conductionis* possidere, ac retinere constituit.

VI. *Pactum de praestanda poena*, in casu poenitentiae, vel *de amittenda arrha*, aut *in duplum* a venditore *solvenda*: sicut et alia plura, veluti a) *adfectio diei*, quo res, pretiumve sit tradendum; et an b) aurea, argentea, chartaceae pecunia solvendum; c) *patetum*, quo emptor idem pretium, vel ejus partem sub usurarum lege secum retineat; et alia ejusmodi; quae, modo bona fide, sineque dolo, et fraude adjecta fuerint, eodem jure, quo pactum principale, obligant (§. 505).

Obligations, et jura ex eo contractu emanantia.

§. 629. Et cum hujusce contractus, sicut et ceterorum omnium, quos permutatorios dicimus, praecipua lex sit aequalitas (§. 602), et neuter contrahentium aliquid gratis concedere velit, sed tantum ab altero recipere, quantum in ipsum transfert; pleno fuit alveo, 1) emptorem pretium, nisi aliud conventum fuerit, aut usus alterius fidem sequatur, statim dare teneri, venditorem autem incertam; et 2) emptorem, re in specie vendita, jus in re ante traditionem acquirere (§. 540);

venditoremque certae speciei debitorem manere; ac proinde rem, si casu pereat, ipsi emptori perire; et, si venditor eam iterum alienaverit, irritam secundam alienationem esse.

Schol. Disputari solet de periculo et commodo rei venditae, et nondum traditae, statim ne illud ad emptorem transeat, simulac de re et pretio convenierit; an, quia nondum sit tradita, venditori imputari debeat?

Equidem, si ad rei dominum casus omnes pertinere dicendum, nullum dubium est, incommoda, commodaque omnia, fructus, et accessiones ad emptorem pertinere; jus enim, quod in re prior dominus habebat, ad emptorem statim, ac in idem mutuo consenserunt, transit, consequenterque dominium, utpote res incorporalis, quae de manu in manum tradi nequeat; repugnans enim esset, rem aliquam cedere alteri, et illum ullum jus in ea habere nolle (§. 540). Ipsimet ICI Romani, qui ante traditionem nullum jus exercere stipulatorem sinunt (§. 540 *Schol.*), *emptio*nis contractum, et quatuor alios, quos ideo *consensus*ales nominant, *locationem* scilicet, *emphyteusim*, *societatem*, et *mandatum* excipiunt.

Aliud tamen dicendum, 1) si res est antiquo vitio; aut 2) venditoris culpa, dolove aliquo perierit; 3) venditorve in mora fuisset, et rem tradere vel nollet, vel non posset; aut 4) casum in se suscepit; aut 5) res ad gustum, pondus, numerum, aut mensuram venditae, et nondum gustatae, adpensae, adnumeratae, aut mensuratae fuissent, cetera, de quibus omnibus ex imputationis regulis judicandum.

§. 630. Eadem ratione venditoris officium erit, 3) rei qualitates, vitia, oneraque omnia, quae in oculos, sensusque reliquos non incurrunr, emptori indicare (a); et 4) pati, ut emptor rem lustret oculis, aliisque modis quibuslibet exploret; sicut et 5) evictionem praestare, si res ab emptore ex causa aliqua contractum antecedente fuerit evicta (b); omnemque 6)

laesionem emendare (c), sive a justa ignorantia, erroreque essentiali, sive ab alterutrius dolo, aut vi proveniat (§. 507 → 516).

(a) Jure Romano etiam vitia, quae nota essent, indicare tenebatur venditor, reticentiaeque suae poenam ferre. Eo pertinet *lis M. Mar. Gratidiani cum C. Serg. Orata* apud CICERO. *de Off. III*, 16, et altera *ibid.* 12 de Mercatore, qui frumentum ab Alexandria Rhodum importaverat, in Rhodiorum inopia, et fame, summaque annonae caritate, et sciens quamplurimos alios mercatores Alexandria solvisse, illud Rhodiis occultavit, frumentumque magno pretio vendidit.

Sunt tamen vitia, et qualitates, quae in omnium oculos statim incurrunt, et quae indicare supervacaneum quidem est. Eum, qui in ejusmodi decipiatur, caecitatis, et negligentiae suae ferre poenam, rationi repugnans non videtur.

(b) *Evincere* apud ICTOS est rem, quam alius legitimo jure adquisierat, judiciali auctoritate recuperare: *evictio* autem rei mandato judicis recuperatio; et *evictionis actio*, facultas indemnitatem rei a nobis evictae adversus venditorem persequendi.

(c) Jure Romano *L. 2. Cod. de rescind. vendit.* non ob quamcumque laesionem, sed ob enormem tantum, ultra scilicet dimidium, rescindebatur emptio. In eo autem casu arbitrio emptoris relinquebatur vel rem, quam minoris emit, tradere, vel id, quod aequo pretio deest; supplere. *Conf. §. 507 — 517.*

De locatione et conductione; seu de usu rei cujuslibet non fungibilis, aut operae, cummutatione cum pecunia numerata.

§. 631. Solent etiam homines, suis subveniendis indigentibus, cum ab aliis illud, quo egent, sibi gratis comparare nequeunt, pro usu rei alicujus non fungibilis; aut pro opera aliqua, quam facere minime eis subjective

contingens est (§. 18, et 75), certam pecuniae numeratae quantitatem dare alteri, prout rei usui, aut operae respondentem esse conveniunt (a). Dicitur iste contractus *locatio et conductio*, definirique solet: *Contractus de rei non fungibilis usu (b) ad certum tempus (c), vel operibus (d), pro certa mercede, praestandis*. Qui usum rei promittit *locator* dicitur; qui operas *mercenarius*; et qui pecuniam, seu mercedem, aut pensionem solvit, *conductor*; et speciatim, si aedium, *inquilinus*; et si agrorum *colonus*.

(a) Est ipsum commodatum, et precarium non gratis, sed pro mercede concessum (§. 589 *Sebol.*).

(b) Si enim fungibilis fuisset, non usus, sed dominium transferretur (§. 587).

(c) Si enim in perpetuum, aut ipsa res, aut ejus dominium daretur, non utique ejus usus concessus fuisset; neque locatio, sed emptio esset.

(d) Est ipsum depositum, mandatum, negotiorum gestio, et quaevis aliae operae illiberales, quae pretium recipiunt, non gratis, sed pro mercede tantummodo praestitae.

Locationis essentialia.

§. 632. Eadem, quae venditionis, admodum enim paulum inter se discrepant isti contractus, *locationis* requisita sunt; eademque paciscentibus quoad modum se obligandi *facultates*. Ad *locationis* igitur substantiam requiritur, 1) *consensus*; 2) *res, vel operae*, quae locandae; et 3) *merces* (ita enim *locationis* pretium dici solet), pro qua locatur. Quae itaque de

unoquoque horum, tamquam venditionis adjunctis, dicuntur, eadem de ipsis quoad locationem asserenda. Perfecta igitur locatio erit 1) simulac paciscentes in idem convenierint; 2) res aut operae non sint a legibus prohibita; et 3) pretium definiatur, fueritque eminentis, vel legitimum, vel conventionale, hocque aequum, certum, et determinatum.

§. 633. Quotiescumque autem locationis pretium in pecunia numerata non constituatur, non amplius locatio, sed permutatio erit; vel contractus *do ut des*, aut *do ut facias* (a). Si ergo stipuletur locator, ut colonus partem fructuum agrorum ei quotannis praestet, non conductor, sed *colonus partiaris*, vel potius ejus socius erit; et si pro mercede pecuniaria stipuletur, ut ex. gr. quotannis certos ei praestet in specie fructus, aut res alias, veluti sues, arietes, galinas, cet., etiam non locatio, sed contractus *do ut des* erit, vulgo *arrendamento*.

(a) Ita Majoribus nostris placuit, ut permutatorios contractus inter se distinguerent; alias enim ad permutationes aestimatorias (§. 622) pacta omnia permutatoria reducerentur. Nullum enim dubium est, tam locationem, quam venditionem fieri posse, vel per numeratam pecuniam; vel per quancumque aliam rem certam, et determinatam, cujus pretium vulgare eminenti sit aequale. In verbis itaque magis, quam in re differentia posita.

Accidentalibus.

§. 634. Ad ejus autem accidentalibus pertinent pacta illa, quae adjicere paciscentibus placuerit (§. 532), veluti 1) ut conductor

sublocare non possit; 2) ut mercedem det in antecessum; ut 3) nulla sit locatio, si merces certo die non solvatur; ut 4) rescindatur, seu statim cesset, ubi vendita res, vel propriis usibus locatori necessaria sit, cet.

Obligaciones, et jura locatoris.

§. 635. Cum autem aequalitas praecipuam hujusce contractus legem constituat (§. 602), et religiose servanda pacta sint (§. 537); *locatoris officium* erit 1) rei usum, vel operas conventas per tempus definitum praestare (§. 505), quin ei liceat citius, etiam ob propriam indigentiam, conductorem re locata expellere (a); 2) rei locatae vitia, ex quibus damnum quodlibet sequi possit, conductori detegere; veluti si equus ex. gr. sit calcitrosus, si certo anni tempore ab inundatione periculum aliquod in aliquibus aedium partibus immineat, cet. Si enim sciverit, vitiosam rem locatam esse, ad id, quod interest, certe quidem tenetur (§. 359); et, si ignorantia invincibili ejus vitia ignoret, etsi ab imputatione sit liber (§. 196), cum tamen debitum usum res locata non praestat, mercedem, aut pensionem remittere, saltem pro rata, debet (§. 472, et 508); et 3), cum rem usui conducto aptam praestare tenetur, necessarias impensas, sine quibus usum conductum habere res locata non pot-

terit, conductori restituere. Impensas tamen utiles, et voluptuarias, sine locatoris consensu facere conductori non licet; non enim rei dominus est, neque locator ad alium usum, quam conductum, rem suam aptam præbere tenetur.

(a) Sunt, qui locatorem a domo locata expellere conductorem posse contendunt, 1) quotiescumque ei propriis usibus necessaria sit; veluti si, quam inhabitat, corruat, aut uxorem ducat, et pluribus aedibus indigeat, aut quævis alia necessitas urgeat, quæ post locationis contractum celebratum inopinato accidat: vel 2) quotiescumque domum reficere velit. Servanda tamen data fides, et promissis conventis standum (§. 537). Licet hoc locatori tantummodo erit, si domum aliam similem, et æque commodam conductori, absque ullo ejus sumptu, apparaverit; aut si conductor, mercede pro rata remissa, in id consenserit; vel si re locata conductor abutatur, conventionemve mercedem non solvat (§. 602).

Et cum adimpleri debeat pactum, prout inter paciscentes conventum, ipsi locatoris heredes ab obligatione illud adimplendi usque ad definitum tempus se exsolvere nequeunt, neque conductoris heredes a jure in eos ejus morte transmissio privari (§. 537, et 562).

Ipse emptor, si locationis tempore rem locatam dominus vendat, conductorem ante finitum tempus expellere nequit; non enim plus juris in emptorem transferre prior dominus potest, quam ipse habet (§. 523, et 524).

Neque etiam impedire locator potest, ni aliud fuerit conventum, ut conductor jus utendi alteri cedat, vel rem locatam sublocet, dummodo a) mercedem conventam solvat, (etiãmsi a suo conductore maiorem, vel minorem accipiat,) et b) in sublocatione caveat, ne res in alios usus convertatur, quam in quos fuerat conducta. Cum enim ad omne damnum, si adsit, reparandum obstrictus maneat (§. 472), nihil contra jus locatoris committit, neque eum in ullo suo jure lædit (§. 161).

Obligaciones, et jura conductoris.

§. 636. Quoad autem *conductorem*, ejus *officium* erit, 1) *re locata*, quippe *aliena*, et in specie *reddenda*, non *abuti*, nec in *alios usus*, quam quibus *locata*, *convertere*: 2) ac *proinde* *damnum* sua culpa *datum*, veluti si *deterior* facta, vel *prorsus destructa* fuerit, *reparare*: 3) *rem*, durante *locationis* tempore, non *deserere*, praesertim si *rusticum* fuerit *praedium* *conductum*, nisi *justae* *causae*, veluti *hostium* *incurtio*, *metus* *pestis*, *similesque* *casus* *conductor* *id* *consilii* *extorqueant*; cum enim a *locatore* *jure* *exigat*, ut *res* *sibi* *integra* et *salva* *tradatur*, et *indemnis* *praestetur*, ab *eaque* *ante* *tempus* *conventum* *non* *expellatur*; *aequissimum* est, ut, quod *ipse* *sibi* *vult*, vel *non* *vult* *fieri*, *id* et *alteri* *faciat*, vel *non* *faciat*; *maxime* cum in *hoc* *contractu*, tamquam *oneroso*, *merito* *servanda* *sit* *aequalitas* (§. 602): et 4) *finito* *locationis* *tempore* *rem* *conductam* *domino* *reddere* (a): 5) *mercedemque*, aut *pensionem* *conventam* *justo* *tempore* *solvere* (§. 539).

(a) Si enim tempore locationi praestituto elapso rem locatam non restituit conductor, in eaque permaneat, domino sciente, et non contradicente, cum verus sit etiam tacitus consensus, relocata merito intelligitur res, iisdemque legibus et conditionibus, quas uterque contrahentium in priori locatione probaverat.

De remissione mercedis, aut pensionis.

§. 637. Cum aequitas sit praecipua bilateralium contractuum lex (§. 602); et locator ad praestandum rei usum obligetur, conductor autem ad mercedem, seu pensionem pro usu convento; evidens quidem est, locationi, sicut et ceteris omnibus pactis bilateralibus, generalem illam naturaliter inesse conditionem, *praestabo, si praestiteris*; consequenterque ad mercedem, seu pensionem solvendam solum teneri conductorem, cum res locata conventum usum praestet.

§. 638. Si ergo ex. gr. tota domus, vel ipsius pars terraemotu, incendio, sine conductoris culpa, aliove quovis modo, veluti si tectum, ostia, fenestrasve corruptas locator non restituat, inutilis reddatur: si locatoris culpa, vel casu, contingat, ut conductor re locata, vel operibus promissis uti nequeat, ex. gr., si currus fractus fuerit, si moriatur equus locatus, vel si operas praestare nequeat (a); aliam domum aequè commodam, alium equum, alium currum, et alium qui operas conventas praestet, sine ullo conductoris sumptu, apparare locator tenetur; vel mercedem perdere, et damnum etiam, si alicujus fuit causa, resarcire (§. 359. et 537).

(a) Si operarum locator promissa, ut inter eos conventum, conductori non exsolvat, sed viciosum fuerit opus, ad illud corrigendum sine ulla alia mercede tenetur; vel, si non

possit, pretium materiae domio reddere, et opus vitiosum retinere; est enim aequalitas praecipua ac essentialis bilateralium pactorum lex (§. 602).

Quid vero, si operarum locator in eis praestandis, aut conficiendis, aliquod damnum patiatur, ex. gr., si fregerit, perdideritve instrumenta sua, vel aliquod malum physicum patiatur? Ad ejusmodi damnum praestandum nulla obligatione perfecta tenetur conductor (§. 203, III, et IV, et 596 n. b).

§. 639. Eadem ratione, si adeo inundetur ager, ut tota seges corrumpatur, aut aquae tardius recedant, quam ut ager seminari possit; si incuria hostium, tempestate, aut locustarum multitudine agrum depascente, vel quovis alio sterilitatis genere stantos deperdantur fructus, aut agrum colere sit impossibile; mercedem, aut pensionem, vel totam, vel pro damni dati rata, remittendam esse exoptulat aequitas. Cum enim pensio in recompensationem fructuum percipiendorum constituta, et pro quantitate fructuum praedii determinata sit, quomodo pro non natis praestanda? aut quomodo pro fructibus exiget locator, quos nec ipse, si praedium non locasset, percipere potuisset?

§. 640. Aliud tamen dicendum est) si aliqua conductoris culpa praecesserit; vel 2) si ipse casus fortuitos, solitos, et insolitos, in se ultro suscepit; est enim paciscendum voluntas suprema pactorum lex (§. 535); vel 3) si in plures annos facta locatio et conductio fuerit; sicut enim nullum loca-

tori ad plus, quam conventum, recipiendum, aut exigendum jus est, cum fructibus valde locuples sit annus; ita etiam nullum conductori jus, cum fructibus non exuberet, ad minus, quam conventum, praestandum, remissionemve petendam. Ex fructibus namque per totum locationis, et conductionis tempus aestimari, compensarique potest, et debet damnum, ex sterilitate ortum; eoque modo in ejusmodi pactis, vulgo *arrendamentos*, unquam justa cum ratione conqueri de inaequalitate paciscentes poterunt.

§. 641. Locum etiam nullum habet pensionis remissio, 4) cum agri in *emphyteusim* fuerint dati; nulla enim proportio inter pensionem emphyteuseos et praedii fructus servatur, sicut in locatione et conductione praediorum; sed modica tantum pensio, vulgo *canon, foro*, in agnitionem domini exigi solet, a qua proinde solum liberari poterit emphyteuta, si res tota pereat, nullaque exstet causa, in qua pensio nitatur. *Conf. HEIN. in Inst. Jur. Civ. L. III. tit. 24, et 25; et Clariss. MELLIUM Inst. Jur. Civ. Lusit. L. IV. tit. 3.*

De commutatione domini utilis, et 1) cum aliqua re; seu de emphyteusi.

§. 642. Non modo autem res, sed jura ipsa cum rebus, aut operibus commutare homines solent, prout necessarium, magisque

utile eis videatur. Contractus autem, quo dominium utile (§. 471) praedii alicujus alteri in perpetuum, vel ad tempus non modicum, pro certi canonis, seu modicae pensionis annuae, in recognitionem dominii directi praestatione conceditur, dicitur *emphyteusis*, a τὸ ἐμφορτεύειν, seu *implantando*, *inserendo*; mos erat enim Aegyptiis, Hebraeis, Graecis, et Romanis loca inculta, et nondum aratro subacta, civibus ea lege dare, ut ea colerent, et dominium utile consequerentur; annuam tamen pensionem in recognitionem dominii directi solvere tenerentur.

§. 643. Res, in qua emphyteusis constituitur, *emphyteutica*, vel *bonum emphyteuticum*, *emphyteusis*, et Lusitane *praso* dici solet; qui eam possidet, *emphyteuta*, seu *foreiro*; qui eam concedit, *dominus emphyteuseos*, *dominus directus*, *senhorio*; et pensio praestanda, *canon*, *foro*; contractus autem, quo emphyteusis constituitur, *emphyteuticus*.

Schol. Vocabulum *emphyteusis* diversae accipi solet, videlicet 1) pro re ipsa jure emphyteutico concessa; 2) pro jure in re, quod ex contrahentium conventionem sequuta traditione acquiritur; et 3) pro ipso contractu, per quem jus hoc constituitur, Lusitane *afforamento*, *praso*.

Ante Imperatorum *Zenonis* et *Justiniani* tempora proprio nomine iste contractus carebat; non enim satis inter se conveniebant Icti, ut asserere possent, esse titulum habilem ad dominium transferendum, an ad emptionem et venditionem, an ad locationem et conductionem pertineret. Omne vero dissidium Imp. *Zeno* composuit, propriam ei tribuens naturam, ab aliis contractibus omnina diversam, tamquam ab illis valde differenti; in ven-

ditione etiam 1) plerumque dominium transfertur; 2) intercedere debet pretium eminens, rei valori congruens; et 3) nihil amplius venditori praestatur; in locatione autem, etiam ad longum tempus, 1) non dominium utile, sed usus tantum conceditur, et 2) pensio non modica, sed fructuum aestimationi respondens solvitur.

Fuerunt Romani, qui primi hunc contractum invenere, et ex eorum Jure deducta fuerunt vocabula *canon emphyteuticus*, *laudemium*, *jus revocationis*, *protimeseor*, *commissi*, *caducitatis*, cet. Apud eos fundi publici *vectigales* erant alii, et alii non *vectigales*; illi qui ineulti, infructuosi ac deserti; et ideo eos in perpetuum, vel ad longum tempus pro annuo, et modico vectigali colendos et plantandos civibus dabant: isti, qui culti, et fertiles; et ideo ad modicum tempus, lustrum scilicet, locabant, pro certa mercede fructibus, qui ex eis percipiebantur, congruenti.

Sunt qui antiquiorem hunc contractum faciunt; eumque jam apud *Aegyptios*, *Hebraeos*, et *Gracos* in usu fuisse contendunt. Nobis vero *emphyteuticus*, sed *ceniticus* erat contractus, qui in frequentiori usu apud eos positus.

Dicitur contractus *ceniticus*, sive *cenualis*, quo quis non modo rem dominatam utile sed directam etiam; et plerumque in alterum donatione, venditione, permutationeve transfert, reservata pensione, seu annuo censu, in fructibus ex illa provenientibus, vel certa etiam numeratae pecuniae quantitate, singulis annis solvenda. Hujus constat exemplum in GENES. C. 47. v. 23, et seq. ubi legitur Josephum terras, dominio *Pharaonis* titulo permutationis cum tritico subjectas, Aegyptiis dedisse sub annuo censu quantae fructuum partis.

Reservativus nominari solet iste census ad alterius differentiam, quem vulgo *consignatum*, seu, quia emptione ac venditione acquiritur, *emptium* appellant, de quo infra.

Emphyteuticos essentialia.

§. 644. Ad hujusce contractus essentiam pertinet 1) consensus; 2) res immobilis, in qua emphyteusis constituatur (a); 3) canon annuus, seu modica pensio, pro agnitione domini tantum, non vero pro fructuum com-

pensatione, velut locationis mercede, solvendus (*b*); et 4) cetera omnia, quae generatim ad substantiam pactorum, ne in alia pacta abeant (§. 589 *Schol.*), requiruntur, et speciatim a civilis societatis legibus praescripta sunt.

- (*a*) Vel solo inhaerens, quae meliorationem, alienationem, et dominium recipere possit, veluti aedes, moletrinae, quaevisque praedia, rustica, aut urbana; culta, aut inculta.
- (*b*) Tam in fructibus, quam in pecunia, et rebus quibuscumque constitui potest.

Accidentalialia.

§. 645. Ad accidentalialia autem illa pacta omnia pertinent, quae adjicere paciscentibus placuerit, dummodo bonis moribus, civilisque societatis legibus non adversentur. Frequentiora autem sunt 1) pactum super temporis spatio, quo emphyteusis permanere debeat, an scilicet in perpetuum (*a*), an ad tempus (*b*); 2) super qualitate et quantitate canonis, temporeque solutionis; 3) super laudemio (*c*) in casu alienationis; 4) super detrimento, et periculo rei; 5) super privatione, conservationeque juris, canone non soluto; 6) super alienatione, successione, nominatione (*d*); aut aliis quibuscumque articulis, modo substantia contractus non subvertatur.

- (*a*) Antiquis Lusitaniae Legibus denominari emphyteusis perpetua solet per vocabula *fateusim*, *emfatiota*, *afforamento*.

(b) Inter nos temporalis emphyteusis tres saltem generationes, quas *vidas* dicimus, complectitur.

(c) *Laudemium* a laude dicitur, quasi laudis, aut approbationis alienationis praemium, seu a *leude*, quod vocabulum in antiquis legibus significat munera, seu *compositionem* quamdam, quam homines *lodes*, seu *loudei*, id est homines subditi, feudatarii, vassalli, homagioque subjecti praestare domino tenebantur.

Jure Romano ad quinquagesimam pretii partem redactum erat. Cum tamen ad substantiam contractus minime pertinere, contrahentium voluntate definiri potest, illudque augere, minuere, tollereque etiam poterunt, prout ipsis placuerit.

(d) Hinc emphyteusos distinctio in a) *hereditariam*, b) *familiarem*, et c) *nominatiōis*. Hereditaria, quae conceditur Titio, ex. gr., et ejus heredibus quibuscumque, etiam extraneis, vel *pura* est, si qualitatem heredis tantummodo in successore exigat; vel *mista*, si praeter heredis qualitatem, filium aut filiam esse, aut masculi qualitatem requirat. Familiaris quoque vel *pura* est, si Titio, ex. gr., ejusque familiae concedatur; vel *mista*, si certos de familia vocet, puta filios masculos, eosque legitimos. Emphyteusis nominatiōis, quae ut plurimum per tres vitas, seu generationes conceditur, ea dicitur, in qua facultas emphyteutae permittitur, tam inter vivos, quam mortis causa (§. 548), successorem eligendi: ea autem facultas vel *libera* esse potest, quando a) successorem quemcumque nominare *emphyteutae licet*; vel *restricta*, quando b) unum tantum de familia; vel c) unum ex heredibus. Unde distinctio emphyteusos cum facultate nominandi in a) liberam, b) familiarem, et c) haereditariam. Omnis autem emphyteusis, quae hereditaria non est, vocatur *de pacto et providentia*.

Obligationes, et jura domini directi.

§. 646. Ex hujusce contractus natura manifestum fit, teneri dominum directum 1) rem emphyteuticam secundum contractus legem tradere; et 2) emphyteusin, si absque pos-

CAP. VIII. DE PACTIS ONEROSIS. 411

essoris culpa fuerit extincta, ex. gr. ob generationum extinctionem, aliamve causam, quæ ei non sit imputabilis, renovare; seu illis concedere, qui, si non extincta emphyteusis fuisset, succedere poterant; æquitati namque repugnat, ut quisquam alterius damno, aut jactura locupletetur, et emphyteutæ descendentes, heredibus, et successoribus emphyteusis auferatur, quam majores sui propriis expensis coluerunt, ac meliorem reddiderunt. Hoc ipsum Agriculturae favor, utilitasque publica exigit.

§. 647. Jure autem gaudet 1) canonem percipiendi; 2) jure protimeseos (§. 627, IV), seu retractus, ut aiunt, aut praelationis (a); 3) jure alienationem probandi, seu confirmandi, et laudemium percipiendi (b); 4) jure renovationis; et 5) jure consolidationis, seu utriusque domini conjunctione, a) titulo commissi, et *caducitatis*, vel b) devolutionis; cum scilicet a) canonem emphyteuta non solvat, aut rem inconsulto domino alienet, eave sua culpa deterior fiat; vel b) cum extinguatur emphyteusis, finito tempore, ad quod concessa fuit, vel omnibus deficientibus, qui ad illius successionem primordiali institutione vocantur; adeoque nulli existent heredes, si *hereditaria* fuerit emphyteusis; vel nulli descendentes, adscendentes, vel collaterales, si *familiaris*; aut, si *nominationis*, nemo expresse, vel tacite vocatus fuerit.

- (a) Quamvis enim emphyteusis, seu dominium utile, summo jure in alium transferre possit emphyteuta, exigit tamen aequitas, ut ceteris paribus praeferatur dominus; cum nullum inde emphyteuta detrimentum patiatur, sive pretium a domino, sive a quovis alio accipiat.
- (b) Ideo domino inscio, et inconsulto, fieri non debet alienatio, 1) ne jure suo profimescens, et laudemii defraude- tur; 2) inutilisve emphyteuta ei ignorantibus obtrudatur; 3) aut, quis sit novus emphyteuta, a quo annuum cano- nem accipere possit, ipse ignoret, damnumve aliquod pa- tiatur.

Obligaciones, et jura emphyteutae.

§. 648. Tenetur autem emphyteuta 1) prae- dium in melius referre, est enim iste prae- cipiendus finis, ob quem concessa emphyteusis; et 2) canonem singulis annis solvere, quin sterilitatis praetextu, incursionis hostium, interitus partis praedii, alteriusve cujuslibet casus fatalis, cujus causa praedio uti ne- queat, ejus remissionem, aut diminutionem petere possit. Cum enim non in fructuum compensationem, sed in agnitionem tantum domini directi solvatur, et ideo in re etiam minima constituatur (§. 644), evidens do- minium agnoscere emphyteutam teneri, sive re uti, aut non uti possit. Et, quoniam fru- ctus omnes ex emphyteusi provenientes capit, tenetur etiam 3) tributa, collectasque omnes occasione emphyteuseos impositas, sicut et cetera onera ei inhaerentia, solvere; et 4) omne damnum in re contingens ferre, quin impensas ullas, quippe in propria re factas, et quas facere tenebatur, repetere possit.

§. 649. Ei tamen, quoniam dominio utili gaudet, jus est 2) omnem utilitatem, emolumenta que omnia ex emphyteusi provenientia capiendi; 2) eam a quocumque possessore vindicandi; 3) in successores quoscumque, prout ejus natura fuerit (§. 645 not. d), transferendi, sive jure nominationis, sive ex testamento, vel quovis contractu, veluti donatione, permutatione, venditione, locatione, et subemphyteuticatione (a), dummodo domini praecedat consensus (§. 647. not. b).

Ea omnia a voluntate paciscentium, et Juris Positivi constitutionibus omnino pendet. *Conf.* HEINEC. in *Instit. Jur. Civ. L. III. tit. 25*; et Clariss. MELLIUM *Instit. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 11.*

(a) Ea est subemphyteuticationis natura, ut, cum in emphyteusi constituatur, nihil quoad primaeve emphyteuseos contractum immutetur; ac prout emphyteuta a) iisdem obligationibus obstrictus sit, b) iisdemque juribus dominus gaudeat; c) extincta emphyteusi extinguatur subemphyteuticatio; d) extincta vero subemphyteuticatione existat emphyteusis, et rursus emphyteuta suis juribus integre fruatur.

Schol. Similis emphyteusi, et subemphyteuticationi, est contractus, quem *libellarium* dicunt, a *libella*, minimi valoris moneta, seu mensura tritici ad unius diei victum tantummodo sufficienti. Est autem contractus, quo emphyteuta, seu vassallus (§. 650), praedium, quod ipse in emphyteusin aut feudum habet, certo pretio alteri ea lege dat, ut a) quotannis libellam solvat, seu canonem, vel pensionem in re minima stabilitam, et b) statuto tempore contractum renovet, quadam pecuniae summa soluta, eaque paciscentium, aut alicujus boni viri arbitrio determinata.

Est et alius contractus emphyteusi quoque similis, quem *superficiarium* nominant, quò sub certa pensione annua, quam *salarium* dicunt, jus habendi aliquid aedificatum, plantatum, vel superimpositum in alieno solo alteri conceditur. Ab emphyteusi vero differt, 1) quia species locationis sit, et 2) superficiarius jus tantum in superficie habeat, aedibus scilicet in alieno solo suis sumptibus aedificatis, aut horto, vinea, arboribusve in eo plantatis; emphyteuta vero non solum in superficie, sed et in ipso solo, univèrsoque praedio. *Conf. WOLF. Instit. Jur. N. et G. Part. II. C. 16. §. 731, et seq.*

De commutatione dominiî utilis 2) cum operibus; seu de contractu feudali.

§. 650. Contractus autem, quo dominiû utile cum operibus, non vero rebus commutatur, dicitur *feudum*, deducto nomine a foedere, seu a fide, aut a Germanis, vel Italis vocibus *fede*, *feide* (a). Definiri solet contractus; quo alicui res immobilis, aut immobili aequivalens, cum translatione dominiî utilis, sub onere fidelitatis, servitiî, aut cujusvis obsequii personalis exhibendi conceditur. Qui rem in feudum concedit, dicitur *dominus directus*; cui autem conceditur *vassallus*, *feudatarius*.

(a) Principium iste contractus habuit, cum *Longobardi* a *Germanis* orti, *Italiam* sub Imperatore JUSTIN. II. invaserunt, Longobardiaeque regnum instituerunt. Cum enim bellum quotidie timerent, vel ab Italis, vel a Graecis vicinis, agros inter milites viritim, et pro uniuscujusque virtute dividerunt sub fidelitatis lege, et militaria servitia praestandi. Hos autem, qui non dabantur in feudum, bona *allodialia*, et libera vocabant.

Feudi essentialia, ac naturalia.

§. 651. Ex hujusce contractus fine manifestum fit, ejus essentialia esse 1) consensum; 2) rem infeudatam; 3) dominium directum concedentis; et 4) utile accipientis, seu *vassalli*; et 5) fidelitatem mutuam.

Ad naturalia autem spectare aiunt, 1) ut feudum benevole, et gratis concedatur; 2) ut perpetuo ad heredes, et quidem masculos sub nova investitura (a) transeat; et 3) ut certa servitia, aut obsequia personalia, et fidelitas cum juramento promittatur.

(a) *Investire*, idem est ac firmare, confirmare. *Investitura* autem est traditio, vel missio in possessionem. Alia dicitur *propria*, et *realis* cum vassallus in feudi possessionem immittitur; et alia *impropria*, et *abusiva*, cum aliquod symbolum pro re traditur cum certa verborum formula absque corporali introductione. Varia autem investiturae sunt symbola, prout natura feudi, ex. gr. annulus et baculus, cum dignitatem ecclesiasticam continent; virga, vexillum, gladius, cum civilia, aut militaria sunt, cet.

Obligationes, et jura.

§. 652. Obligatur itaque *vassallus* 1) fidelitatem jurare, et determinata promissa servare; 2) omnia damna, domino scilicet, et personis ei conjunctis imminencia, avertere; 3) eos in vita, honore, et bonis defendere; 4) consilio omnique auxilio juvare; 5) in bello comitari, et pro eis pugnare; 6) re feudali bene uti; consequenterque 7) damna omnia dolo culpave sua compensare; 8) renovatio-

nem, si dominus directus, vel persona vassalli immutetur, intra annum et diem petere, cet. Dominio autem utili gaudet, proindeque ceteris juribus omnibus, quae ei inhaerent, cet.

§. 653. Obligatur etiam dominus investituram vassallo, statim ac fidelitatem juraverit, conferre; et fidelitatem reciproce exhibere, cavendo scilicet, ne vassallo, ejusve familiae, suisque rebus, via, damnumve aliquod inferatur; jus autem habet 1) ad ea omnia, quae promisit, juravitque vassallus; 2) jus renovationis, et *relevis*, seu aliquid recipiendi pro ejus nova concessione, et domini directi agnitione; 3) jus consolidationis, a) quotiescumque *felloniam* vassallus committat, seu promissionem non adimpleat, vel b) cum heres, agnatusve deficiat, qui succedere possit ac debeat, cet. Ea omnia patris, et legibus positivis determinantur, et in peculiari disciplina traduntur. *Conf.* WOLF. Inst. J. N. et G. Part. II. Cap. 16. §. 735 et seq., et speciatim Juris Eccles. DD. ad Libr. III. x tit. 20.

Schöfl! Solent etiam homines quaedam alia jura, aut usus aliquos inter sua alteri, gratuito, onerosove titulo, concedere, quorum vi alter aliquid in re suo pati, vel non facere in alterius utilitatem obligatur. Per vocabulum *servitutes* ea jura designantur, et distingui solent in *personales*, et *reales*, prout res personae, vel rei inserviat (§. 471 n. b); *reales* vero in *urbanas*, et *rusticas*, prout usus praedii, ad habitationem scilicet, commercium, et officia, vel ad usus rusticos, seu rem agrariam, et oeconomiam ruralem destinatus

fuerit, sive in rure, sive in urbe praedium situm sit. Dicitur etiam *personales*, cum usus ad utentis personam, vitamque restringitur; et *reales*, cum praedio inhaerent, et cum eo in successores transeunt. *Conf.* WOLF. Inst. J. N. et G. P. II. Cap. 15. §. 708, et seq.; HEIN. in Inst. J. Civ. L. II. tit. 3, et seq.; et Clariss. MULL. Inst. J. Civ. Lusit. Lib. III. tit. 13.

De commutatione rei fungibilis usus cum pecunia, vel alia re, aut operibus; seu de contractu foenebri.

§. 654. Tepescente hominum caritate mos invaluit, ut ad rerum fungibilium, aut pecuniae ad res in vitam necessarias comparandas, acquirendum usum, etiam necessarium sit iis, qui eis indigent, et ab aliis gratis consequi nequeunt, definitum quoddam pretium solvere. Ejusmodi conventionem *contractum foenebrem*, seu *foenus* (a), et ab usu *usuram* (b) nominare placuit, contractumque dicere, *quo aliquid pro rerum fungibilium usu a debitore solvi patiscitur* (c). Est autem ipsum mutuum in contractum onerosum conversum, sicut commodatum in locationem, cum pretium pro rei non fungibilis usu commodans sibi stipulatur; ac proinde contractus est locationi valde similis, sed speciali nomine ad specialia jura, et obligationes ex eo dimanantes explicandas designatus (§. 633), et a ceteris omnibus contractibus onerosis valde diversus.

(a) A foeno dictum, herba quadam, quae sine ulla cultura
Tom. I. Dd

crescit, caesaque quotannis renascit; seu a foetu, partu, fructu, utilitate.

(b) Usura generatim sumitur pro pecunia, seu re quavis, aut etiam opera, quae pro usu rei alicujus fungibilis praestatur; speciatim vero, et stricte, quae pro pecuniae numeratae usu solvitur. Saepenumero tamen in malam partem accipi solet; semper enim improbiti ejusmodi quaestus; et odio omnium habiti, qui, cum sui similes sine detrimento ullo juvare possint, operumque eis ferre, nihil tamen gratis, et sine quaestu dare audent.

(c) Definitio, quam aliqui dare solent, *lucrum* dicentes *ultra sortem ratione mutui propter officium mutationis praestitum*, ab hujus contractus natura aliena prorsus est. Non enim confundendum mutuum cum contractu foenebris, et mutuo prorsus diverso; beneficia enim neque venduntur, neque locantur, sed natura sua ad libertatem, et amicitiam generis humani pertinent, et statim beneficia esse cessant; ac gratuita esse desinunt. Neque enim usura est *lucrum*, sed compensatio usus; et aequipollens merces pro rei usu; neque is foeneratorum est finis, et intentio, ut mutuum, id est, gratuitum contractum celebrent, aut propter mutationis officium dumtaxat usuras sibi stipulentur. Quis umquam mercedem in locatione accipi putavit ratione commodati, et propter officium concessionis rei, et non in compensationem usus?

De contractus foenebris moralitate.

§. 655. Accerrime disputatum fuit semper de moralitate contractus foenebris; an scilicet a Divino Jure, tam Naturali, quam Positivo Veter. (a), et Nov. Testam. (b), prohibitus existet. Equidem res indubitata est, ad humanitatis officia praestanda tam stricte nos teneri, quam ad illa, quae justitiae nominamus (§. 324, et 346); DEIQUE mandata contemnere prorsus, qui, cum possit, nihil proximo suo pauperi, et inopi, sine

quaestu dare vult. Beneficia indigentibus vendere est humanitatem exuere, et in feras de hominibus transmutari velle.

(a) Nihil magis significantibus verbis a DEO praeceptum in Veteri Lege invenitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, et inopi, non urges eum, nec usuris opprimes.* EXOD. C. XXII. v. 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus, ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dediti.* LEVIT. XXV. v. 35. *Si unus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, neque contrabes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.* DEUTER. C. XV. v. 7. *Non foverabis fratri tuo, ad usuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* DEUTER. C. XXIII. v. 19. *Conf.* ESDR. L. II. C. V. v. 7; PSALM. XIV. v. 5; LIV. v. 12, et LXXI. v. 14; PROVERB. C. XXII. v. 16, et XXVIII. v. 8; JEREM. C. XV. v. 10; EZECH. C. XVIII. v. 8, et 13, et C. XXII. v. 12.

(b) Neque minus apertum, quod postea in Evangelica Lege praescriptum: *Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris: Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes.* MATTH. C. V. v. 42; LUC. C. VI. v. 35. *Conf.* MATTH. C. VII. v. 12; et C. XXII. v. 37; MARC. C. XII. v. 31; LUC. C. VI. v. 27, et seq.

Qua in collisione licitus dici possit?

§. 656. Sed quamvis certum sit casus esse, in quibus non liceat, neque negare mutuum, neque in contractum permutatorium vertere; eos videlicet omnes, in quibus jura humanitatis poscunt, ut indigentibus succurramus; aequae tamen indubium est, casus esse, in quibus nec mutuum gratuito peti debet, neque nos illud dare obligamur; cum scilicet 1) qui petit, eo ad necessitatem aliquam sublevandam non indigeat, sed ad

exercendam mercaturam, quaestusque facientes; aut 2) cum nos aequè, vel plus, quam qui mutuum petit, rebus ad vitam necessariis indigeamus. Tum sane illud alteri dare, quo indigemus, idem esset, ac perfectionem nostram negligere, officia erga alios sine necessitate ulla nostris praeferre, ac legitimam non facere exceptionem (§. 60, et 366). Alios enim sicut nosmet ipsos, non vero plus deligere tenemur (§. 339).

Non omnis contractus foenebris Divinae Legi, tam Naturali, quam Positivae, adversatur.

§. 657. Neque Divinae Legi, tam Naturali, quam Positivae, omnis contractus foenebris adversatur. Nam 1) usus pecuniae magnam afferre potest utilitatem; igitur non minus suum habet pretium, quam usus rei non fungibilis. 2) Rei meae usum gratis alteri dare perfecte non obligor; ut ergo in id consentiam, possum mihi quid ab altero stipulari. 3) Ob luerum cessans, vel damnum emergens, accipi quascumque usuras posse omnes fatentur; nihil ergo vetat, quin illa incerta praestatio certa quadam promissione redimatur.

§. 658. Praeterea 4) valet contractus societatis, ut res, et opera in *commune lucrum* conferatur; cur ergo non valeat pactum foenebre, vi cuius alter rem confert, alter ope-

ram ; ita tamen , ut , qui rem communicat , lucro maiori incerto renuntiet , ut a) fiat securus sortis , hoc est , rei ad usum concessae , et b) modici lucri ? 5) DEUS ipsemet permisit Hebraeis , ut extraneis foenerarentur (a) ; quod autem Lege Naturae absolute vetitum est , id a DEO per revelationem permissum non est (§. 285).

(a) *Foenerabis gentibus multis: Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec quamlibet aliam rem; sed* ALIENUS: DEUTER. C. XV. v. 6, C. XXIII. v. 19, et C. XXVIII. v. 12.

Respondetur argumentis a ratione petitis.

§. 659. Nec dicant adversarii , 1) pecuniam esse sterilem , et nullos fructus ferre : et 2) debitorem esse dominum (§. 587) ; illi ergo soli prodesse debere lucrum. Praeterquam enim quod pecunia fructus civiles fert uberrimos (a) , et domus sterilis est , et biblioteca ; locari tamen usus utriusque potest. Dein dominium acquisivit debitor a foeneratore ; quae concessio suam habet aestimationem.

(a) Est quidem pecunia sterilis physice , et non aliam pecuniam gignens ; sed postquam pro aequivalenti rerum omnium pretio constituta fuit , foecundissima sane redditur mediante industria , resque naturaliter ac civiliter foecundissimae ea comparantur. Quot lucra quotidie mediante pecunia non experiuntur mercatores ! Nulla certe detegi ratio potest , cur locetur domus , fundus , currus , equus , vestis , et utensilia quaevis ; cur suam quisque aestimet , permutetque artem , ex. gr. Artifices , et ipsi Icti , Medici ,

Oratores, Musici, (quo enim subsidio viverent, quibus nihil aliud est, quo esse possint,) et sola excludenda sit pecunia?

A Testamento Veteri.

§. 660. Neque urgeas 3) in Veteri ac Novo Testamento (§. 655); 4) a SS. Patribus; et 5) Conciliorum, ac Pontificum decretis damnari omnino usuras.

Prohibitio namque Moysaicae Legis ad suos contribules tantum spectabat, non vero ad omnes homines, ut ex ipso contextu deducitur; ab aliis namque, qui ejusdem religionis non essent, usuras accipere poterant (§. 658 n. a). Deinde in civili magis, genio scilicet populi, reipublicae forma, et ejus saeculi conditione, quam in naturali ratione principium ea lex habebat (a); erant enim Judaei foeneratores omnium improbissimi, et quoad extraneos non modo hoc permissum, sed praecipuum a DEO credebant, tamquam Gentes DEI inimicas, et idcirco excidio destinatas (b). Vivebant insuper de agricultura, pecuaria, manualibusque operibus, et modica mercatura, commerciorum arcana, et navigationem ignorantes, in quo civili statu non exilia valde esse non possunt lucra, valdeque proinde oppressivas usuras, et hominibus ad incitas redigendis accommodatas; nemo enim in ejusmodi statu mutuam petit, nisi inopia pressus; consumptoque mutuo perdifficillimum sane sortem, et usuras insuper acqui-

rere. Omnes ideo Hebraeorum leges eo tendebant, ut, quantum fieri posset, aequalitas servaretur; et ideo inter eos lex erat de anno Jubilaei, remissionis, et de non alienandis in perpetuum fundis, cet. LEVIT. C. XXV. DEUTER. XV.

(a) Et ita intelligenda sunt, quae ex Veterum Philosophorum, et Politicorum scriptis contra usuras afferri quoque solent, ex PLATONE scilicet L. V. *de Leg.*; ARIST. I. *Polit.* 7; CICER. L. II. *de Offic.*; et SENEC. L. VII. C. 10. *de benefic.* Sunt enim praecepta aristocraticis, et popularibus imperiis servandis accommodata, in quibus capitale, valdeque perniciosum vitium est, nimium ditescere civium aliquos; perturbata enim aequalitate necessario tyrannia existit.

(b) Dicunt aliqui, DEUM permisisse Judaeis, ut vicinos populos jure belli spoliarent; aut tamquam supremum rerum omnium dominum eis concessisse, ut ab extraneis lucrum caperent non vi mutui, sed donationis divinae, eo fere modo, quo ipsis vasa Aegyptiorum tradidit, EXOD. XI. 2, et XII. 35, et seq.

Haec vero interpretatio Divinae Legi aperte contraria est, quae vetuit peregrino vim fieri, aut eum opprimere, sed uti fratrem habere jussit, EXOD. XXII, 21; XXIII, 9, DEUTER. XXIII, 7; XXVII, 19, Neque aliter Aegyptiorum res adsportari permisit, quam *ad mercedis compensationem*, quam alias a dominatoribus exigere non poterant, TERTULLIAN. L. IV. C. 24, *contra Marcion.* Sed demus valere hanc responsionem, *pecuniam a Judaeis peregrinis tantum foeneri datam*; quid vero dicent, si contra a peregrinis Judaeis foeneri data fuerit? nam et hoc fieri DEUS permisit (§. 558 n. a).

A Novo.

§. 661. Ad novum autem Testam. quod attinet (§. 655 n. b), 1) de Judaeorum Lege loquitur Dominus, dum eos jubet mutuum

dare, nihil inde sperantes; et 2) de illis tantum casibus, in quibus mutuuum dare indigentibus, et a foenore abstinere, nos jubet Lex caritatis. Hanc itaque inculcare nobis voluit DIV. SALV., quasi consilium ad perfectionem, non vero praeceptum exhibens ad salutem necessarium.

In eadem enim occasione dixit: *Siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram; et ei, qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*, MATTH. C. V. v. 39, et seq.; LUC. VI. v. 29, et seq.; nemo tamen dicet, emptiones et venditiones, commerciumve prohibuisse, sed homines benignos, faciles, et justos in contractibus, et in judiciis aequos esse docere voluisse, ut explosa acerbitate, et avaritia, juribus suis uterentur, non vero abuterentur. Si enim nos tueri non liceret, sceleratos et nefarios Christiana Religio potius foveret, quam innocentes, et mites; horumque vitas proderet, quod vel cogitare nefas.

Deinde usuras quodammodo CHRISTUM, DOMIN. N. probasse, ex MATTH. C. XXV. v. 26, et LUC. C. XIX. v. 23, aperte deduci videtur, dum, in persona patrisfamilias servum pigrum reprehendens, dixit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?*

A SS. Patribus, et Pontificum Decretis.

§. 662. Equidem SS. Patres, Concilia, et Summi Ecclesiae Praesules summo fervore usuras omnes persecuti fuere, et, ut homines ad naturale officium gratis juvandi miseris, et eis quavis occasione succurrendi excitarent, eas tamquam divinae legi, et rectae rationi repugnantes damnarunt, et infamem, atque haeticum etiam declararunt, qui usurarum exactionem a reatu excusare auderet; usurariosque a sacra communione, et ecclesiastica sepultura privarunt.

Intelligenda tamen ea omnia sunt de illis temporibus, in quibus usurae *centessimae* (duodecim pro centum), et insuper mensales; *bis, ter, quaterque centessimae*; *bessales* (octo pro centum); et *sescuplae* (dimidia pars ultra sortem) in usu erant. Ex eorum loquendi formulis (*Dist. LXXXVIII, et Caus. XIV, Q. 3, 4, et 5*), et ex eo etiam, quod familiare PP. sit, omne lucrum, et quaestum cujuscumque negotii, quod ex fonte avaritiae procedat, sub censuram revocare, hoc idem colligitur. Et quis umquam fuit sanus, qui omnis generis usuras a peccato excusare voluerit?

Quando licitae dici possint usurae?

§. 663. Tum ergo licitae dici possunt usurae, 1) cum ab indigentibus, et eis, quibus nostrum officium est, licet imperfectum,

gratis, et quavis occasione succurrere, minime exigantur; 2) cum sint modicae, et a) usus rei concessae aestimationi, b) lucro quod commode facere debitor potest, et c) incommodis quae debitor subit, respondentes fuerint; et d) non ratione mutui, aut officii anutationis praestiti, quaestusve cujusvis; sed titulo compensationis, mercedis, justitiaeque valoris, et pretii rei creditae usus petantur; et 3) cum civilis societatis legum, earum quantitatem determinantium, praescriptis fuerint adtemperatae,

Schol. Illud hic repeto, ut Clariss. A RIXER, *Inst. Jur. Eccles.* Part. IV. §. ccccxcvi, verbis utar, adversarios in formando quaestione statu immane quantum aberrare. Quaerunt, an licitum sit usuras vi solius mutui exigere. Respondit P. STEINKELNER *Instit. Philos. Moral.* Vol. II. P. III. C. 24: *Nobis cum plerisque Catholicis Scriptoribus sequens statuenda videtur propositio: Usurae, quae ex mutuo, et vi solius mutui exiguntur, naturali justitiae repugnant.* Utique non plerisque tantum Catholicis Scriptoribus id videtur, verum hominibus sanis omnibus.

Non enim hoc, sed aliud quaeritur: An hoc sit alterum laedere, et naturalem justitiam violare, si quis pro usu pecuniae suae, alteri concesso, ab eo mercedem accipiat? An non liceat, sicut *commodato* locationem, ita mutuo foenus opponere? An ergo rectae rationi repugnet usuras ex contractu foenebri, in sua essentia oneroso, percipere? Negamus, licet nostrae sententiae originem Graeculis Schismaticis, et recentioribus haereticis adscribant aliqui.

An Civilibus Imperantibus usuras determinare jus sit?

§. 664. Sunt vero qui in quaestione vertunt, an usurarum definire modum, earumque

que determinare quantitatem , Civilibus Imperantibus liceat ?

Alii nullo in eventu hoc eis licere contendunt : alii tum solum , cum boni publici collisio hoc exigat , in eaque hypothese tacite tantummodo , non vero lege scripta aliqua , hoc permittere eos posse. De Jure respondere praesumunt , Juris vero fontem , Majestatem scilicet , turpiter ignorant.

Aliquantum vero melius ratiocinantur , qui , cum usurarum materia res temporalis sit , ad bonaque civium , et modum de eis disponendi spectans , hoc jus Imperantibus indulgent , illud ab alto , ut aiunt , et eminenti dominio , quod Imperans in res , bonaque civium habet , deducentes. Requirit tamen , ut justa et publica causa adsit , seu ut utilitas et necessitas Reipublicae hoc exigat. Publicam autem causam , et sufficientem esse dicunt 1) *praesumptionem generalem* , quae regulariter credendum a) mutuantem justum habere titulum ad aliquid ultra sortem recipiendum , et b) mutuatarium opportunitatem ad lucrum aliquod a re accepta faciendum ; 2) *conscientiarum tranquillitatem* , quia , si alius necessarius fuisset titulus , facile orientur scrupuli ; 3) *devitationem litium* , quae necessariae essent ad titulum probandum , si mutuatarii , quod interest , solvere nollent ; 4) *subsidium ex usuris obveniens Ecclesiis , locis religiosis , viduis , pupillis , et misera-*

bilibus personis, quae per se ipsas luctum ex sua pecunia, ut conservari, sustentarique possint, capere nequeunt; Reipublicaeque, ut conserventur, ac sustententur, etiam intersit; 5) *facilitas obtinendi mutuum*; si enim nihil lucri ex rerum suarum usus concessione ferrent homines, nulli fortasse essent, qui necessitatem patientibus mutuum dare voluissent, quod sane commercio (a) ac proinde Reipublicae noxium valde foret.

(a) Postquam necessarium prorsus esse commercium, et inter perennes divitiarum Nationis cujuslibet fontes collocandum esse agnovere omnes, illud etiam fuit cognitum, utilius Reipublicae esse usurarum pravitatem coercere, quam contractam foenebrem penitus prohibere. Nulla enim re alia in civitate, ut promoveri, augerique commercium possit, magis opus est, quam pecunia, experientiaque docet, si nulla spes lucri ex pecuniae usus concessione adfulgeat, neminem fortasse fore, qui alteri cum probabili jacturae periculo pecunias credat. Illud itaque quam maxime cavendum, 1) ne foenebre malum privatorum opes exhauriat, et 2) ut publica commerciorum utilitas, quantum fieri possit, cum honestatis, aequalitatisque ratione, et boni, honesti, Christianique hominis officio conjungatur. Abusus enim usum tollere non debet.

§. 665. Equidem ad Imperantium jura, et officia pertinet de omnibus illis ferre leges, quae ad civitatis finem ultimum, intermediosque ceteros obtinendos spectant; dummodo nihil contra Divinae, tum Naturalis, tum Positivae Legis praecepta statuatur (§. 529. et 530). Quotiescumque igitur civitatis finis, et collisio maius obtinendi bonum, vel maius devitandi malum (§. 60) expostulet, ut Im-

petans valorem pretiumque usus rerum fungibilium determinet, et caveat, ne arbitrariae in civitate tollerentur usurae, sed justicarum termini, et limites signentur; evidens sane, super hisce, similibusque aliis Leges ferre Imperantes posse, ac debere; et pro rei natae occasione, mercium, personarum, et negotiationis qualitate, vel augere, vel minuere, vel penitus usuras prohibere.

§. 666. Jure igitur ac merito Gentium omnium Legibus sub certis regulis, ac limitibus probatus exstat foenebris contractus. Quid ergo? Civilia Jura cum Divino Naturali, ac Positivo commitemus? Tam nefando errore totum humanum genus complicabimus? Astutas Scholasticorum formulas, et decipulas exseremus, qui mutato vocabulo *mutuum*, et titulo *usus*, tamquam si vocabula, non consecraria actiones distinguant, quasvis usuras licitas credunt, et judicant?

Varii usurae obtegendae tituli, et 1) damnum emergens, et lucrum cessans.

§. 667. Cum fieri non posset, ut usurae prorsus ex usu hominum eliminarentur; necessarium erat namque, ut commercium, (§. 600) hominibus, et Reipublicae omnino necessarium (§. 601), funditus deleteretur; ipsi contractus foenebris hostes varia subterfugia invenerunt, variasque vias monstra-

runt, quæ Sum. Pontificum decreta illud, mitigari, vel favorabiliter, ad eorumque voluntatem et nutum interpretari possint.

§. 668. Fœnus itaque, aut usuram non esse contendunt, quotiescumque quod accipitur non ratione usus, sed in compensationem damni emergentis, aut lucri cessantis (a) stipuletur; adeoque ejus quod interest, mutuam esse datum, vel tardius solutum: tum enim, aiunt, 1) *lucratória* usura non est; sed modo *compensatoria*; modo, ob culpabilem moram debitoris statuto tempore non solventis; *punitoria*; et 2) tum non ex mutuo, aut mutationis ratione, sed ex alio valde a mutuo differenti titulo proveniens.

(a) *Damnum emergens* dicitur jactura, quæ ratione mutui suis in rebus patitur creditor, ex. gr.; cum frumentum, aut pecuniam mutuando, postea frumentum maiori pretio emere, aut pecuniam mutuam cum usura ad necessitates sublevandas suas petere cogitur: *lucrum autem cessans* incrementum, quo probabiliter creditor privatur, mutuum pecuniam dando, quacum mercaturam exercere, quæcumque facere; vel agrum, aliamve rem frugiferam, et sibi utilem emere poterat.

§. 669. Equidem hoc admissio titulo, quis adeo stupidus foenerator erit, qui ad legem vitandam sanctionem non possit lucrum cessans, aut damnum ex pecuniae mutatione præterdere, quod usuris acceptis æquivalet? In hoc horum sententia tantum a nostra discrepat, quod nos usuras usque in infinitum minime permittendas as-

seramus, et earum quantitatem a lege æquitas, quæ præcipua commercii esse debet (§. 602), atque a civili determinari velimus (§. 663); illi autem, per aestimationem ejus quod interest, nullis limitibus usuras coerceant.

Deinde, quod titulo damni dati accipitur, minime usura est, ex rei namque usu tantummodo provenit; sed reparatio damni, ad quam ipsa Naturæ Lege omnes obligati sumus (§. 359).

2) *Periculum amittendæ sortis.*

§. 670. Est et alia simulandæ (§. 402) usuræ ratio, *periculum scilicet amittendæ, vel difficulter repetendæ sortis*; quando nimirum mutuarius est pauper, decoctor, parum fidus, cet.; mutuantemque per pigora, aut fidejussores non sufficienter securum facit; solutionemque debiti sine magis molestiis, et sumptibus obtineri non posse prudenter creditur. Est enim, aiunt, prætio aestimabile res suas in alterius gratiam periculo exponere, et quidem eo maiori, quo maius est periculum; nemini autem damnosum esse debet beneficium alteri collatum; tumque non ex mutuo, nec titulo mutui, sed ex alio contractu, et alio titulo accipitur, quod ultra sortem creditor exegerit.

§. 671. Periculum vero causas de sorte cavendi tantummodo suppeditat, non vero jus plus, quam sortem, exigendi; ea enim restituta evanescit; nullumque jus praestare, nullumque factum firmare potest, quod nihil est. Deinde, qui alterum bene esse vult, ut patiaturs aliquid, necesse est; ea namque est amicitiae natura, et lex, ut bona, ac mala in communi sint.

Interim vero ex hoc duplici titulo, quibusvis conventionibus communi, accommodatissimoque omnibus, ab usurae lae vindicare nos docent Casuistae contractus foenebres omnes, et praesertim, *contractum cambiale, montes pietatis, anatocismum, foenus nauticum, et quasi nauticum, assecurationem, aliosque ejusmodi*; tamquam si in vocabulis, aut motu physico actionum moralitas collocata esset (§. 98). Quis non intelligit, hoc idem esse, ac pactionem mutui sub usuris facere?

De Cambio.

§. 672. Permutatio pecuniae cum pecunia *cambium* generatim dicitur; in specie autem permutatio monetarum unius speciei cum aliis diversae, ex. gr., maioris valoris, aut monetae aureae, cum aliis minoribus, vel cum argentea, aut aenea, *cambium minutum*, vel *manuale* appellatur, et contractus *cambialis*, aut *collybisticus*, a *κάλυβος*, quod voca-

bant *Graeci* quidquid pro commutanda pecunia nummulario dabatur, (hodie *lagium*, *praemium*); et hinc *collydistae*, *trapezitae*, *nummularii*, et *argentarii* dicti, qui ad hoc paratam habent pecuniam, ut eam scilicet cum aliis speciebus commutent.

§. 673. Est vero alius contractus, stricte proprieque *cambialis* dictus, quo pecunia alicui datur, ut is pro certa quadam mercede eandem alio loco, sive danti, sive alii cui-dam, solvi certo die curet; diciturque hoc cambium solet *mercantile*, *trajectivum*, *trassatum*.

§. 674. Quatuor ad hunc contractum personae principales concurrunt, scilicet 1) *camparius*, seu qui pecuniam dat, et remitti curat; 2) *campor*, sive *trassans*, qui eam recipit, et curam in alio loco eam solvendi in se suscipit; 3) *acceptans*, sive *trassatus*, qui remissam pecuniam solvit; et 4) *praesentans*, seu cui pecunia solvitur.

Potest tamen unus duplicem repraesentare personam, veluti si *trassans* idem cum *trassato* sit; vel *camparius* cum *praesentante*. Potest quarta etiam persona adesse; cum pecuniam exigendi jus *praesentans* in aliam personam transferat; tumque hoc *cambium cessum*, seu *indossatum* dicitur, quia in litterarum cambialium dorso fiat cessio.

§. 675. Exerceri iste contractus solet per tesseras, seu *litteras*, *cambiales* dictas, qui-

his *trassans* jubet alteri, ut certam pecuniæ summam eas præsentanti solvat, eamque suo nomine satisfacere promittit. His necessario exprimendum 1) nomen remittentis, seu *trassantis*; 2) dantis; 3) præsentantis; 4) summa pecuniæ præsentanti solvenda; 5) solutionis tempus, statim scilicet (*à vista*), aut tempore post acceptationem factam consueto (*ad usum*), vel certo die a litteris datis; sicut et 6) genus monetae, quo facienda solutio; 7) locus ubi; et 8) dies, mensis, et annus, quo litterae fuerunt scriptae.

Est etiam in more positum, ut, si cambiales litterae ad loca valde dissita sint remittendae, duae (*primae, et secundae*) litterae cambiales, maioris securitatis gratia, dentur; litteraeque etiam ad *trassatum*, *avvisatoriae* dictae, in antecessum remittantur, ut de pecunia præsentanti solvenda sibi possit prospicere.

Schol. Antiquissimus est cambialis contractus, a *Phoeniciis*, *Judaeis*, *Græcis*, et *Romanis* jam cognitus, quamvis a nostro aliquantulum dissimilis. Ad eam autem perfectionem, quam hodie miramur, opera mercatorum *Venetorum*, et *Longobardorum* pervenit. Cum enim ante Navigationem Indicam a Nostris repertam illi soli commercium cum Indis facerent, et ab Oriente per mare rubrum importatas merces ab illis solis ceterae Nationes omnes obtinere possent; necessarium omnino fuit, vel diversarum monetarum species cum eis, quibus illi utebantur, cambiare, vel cum *collybistis* pacisci, ut congruenti accepto *layis*, seu *cambio*; pecuniam in *Venetias* remitti, seu ibi ab aliquo solvi in se suscipere, et curarent ipsa vocabula Italica, quae adhuc hodie velut technica hujus negotiationis servantur, ex. gr. *trassa*, *valuta*, *endossamento*, *avviso*, *avviso*, cet., hoc satis superque indicant.

Non modo igitur propter commercium externum valde utile est hodie cambium, sed necessarium omnino. Ejus enim ope, sine magno sumptu, periculo, sed maxima cum utilitate, in locis valde dissitis, et in eadem specie, solvi pecunia potest, et, ubi vis locatorum quis maneat, eandem, qua ibidem utitur, accipere.

§. 676. Ad similitudinem *cambii trassati*, aliud invenere contractus foenebris hostes, ab eo quidem nomine, et forma differens, sed re vera idem. Fit autem, cum quis alteri quamdam pecuniae summam dat, et ab eo litteras cambiales accipit, (seu potius chirographum, ad litterarum cambialium similitudinem scriptum), quibus alteri jubeat, ut eandem pecuniae summam eas praesentanti, creditori nimirum, certo quodam tempore solvat.

Eo pacto statim, seu tempore quo pecunia traditur, praemium conventum accipit creditor; ad sortisque satisfactionem non modo trassans, seu originarius debitor, sed alter etiam, qui litteras accipit, ad solvendum se obligant. *Cambium autem siccum* ex eo appellaverunt, quod humore, ut aiunt, sive justo lucri percipiendi titulo careat. Est vero ipse contractus foenebris, cambii velamine tectus.

De montibus pietatis.

§. 677. Sunt *montes pietatis* aeraria quaedam, aut granaria, piorum hominum liberalitate, vel publica auctoritate, ad indigentium necessitates sublevandas constituta.

ex quibus pecuniae, vel frumenti quantitas, receptis pignoribus ea lege indigentibus mutuo conceditur, 1) ut modicum quid ultra sortem pro montis conservatione praestent (a); et 2), si praefixo tempore debitum non solvant, vendantur pignora, ex eorumque pretio pietatis mons sortem creditam, et modicum ultra sortem solvendum recipiat, residuum vero debitori tradat.

(a) Optimum hoc institutum, cum multi usurariae pravitatis accusarent, quod nullus adsit titulus ad aliquid ultra sortem petendum, approbavit Leo X. in Lateranensi Concilio V. an. 1515, et postea Tridentin. Synod. Sess. 22. C. 8. de reform.

Principio, cum scilicet instituti fuere pietatis montes, nihil a mutuatariis exigebatur. Cum tamen frigescente caritate deessent, qui gratis eorum administrationem susciperent, et necessarium fuisset eorum ministris congruam mercedem assignare; ideo receptum est, ut aliquid a mutuatariis exigetur; alioquin brevi summa capitalis montium defecisset.

De anatocismo; seu de usuris usurarum.

§. 678. Anatocismum, (a Graeco vocabulo ἀνατοκισμός, ab ἀνα rursus, et τόκος parvus), usuras usurarum dicunt, seu contractum, quo creditor in compensationem damni, debitore usuras statuto tempore non solvente, aliquid ab eo exigit.

§. 679. Duobus modis fieri hoc potest, 1) ratione novi debiti ab usuris jam acceptis, et rursus debitori in mutuum datis, provenientis; vel 2) ab usuris debitis, et non-

dum acceptis, debitorique novo contractu relictis, brevi manu (§. 541 n. a) traditis.

§. 680. Licitum ejusmodi contractum *Casaistae* judicant, quotiescumque justus adsit titulus (§. 667, et 670), et compensatoria, non vero lucratoria dici usura debeat: alii vero non licitum judicant, si usurae, ex quibus novae exiguntur usurae, nondum fuerint solutae, et a creditore receptae; 1) quia, ne pecuniam impendant, promptius usuras usurarum debitores promittunt; et 2) facilius mutuam pecuniam nondum visam, nec acceptam creditores dare soleant, quam jam actu numeratam; et 3) ita frequenter aere alieno, et inopia magis opprimantur pauperes.

Schol. Jure Romano (L. 26. §. 1. D. de condict. indeb., et ult. C. de usur. rei jud.) prohibitum erat usuras praeteriti temporis, vel futuri, in sortem redigere.

*De foenore nautico, quasi nautico,
et de bodemeria.*

§. 681. *Foenus nauticum*, seu contractus *trajectitius*, ut aiunt, dicitur, quo pecunia datur alicui, ad eam per mare transvehendam, vel ad emendas merces per mare importandas, ea lege, ut, si salvae fuerint, sors debeatur cum foenore, quod tantum excedere debet usuras, quae pro solo usu pecuniae dari solent, quantum valeat periculum in pecuniam, seu merces transvehendas subeundum, et quaestui etiam, quem facere mutuarius

possit, respondeat; nihil vero debeatur, si casu aliquo pecunia, vel merces perierint.

§. 682. Appellatur vero *quasi nauticum*, seu *foenus terrestre*, cum eadem conditione ituris ad nundinas, vel iter facientibus per loca periculosa, aut praedonibus infesta, pecunia datur.

§. 683. Similis nautico foeneri alius contractus est, quem *hodemeriam* dicunt, quo pecunia numerata in ipsam navim, ad necessarias ejus impensas, ea lege creditur, ut nihil creditori debeat dominus navis, si in destinatum non pervenerit locum; praemium autem conventum solvat, si salva in portum pervenerit.

De assecuratione.

§. 684. *Assecuratio*, seu contractus *avertendi periculi*, appellatur illud pactum, quo periculum mercium per mare transvehendarum, aut ipsius navis, aut, in genere, praestationem indemnitate cujuslibet circa casus fortuitos, quis pro certa mercede, seu lucro, in se recipit (a).

(a) Quamvis assecurationis contractus pro mercibus per mare transvehendis inter mercatores sit receptus; ad res omnes tamen, quae casu aliquo fortuito interire possunt, extendi hodie solet, veluti ad merces per loca terrestria periculosa transvehendas; ad aedes ratione incendii, aut terrae motus; ad fructus ratione sterilitatis, cet.

Ad indemnitate igitur domino praestandam obligatur assecurator, si casus, quocumque

in se suscepit, ex gr. incendium, naufragiumve navis, aut latrocinatio maritima contingat; navis autem, aut mercium dominus, ad praemium pro periculi aversione promissum assecuratori solvendum, sive casus contingat, sive non.

Ut tamen aequalitas in eo contractu servetur, necessarium omnino, 1) ut nemini contrahentium de eventu certo constet; 2) ut, sicut rerum assecuratarum indemnitas earum valori et pretio aequalis esse debet, ita etiam praemium pro valore mercium, et probabilitate periculi aestimandum, ac determinandum est; ut scilicet observetur aequalitas, et non melior sit assecurati conditio, si casus eveniat, quam assecuratoris, si non eveniat.

Schol. Hos omnes, et hujuscemodi contractus alios ab usurae habe immunes judicant *Casuistae*, 1) quia sint alii contractus a mutuo valde diversi (tamquam si in mutuo solum, et non in contractibus omnibus, servari debeat aequitas, et justitia); et 2) quia, quod ultra capitali summam exigitur, non ratione lucri, sed damni emergentis, aut lucri cessantis, ac veluti in compensationem accipiatur; et 3) quia nemo jactura sua alios locupletare teneatur. Ad quid vero hic verborum circuitus, cum omnes isti contractus sint re ipsa contractus foenebris, aliis tantummodo verbis explicatus? Nos eadem repetimus, quae supra diximus §. 656, 663, et 666.

De contractu trino, seu societate ficta.

§. 685. Qui itaque verbis, non rebus leges scriptas esse putant, ad famosum illum contractum trinum confugiunt, quo pecunia

negotiatori traditur, duobus pactis adjectis, primo, ut pecuniam exercens periculum sortis in se suscipiat, concessa ipsi interea sperati lucri portione; secundo, ut ideam pecuniam exercens pro incerto maiori lucro, quod ex negotiatione speratur, certum annuum lucrum minoris quantitatis daturum se creditori spondeat. Ideo igitur *contractum trium* appellant, quod ex contractu societatis, et duabus contractui adjectis pactionibus coalescat.

Schol. Hanc duplicem securitatis pactionem societati adjectam usurariam declaravit *Sixtus V.* in *Const. Detestabilis* an. 1586. Hocce tamen contractus inter eosdem contrahentes circa eandem pecuniam ab uno collatam, uno eodemque tempore, et actu, tuta conscientia fieri posse docent *Casuistae*; quia nec mutui, nec usurarum nomen in eo appareat; et totum negotium substantiae singulorum contractuum haud repugnet.

De emptione census, seu annuorum reddituum.

§. 686. Idem dicendum de his, qui vocabulis *mutui, et usurarum, emptionem annuorum censuum, seu reddituum*, substituunt. *Censum*, seu *censualem contractum* dicunt, quo sub emptionis, et venditionis praetextu pecunia ea conditione datur alteri, ut certam quamdam pensionem, seu *censum*, creditori, tamquam ipsius census emptori, quotannis solvere se obliget, a) vel in perpetuum, vel b) ad censualistae vitam.

§. 687. Constitui autem potest *census* tam in fructibus, quam in pecunia; prout jus eum exigendi in aliqua re frugifera, ex. gr.,

praedio, vinea, domo; aut in alterius industria, aut negotiatione, constituere ipsis placuerit. Hinc *census* distinctio 1) in realem (a), aut personalem; 2) fructuarium, aut pecuniarium; 3) in perpetuum, aut temporalem, seu vitalitium: perpetui autem in a) redimibilem ex parte solius debitoris, aut emptoris, aut utriusque; et b) in non redimibilem, prout paciscentibus hoc retro vendendi pactum adjicere visum fuerit, vel non.

(a) *Censum realem* dividere solent, 1) in *reservativum*, ad emphyteuseos similitudinem (§. 643 in fin. *Schol.*), quando scilicet, qui in alterum utile directumque alicujus praedii dominium quovis titulo transfert, sibi pensionem aliquam ex illo singulis in annis, aut mensibus solvendam reservat; et 2) in *consignativum*, sive *emptitium*, (quia fere semper per emptionem constituitur, licet etiam per donationem, permutationem, quemvisve alium modum constitui possit), quando scilicet venditor praedii, seu qui pecunia indiget, et ideo illud vendere, aut pignori opponere necessitate cogitur, pretium recipit, et dominium utile ac directum retinet; ad pensionem vero quamdam singulis annis, aut mensibus alteri, qui pecuniam dedit, pignori opposito praedio solvendam se obligat.

Personalis autem *census* constituitur, cum quantitas pecuniae aliqua eam petenti datur, et pro usura census annuus, maior, vel minor, prout pecuniae quantitas, eam amittendi periculum, et illum redimendi, vel non redimendi pactum fuerit adjectum, stipulatur, sub debitoris data fide, eum ex industria ac negotiatione sua solvendi. Quis autem non videt, nullam emptionem facere velle paciscentes, sed pallium usurae quaerere !!

MARTIN. V, et CALIXTUS III. Cap. 1. et 2. *Extrav. Com. de empt.* emptionem census ab usurae lae immunem declarant. Cum tamen plures deiq̄ abusus irrepresserint, ejusmodi emptiones coercuit Pius V. in duplici Const. an. 1569, et 1570; rejecto vero prorsus censu, quem *personalem* dicunt.

De mohatra.

§. 688. Similis est huic contractus alter, ut alios omittam, quem *mohatram* dicunt. Fit autem contractus iste, cum pro pecunia mutua, quam alter petit, merx aliqua pecunia credita venditur, et statim is, qui eam accipit, venditori minori pretio, sed pecunia numerata vendit, quo non pecuniam mutuam dedisse, sed mercem vendidisse videatur.

Schol. Quis vero non facile intelligit in his omnibus, et similibus contractibus simulate omnia geri, et revera nihil aliud quam contractum mutui sub usuris agi?

Hisce modis tamen pecuniam ad usuram prudenter, et pio collocari posse nos admonent *Casuistae*; quin necesse sit ad contractum foenebrom descendere, et usuras caritati, ac justitiae repugnantes, aiunt, exigere. Cur vero ille, qui octo, vel decem pro centum titulo damni emergentis, lucri cessantis, contractus trini, societatis, et emptionis simulate, justus, et aequus; qui autem modicas, et a lege determinatas usuras exigit, injustus, et iniquus, immo fur, et raptor appellandus? Nihil aliud hoc est, quam logomachias gerere, et araneorum in morem laquos aliis injicere velle. *Conf.* §. 656, 663, et 666.

De contractibus aleatoriis.

§. 689. Sunt et alii contractus onerosi, quos vel ad suas sublevandas necessitates, vel ad suum conservandum, augendumque patrimonium homines invenere; *aleatoriosque* dixere, quia in *alea*, incerto scilicet eventu, qui nobis lucrum, aut damnum afferre potest, fundamentum habeant, et a *casu* omnino pendeant.

§. 690. Horum moralitas, seu non repugnantia legi, ex eo deducitur, quod quisque rerum suarum sit dominus et arbiter, de rebusque suis, prout sibi visum fuerit, disponere possit; dummodo officia DEO, sibi, et aliis debita minime violet (§. 471).

§. 691. Nulla alia in hisce contractibus aequalitas requiritur, quam ut inter metum damni, et spem lucri proportio habeatur, ex probabilitateque spei determinetur pretium, et porro contrahentes ab omni dolo fraudeque se abstineant. Quoties itaque uni contrahentium de eventu certo constet, non amplius aleatorius est contractus.

Eorum variae species.

§. 692. Huc spectant praecipue I) *emptio spei*, ex gr., cum certum pretium datur pro factu rei; pro avibus quas una die venator esperit; pro fructibus futuris, cet.

§. 693. II) *Emptio per aversionem* (a), cum scilicet res disparis pretii, vel incertae mensurae, ponderis, aut numeri, non singulariter, sed conjunctim uno pretio venduntur, emuntur, vel locantur, quin mensurentur, appendantur, aut numerentur.

(a) Hanc emptionem a *verruendo* ita dicitur, quia uno eodemque tempore omnia simul, tamquam per verriculum, avertantur.

§. 694. In ejusmodi contractibus neces-

barium non est, ut unus ab altero tantum recipiat, quantum praestitit; neque contrahentium aliquis de laesione conqueri potest; sibi enim imputare debet, quod aleam commiserit. Unde qui spem emit, licet nihil praeter spem emerit, totum pretium solvere tenetur; sicut ex adverso nihil ultra pretium conventum dare obligatur, etiamsi, quod acquiritur, idem plurimum excedat.

§. 695. Cum vero tantummodo ematur spes eo modo acquirendi, super quo conventum; si casu aliquo extraordinario eveniat, ut aliquid acquiratur, quod eo actu, super quo fuerit contractum, acquiri non soleat, minime valere debet spei emptio, nec pretium conventum solvendum (a).

(a) Ea ratione decidenda erat lis inter Juvenes *Milessios*, qui jactum retis emerant, et Piscatores *Coos*, qui illum vendiderant; extraxerant enim tripodem auream, et utrique sibi hunc inexpectatum thesaurum pertinere contendebant.

§. 696. III) *Sponsiones*, vulgo *apostas*, cum super futuro aliquo eventu, aut praeterito, nondum notorio, certantes, altero affirmante, et altero ejus existentiam negante, inter se conveniunt, ut certum pignus utrinque depositum illi cedat, cujus assertioni eventus congruere deprehendatur.

Sunt veluti promissiones quaedam, aut stipulationes conditionatae, quibus ideo alea est admista, quod, ut eventus existat, vel non, a contrahentibus minime pendet.

§. 697. IV) *Lotaria*, seu contractus, quo aliquis certam pecuniae summam confert, ea lege, ut per sortem definiatur, an aliquid, et quid, acquirere debeat, vel schedulae suae jacturam ferre.

§. 698. V) *Olla fortunae*, seu contractus, quo pro certo pretio emitur jus schedulam unam, aut plures emendi, in urna quadam inclusas, partim inscriptas, partim inanes, ea lege, ut accipiat quod inscriptio indicet, vel pretium amittat, si nihil inscriptum schedula habeat.

Schol. Quamvis illicitus dici nequeat iste acquirendi modus, cum schedularum pretium rerum sorti expositarum pretio respondeat, aestimeturque etiam, ex impensis in venditionem faciendis, et periculo, si res pretiosissimae primo loco, vel una exeant, manentibus schedulis plerisque inanibus, nemineque proinde amplius schedulas emere volente; quia tamen ejusmodi acquirendi modus otium fooveat, accasionemque praebet, ut pauperes spe lucri allecti rem familiarem effundant, et alii locupletiores re aliena fiant; minime in societate tollerandi ejusmodi acquirendi modi, nisi maioris boni collisio, aut causa aliqua pia, alicujus ex. gr. nosocomii, aut orphanotrophii sustentatio, captivorum redemptio, cet., eorum permissionem necessariam, aut valde utilem reddat.

§. 699. VI) *Decisio per sortem*, seu contractus, quo sorte dirimendum consentimus, quod certo consilio fieri nequit; seu, quomodo faciendum, dubitamus.

Dicitur *sors* res qualiscumque, a cujus fortuita determinatione pendet rei alicujus decisio. Ab ejus autem effectu distingui solet
1) in *electricam*, seu qua definitur, quid ex

duobus rebus eligendum ; 2) in *attributricem* , cui res aliqua tradenda ; et 3) in *divisoriam* , quamnam rei divisae partem quis habere debeat.

§. 700. VII) *Contractus lusorii* , quibus ita convenitur , ut certum quoddam luerum , aut damnum , mutuo consensu determinatum , ejus sit , ex cujus parte certa quaedam conditio extiterit. Horum alii plus solertiae , quam aleae continent , ex. gr. ingenii , dexteritatis , ac roboris certamina ; alii ex alea ac ingenio sunt mixti ; et alii , quos ruda sors regit. *Conf. L. JUDIC. Cap. XIV. v. 12 ; et VIRG. Aeneid. V. v. 328.*

Sebol. Ad contractus aleatorios etiam pertinent *asscuratio* , *foenus nauticum* , *boederia* , *census vitalitius* , ceterique omnes ab aliquo eventu pendentis.

§. 701. Quamvis liciti generatim dicantur *ludi* , quotiescumque amittendi periculum , et luerandi spes sit eadem (§. 691) ; sunt enim veluti donationes quaedam reciprocae , a certa conditione mutuo consensu stabilita , ut effectum sortiantur , pendentis ; cum tamen Reipublicae intersit , ut nequis re sua male utatur , et ejusmodi conventionibus facile quidem suum patrimonium dissipare quis possit , ex ludisque ingentia mala frequenter orientur , fraudes nimirum , irae , contentiones , caedes , praeter jacturam temporis , avaritiam , et cupiditatem , cum ludofere semper conjunctam ; ut experientia con-

stat ; tum solum recte se ludi habebunt , cum lucrandi cupiditatem , et nimiam rerum , et temporis profusionem fugiamus , et gratia praesertim relaxandi animi , fallendive temporis instituantur (a). *Conf. CIC. de Offic. L. I. C. 29 , et WOLFF. Inst. Jur. N. et G. P. II. C. 13. §. 677 , et 678.*

(a) ALCORANUS Cap. de mensa una cum vino ludos aleam habentes prohibet.

De Societate.

§. 702. Est et alter contractus permutatorius, et quasi aleatorius, quia ex utraque parte aequum periculum , et aequam spem esse oporteat , *societas negotiatoria* dictus. Est igitur *duorum , vel plurium conventio de rebus , aut operibus in commune lucrum invicem communicandis.*

§. 703. Distingui solet 1) ratione objecti , in *universalem* , et *particularem* , prout vel bona omnia , praesentia , ac futura , et quocumque titulo acquisita (a) , vel certa quaedam , ac determinata socii communicent ; et 2) ratione finis in *negotiatoriam* , et *simpli-tem* , prout vel lucri faciendi causa , vel alius communis usus gratia fuerit conflata : *negotiatoria* autem 1) in *generalem* , in qua scilicet quaeque ex qualibet negotiatione provenientia , non vero quae ex beneficio fortunae , aliove titulo adveniant , socii invicem communicant ; et 2) in *specialem* (inter merca-

tores frequentissimam, vulgo *Companhia*); in qua lucra tantum ex certa aliqua, et speciali negotiatione acquisita.

- (a) Talis erat, quam inierant Christiani primaevi (Act. Ap. C. IV. v. 32), et adhuc hodie servant Monachi, et Moniales. In ea societate nulla requiritur aequalitas, et non modo lucrum, et damnum, sed etiam sors, hoc est pecunia, seu bona collata, fit communis, et sociorum portiones arithmetice aequales, licet unus minus contulerit, et ex justa causa alter plus expendat (§. 535).

Sociorum obligationes, et jura.

§. 704. Ex negotiatoriae societatis natura fluit, 1) teneri socios ad promissa conferenda, 2) societatisque leges, prout inter eos conventum, adimplere; 3) necessarium tamen non esse, ut partes aequales conferant; 4) lucrum vero, et damnum pro rata, geometricae scilicet, dividi debere (a), et suam cuique sortem salvam manere (b).

- (a) Leonina (PHAEDR. L. I. Phb. 5), injustaque proinde societas illa esset, in qua unus solus lucrum sibi stipularet, ceteri vero omne damnum tenerentur ferre. Si ergo Titius decem, et Caius triginta partes aequales tradiderit, et centum et viginti fuerit lucrum; Titio triginta, et Caio nonaginta debentur. Quod si damnum fuerit: viginti et quatuor; sex feret Titius, Caius autem duodeviginti.

- (b) Hinc si unus rem, et alter operam contulerit (possunt enim socii non modo inaequales partes conferre, sed et unus rem, et alter operam), hic quidem lucri particeps est secundum contractus leges; ex alterius vero sorte nihil capere potest, quia nihil societati contulit, quod tamquam suum possit repetere.

Societatis dissolutio.

§. 705. Ut reliqui contractus, ita etiam societas consensu stabilitur, et convento tempore durare debet (§. 537), quin uni altero invito ab ea recedere liceat, si modo et hic contractus servet leges.

Finitur autem 1) morte, vel unius tantum ex sociis; 2) mutuo dissensu; nihil enim tam naturale, quam eodem modo quidquid dissolvi, quam quo colligatum est; 3) finito negotio ob quod, aut tempore in quod, societas fuit inita; 4) rei interitu; et 5) unius tandem socii renuntiatione, modo dolosa, aut intempestiva non fuerit (a); veluti, si quis societatem universalem inierit, et hereditatem quandam sibi imminere sciens, tum, ne eam cum sociis communicare obligetur, societatem renuntiet.

(a) Quamvis, generatim loquendo, socio non liceat altero invito a societate recedere; tum tamen, experientia teste, societas sit discordiarum mater, melius sane quidem est, ut cuius renuntiandi sit libertas, quam ut lites, et jurgia oriantur. Unde, licet in perpetuum, aut ad tempus societatem inlta sociis placuerit; si tamen sociorum alter negligens fuerit, contractus leges manifeste violat, minimeque promissa adimpleat, vel solo suo arbitrato omnia regere velit, ad proinde injuriosus, damnosusve fuerit, et. acquiescendum sane videtur, ut renunciare societati tum socio liceat, cum scilicet maioris vitandi mali collisio id exigat, minimeque dolosa, intempestivaque fuerit; Conf. HEIN. *Instit. Jur. Civ.* L. III. tit. 26, et CLARISS. MELLIIUM *Instit. Jur. Civ. Lusit.* L. IV. tit. 3. §. 20.

20. Vld. GROTIJ de *Jur. bel. et pac.* L. II. C. 12; PUTH.

FEND. de *J. N. et G. L. V. C. 5—8*; et de *Off. H. et C. L. I. C. 15*; HEINEC. de *J. N. et G. L. I. C. 13*; WOLF. de *J. N. et G. Part. IV. C. 4*, et *V. C. 1*, et *2*; DE FELICE *Leçons de Droit de la N. et des G. Lec. 28*; SALMAS. de *foen. et usur.*; GERARD. NOOD de *foen.*; BROEDERSEN de *licit. et illic. usur.*; MAFFEI dell' *impiego del denaro*; Clariss. MELLTUM nostrum *L. 1. Jur. Civ. Lusit. L. 1. tit. 8. §. 15*, et *IK. tit. 3. §. 1*, et *seq.*; et *Eccl. Jur. DD. ad L. V. tit. 19. de usur.*

CAPUT IX.

DE FACTIS AGRESSORIIS.

§. 706. **S**unt et alii contractus onerosi, qui ex eo, quod principioribus accedant, et per se nunquam subsistant, *pacta accessoria*, seu *adjecta* dicuntur. Horum quidam contractibus, quibus adjiciuntur, aliquid addunt, quod alias non continerent; vel aliquid detrahunt, quod naturaliter ipsis inerat, ex. gr. quae emptioni, ac locationi adjici solent (§. 628, et 634): quidam vero nihil determinant, temperamentumve aliquod eis adhibent, sed firmitatem, securitatemque tantummodo afferunt. Huc in primis spectant *fidejussiones*, et *pignora*, ac *hypothecae*.

De Fidejussione.

§. 707. *Fidejussio*, sive fidei nostrae pro alio interpositio, est conventio, qua alienae

obligationi quis in subsidium accedit, defini-
tisque solet *contractus, quo quis, se praestitum*
ram; quod alius debet, promittit, si ipse non
solvat.

Schol. Si quis se pro altero non in subsidium soluturum pro-
mittat, sed una cum eo in solidum sese obliget, *rens, et*
obligatio utriusque *correalis* dicitur. Si autem alterum,
consentiente creditore, obligatione liberet, eamque in se-
se totam suscipiat, *expromissor* appellatur. Si aliquem ro-
get, ut Titio; ex. gr., certam pecuniae quantitatem cre-
dat, *mondator* nominatur.

Ejus essentialia, et accidentalia.

§. 708. Ex hujusce contractus natura
fluit, 1) alterius fidejussorem fieri posse, qui-
cumque pacisci valeat (a) (§. 517), et 2) pro
illis omnibus fidem suam obligare, quae mo-
raliter atque physice possible fuerint, et aequae
commode, ac ab ipso debitore (b) principali,
fieri possint (§. 521 et seq.). Et cum fidejus-
sio in subsidium tantum alteri contractui ac-
cedat; ex ipsomet ejus fine deducitur; 3) obli-
gationem principalem per fidejussionem non
tollit, nec debitorem liberari; accedit enim
fidejussio, ut securior tantum fiat creditor;
4) cessareque fidejussionem, statim ac debitor
principalis solvat; et 5) non posse fidejussorem
in plus obligari, quam principalem debito-
rem; ac proinde, si hic sub conditione de-
beat, non pure, sed conditionaliter etiam
obligatum manere (c).

(a) Jure Romano, Scto Velleiano, nullius effectus erat

mulierum pro extraneis fidejussio, ratione fragilitatis ætatis, et iudicii muliebris infirmitatis, necessarizæque prudentiæ (§. 6. n. a) defectus. Excipiebant tamen, si mulier in dolo fuisset versata; veluti si virili inducta veste se virum simularet, quovisve alio modo creditorem deceperit; si in rem suam ac utilitatem fidejusserit; si fidejussionis præmium acceperit; si mercaturam exercuerit, cet. Nulla tamen sufficiens detegi ratio potest, cur mulieres, in quas ratio, voluntas, et mentem suam declarandi liberrima facultas cadat, pro aliis intercedentes Naturali Lege obligatas non manere dicatur, et præsertim ea in civitate, ubi foeminae fundamentalibus legibus ad successionem; et regimen vocantur. Non immerito quidem Gentes aliquæ Romanam Legem abrogarunt, intercessionemque mulierum ad simplicitatem Naturalium Legum redegere. *Conf. BOEHM. in singulari Exercitat. de efficaci mul. intercess.*, C. 2. n. 11, et 12.

(b) Apud Veteres Nationes, et ipsos Romanos, et Germanos, etiam pro altero vadem se dare quisque poterat. Nihil quidem obstat, quo, si multa explari crimen possit, alius pro alio intercedat, ad multamque pro reo solvendam in subsidium se obliget; in capitalibus vero criminibus fidejussionem admittere rectæ rationi adversatur. Ideo tamen veteres vadem se dare quemlibet pro reo admittebant, reoque fugam capiente eandem poenam vadem sustinere cogebant; quam ipse, si non auferet, sustinere debuisset, quod eo usque hominem vitæ suæ esse dominum credebant, ut solo suo consensu eam pro alterius vita oppignere, ut pro alieno delicto plecti posset. Non tanta vero potestas homini in propriam vitam competit (§. 297. et seq.); neque eo modo poenarum finis, emendatio scilicet delinquentis, et aliorum exemplum obtineri potest. *Conf. PURFEND: de J. N. et G. L. V. C. 10. §. 12.*

(c) Hoc tamen nihil prohibet, ut in minus, quam principalis debitor, obligetur fidejussor; veluti si pro parte tantum intervenerit; si, cum debitor pure maneat obligatus, sub conditione fidejusserit; aut ad certam tantummodo tempus, cet.

Fidejussorum obligationes, et jura.

§. 709. Tenetur itaque fidejussor, ejusque heredes (§. 562), principali debitore non solvente, tantum creditori solvere, quantum in se suscepit. Ei vero competunt 1) exceptiones omnes, quae ex ipso negotio fluunt, debitorique prosunt: 2) beneficium *ordinis*, seu *excussionis*, quo minime conveniri debeat, nisi prius excussus sit debitor principalis, id est, ejus facultates omnes occupatae, et venditae; illumque solvendo non esse appareat (a): 3) beneficium *divisionis*, quo etiam conveniri non debeat in solidum, cum plures sint fidejussores, et omnes solvendo sint, quin omnes pro rata conveniantur; nisi ultro et diserte in solidum se obligaverit (b): et 4) beneficium *cedendarum actionum*, quo nimirum non prius ad solvendum obligari possit, quam creditor jura, et actiones adversus debitorem, confidejussoresque ceteros ei cesserit, ut ab eis, quod ultra ratam solvit, repetere possit (c). *Conf. HEINEC. in Inst. J. C. L. III. tit. 21; et Clariss. MELLIIUM Inst. J. C. Lys. L. IV. tit. 3. §. 28.*

(a) Hoc beneficium a JUSTIN. inventum (*Novel. 4. C. i.*), et ideo *beneficium novellae constitutionis* a Ictis appellari solet. Eo tamen non indigere fidejussores, sed naturaliter eis competere, dicitur ratio. Cum enim fidejussoris obligatio sit accessoria, et subsidiaria, nulla detegi ratio potest, cur illico conveniatur, antequam debitorem solvendo non esse constet. Necessaria tamen fuit ea Naturae Legis declaratio, quia mos apud Romanos erat, ab Hebraeis, atque Graecis

ris acceptus, fidejussorem, etiam ante debitorem principalem, convenire.

- (b) Ab Imp. HADRIANO inventum fuit hoc beneficium, et ideo *beneficium ex Epist. D. Hadriani* vocatum. Credebatur enim confidejussores in solidum solvere teneri, quia in securitatem creditoris dati; securus autem non esset, si partem tantum, reliquis foro cedentibus, ab uno recipere cogere-
retur. Recta tamen non patitur ratio, ut unum urgere, totamque summam ab eo solum extorquere valeat creditor, cum fidejussor uterque solvendo sit, et uterque interpellari facile possit; proindeque facile etiam suum debitum, sineque suo, aut alterius incommodo, consequi creditor possit.
- (c) Promissum namque, suumque nomen exsolvens fidejussor, omnia creditoris jura et actiones cessant, non vero debitoris obligatio; et in fidejussorem, tamquam cessionario, jus omne transit.

Schol. Alterum etiam fidejussorum beneficium, rationi quidem quam maxime congruum, adjicere Icti solent, quod *liberationis* dicunt. In eo consistit, quod se a fidejussione liberari petere quis possit, 1) cum principalis debitor dissolutionem distulerit; 2) cum bona notabiliter dissipare, et ad inopiam vergere incipiat; 3) cum ex culpa debitoris inter hunc, et ipsum graves oriantur inimicitiae; et 4) cum fidejussor negotiationis, studiorumve causa, aut alia quacumque in terras longinquas, diu non reversurus, velit proficisci.

De pignore.

§. 710. Est et alter contractus accessorius; quo frequentissime, in principalis confirmationem, et securitatem, uti homines solent, quod *pignus* dicunt. In conventionem consistit, *qua jus in re sua aliqua debitor creditori concedit, ut ex eadem, debito non soluto, in subsidium ipsi satisfiat.* Non modo vero per vocabulum *pignus* a) ipse contractus designari solet; sed b) res ipsa obligata; et c) jus cre-

ditori acquisitum. Quod autem creditori traditur, *pignus in specie* appellatur; et, quod penes debitorem manet, *hypotheca*.

Schol. Hypotheca, ne debitor, creditore inscio, res mobiles pignori oppositas alienare, et in alterum transferre possit, in rebus immobilibus constituitur, veluti fundis, aedibus, aut in universitatibus etiam rerum mobilium diffusioribus, quae non aequè facile de loco in locum transferri possunt, veluti bibliothecis numerosioribus; immo et in juribus, si insignis inde utilitas ad possessorem redundare possit,

Obligations, et jura ex eo contractu emanantia.

§. 711. Ex natura et fine hujus contractus patet, 1) rem oppigneratam in debitoris bonis esse debere; adeoque fraudem re-
giori imputatione dignum esse, pignori rem alienam subjicere, oppigneratam, vel quovis alio titulo possessam, ex quo minime proprietas acquiritur; non enim jus in re, in quam alteri jus est, dare debitor potest; 2) rem pignori dandam, quae valorem ac pretium contineat (§. 606) (a); in securitatem enim creditoris constituitur pignus; 3) tenetque debitorem intra definitum tempus pignus luere, id est, debitum solvere, ob quod pignus constitutum est; 4) minimequo a solvendi obligatione liberari, etiamsi casu fortuito aliquo pereat pignus; casus namque ad rei dominum pertinent, in omnibusque debitoris bonis pignus quoddam naturale datur.

(a) *Argypall* suorum parentum cadavera condita pignerabant, et eum, qui ista reluere neglexisset, maxima ignominia, et defunctum privatio sepulturae sequebatur; eaque contumelia ipsorum conjunctos ad solutionem, ad quam alias non adstringebantur, adigebant. In regno *Pegu* ipsae uxores, et liberi pro pignore traduntur.

§. 712. Tenetur autem, creditor 1) re oppignerata minime uti frui, nisi per pactum adjectum, quod *antichreticum* (a) dicitur, id ei sit permissum; 2) pignus non minori diligentia, quam res suas, custodire; et 3) debito soluto illud statim debitori restituere, aut praestare quod interest, si illud retineat; res enim aliena est (b): jus tamen habet 1), dum expunctum non fuerit nomen, tam in pignore, quam in hypotheca, et in quemcumque res ipsa sit translata; aliter enim nullius effectus esset hypothecae constitutio: 2) jus efficiendi, debito non soluto, ut sibi ex re obligata satisfiat; adeoque 3) eam distrahendi, dummodo *hyperocham*, seu quod debitum excedit, deducta sorte, et usuris, debitori tradat; vel 4) tamquam suam, et sibi propriam habendi, si *legis commissoriae* pactum contractui pignoris fuerit adjectum.

(a) A Graeco vocabulo, *ἀντιχρησις*, *mutuus usus*.

(b) Cum tamen debitoris bona pro ipsius debitis naturae, liter sint obligata, pignus pro alio debito retinere creditor poterit.

De pacto antichreseos.

§. 713. Duo pacta ipsi pignori, quamvis natura sua accessorio, solent etiam adjici, *antichreseos* scilicet, et *legis commissoriae*.

Dicitur *pactum antichreticum*, quo fructus rei, in securitatem debiti traditus, creditori vice usurarum percipere conceditur.

Ex hujusmodi pacti natura fluit, 1) ei tantum locum esse in oppigneratione rerum fructuosarum; 2) fructus, cum vice usurarum sint, usurarum modum, quem supra (§. 663) aequitati convenientem esse diximus, non notabiliter excedere debere; ac proinde fructus, quos ultra preceperit creditor, vel debitori restituendos, vel sorti imputandos (a): et 3) casum non ferre creditorem, nisi aliud conventum sit; ac proinde si ob sterilitatem, calamitatemve publicam, tantum non percipere creditor potuerit, quantum ei usurarum nomine debeatur, illud aliunde supplere debitorem teneri.

(a) Quidquid ultra perceperit creditor, usuraria prava erit.

De pacto legis commissoriae.

§. 714. Alterum pactum *legis commissoriae*, vel *additionis in diem* vocatur. In eo consistit; quod, debito intra certum tempus non soluto, pignus creditori justo pretio sit venditum.

Hoc pactum improbant Romanae Leges (a) ob creditorum avaritiam, et crudelitatem, qui pignora pretiosissima, et quae multo pluris debito valerent, exigere solebant, nihilque sine ea conditione, ut scilicet debito convento tempore non soluto creditori committatur pignus, et ejus fiat proprium, mutuare volebant, et ita ad incitas miseros debitores redigebant. Cum tamen cuilibet res suas sub quacumque conditione alienare sit licitum; nulla quidem detegi ratio potest, cur illicitum hoc pactum dicatur, quoties 1) pignus sit aequale mutuo, aut tantum excedat, quantum licitae usurae poscunt; et 2) ejus *pretium* ante, vel tunc boni viri arbitrio, constituatur, et *hyperocham*, seu quod debitum excedit, debitori reddatur. Quidquid ultra fuerit, aequalitatem juris violat, ac iniquum certe est, *Conf. HEINEC. in Instit. Jur. Civ. L. III. tit. 15. §. 818*; et *Clariss. MELLIUM in Inst. Jur. Civ. Lusit. L. III. tit. 14.*

(a) L. un. C. *Theodos. de commissor. rescind.*, et L. ult. C. *de pact. pignorat.*

De jurejurando.

§. 715. Praeter fidejussionem, et pignus, alterum modum etiam ad promissiones suas firmandas adhibere homines solent, *adseverationes* scilicet, et *contestationes*. Sunt autem signa, aut sermones, quibus veracitatem, et

sinceritatem nostram confirmamus (a). Praecipua inter omnes illa contestatio est, qua ad vindictam divinam sub conditione falsiloquii moralis (§. 402) provocamus. Jusjurandum (b) ea dicitur, et quidem promissorium, si promissionem factam; aut adsertorium (c), si veritatem alicujus facti, praesentis, aut praeteriti, confirmamus.

(a) Actus, quo quis de re securus redditur, cautio vocari solet. Est igitur alia *fidejussoria*, seu *satisfactio*; alia *pignoratitia*; et alia *nude promissoria*; alia autem *juratoria*. Continet omnis cautio conditionem obligationis primariae, neque sola, qua talis, subsistere potest. Haec tamen cavendi necessitas quoddam humanae perfidiae testimonium est.

(b) A jure ita dictum, 1) quia, quod juratur, iustar juris, seu legis servandum; et 2) quia nihil jurandum, nisi quod jus fuerit, id est, quod bonum, et licitum (§. 52 Schol.).

Apud ipsosmet *Gentiles* magna fuit semper jurisjurandi auctoritas. Animadverterant enim, si contemneretur, tunc cessaturam omnem religionem, firmissimum Republicae firmamentum; cessaturum nexum inter Imperantes et subditos, quia plerumque jurejurando constringitur; cessaturamque omnem humanam fidem, ac proinde essentialia societatis fundamentum penitus everti. Hinc nihil magis Dei iram provocare, et merito, credebant, quam juratam fidem fallere; perjurumque proinde diris omnibus subjacere obfirmabant. *Aegyptii* poena capitis perjuros mulcabant.

(c) *Assertorium* juramentum in varias species dividere ICI solent: 1) in *voluntarium*, aut *extrajudiciale*, si alter alteri jusjurandum extra judicium deferat; 2) et in *necessarium*, aut *judiciale*, si in judicio, aut a giudice deferatur; et hoc 3) in *testimoniale*, si de facto alieno; 4) et in *litis divisionum* si de facto proprio fuerit; hocque 5) in jusjurandum *in litem*, si super quaestione, an debeat jurans, et quantum, juretur; 6) in *purgatorium*, si super facto aliquo, et quis

indicia contra se testantia jurejurando elidat; et *c*) in *suppletorium*, si semiplenam probationem, ut aiunt, jurejurando supplere jubeatur; et *d*) in jusjurandum *malitiae*, vel *calumnias*, si super litigatoris conscientia versetur.

Juramenti *suppletorii* usum jam pridem rationi contrarium, ac proinde a foro eliminandum, eruditissime, pro more suo, demonstravit HEINEC. *In Syllog. Opuscul. Exercit. XVII. de lubricis jurisjur. suppletor.* Equidem per illud 1) sit quis testis in causa sua; et 2) occasio innumeris perjuriis datur, ob paratissimum perjuri praemium, victoriam scilicet in causa.

Ejus scopus.

716. Finis juramenti ex parte ejus, qui jurat, est, ut majorem suis verbis conciliet fidem; ex parte autem illius, cui juratur, ut de veracitate, et sinceritate jurantis certior, et securior fiat. Qui enim DEUM esse agnoscit ens omniscium, omnipotens, et justissimum, non praesumitur esse tam malus, ut fidem fallere, ac divinae misericordiae renuntiare velit.

Quibus cautelis praestandum sit?

§. 717. Cum vero qui aliquid asseverat, et se verum loqui, et falsum non dicere serio confirmat, quodammodo se vereri manifestat, ut alii de sua veracitate suspicentur; et nostrum sit officium bonam existimationem custodire, et augere (§. 310); illud quidem maxima cura omnibus esse debet, ut non temere, sineque utilitate ulla, aut necessitate asseverationibus, jurejurandove utantur; sed tum demum, cum alter sine

CAP. IX. DE PACTIS ACCESSORIIS. 461.

causa ea, quae dicimus, vocet in dubium, et non aliter eum convincere, neque alio modo suspicione, et metu falsitatis eximere possimus, et, eum nobis fidem adhibere, nostra valde intersit.

§. 718. Et quia nihil inconsulto, nihil temere agere liceat (§. 407), multoque adeo minus alterum religionis obtentu fallere, aut Divino Nomine abuti (§. 265); perspicuum sane est, cur a Majoribus nostris sit praescriptum, ut non, nisi in *veritate*, *judicio*, et *justitia*, juremus. *Jurabis*, (ait JEREM. C. IV. v. 2) *vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

§. 719. Minime itaque jurandum, nisi 1) certissimi simus, ita se rem habere, ut pronuntiamus; 2) et justa adsit causa, ut dicta, promissive nostra juramento confirmemus; et 3), quod juraverimus, honestati, aequitati, et justitiae fuerit conveniens. Quoties hae cautiones adhibeantur, DEI attributa manifestat jurans, DEIque gloriam illustrat, et licitum ejus juramentum est.

An licitum sit juramentum?

§. 720. Non igitur alia in Sacris Litteris juramenta prohibentur, quam quae sine ulla necessitate, et ex levi tantummodo animo praestantur, et in obscuritatem Divinae Majestatis vergunt. *Non jurare omnino*, ait Do-

MTNUS (MATTH. C. V. v. 34), *neque per caelum, quia thronus DEI est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes anum capillum albam facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Hanc eandem Divini Magistri doctrinam commendavit **B. JACOB.** in *Epist. sua Galath. C. V. v. 12: Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per caelum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: est, est; non, non; et non sub iudicio decidatis.*

Ex unanimis namque Patrum testimoniis constat, 1) non qualemcumque iuramenti usum prohibere, sed pervetsum Judaeorum abusum tantummodo reprehendere **D. SALVATOREM** voluisse; temere enim, et inconsiderate pro rebus minimis, et levissimis iurare solebant, et ab aliis iuramentum etiam exigere; jurabantque per creaturas ipsas, caelum scilicet, terram, civitatem Ierosolymam, templum, aurum templi, per caput, oculos, cet. Haec itaque iuramenta, non ea, quae in veritate, iudicio, et in iustitia fiant, damnavit **DIVIN. SALV.**; et ea a malo provenire dixit, quia talis esset audientium incredulitas, ut simpliciter aliquid affirmanti, aut neganti nullam tribuerent fidem, quod

quidem malum, et humanae perfidiae, tem-
pescentisque amoris inter homines luculentis-
simum argumentum est.

Hoc idem ex ipsomet contextu deducitur.
Dixerat enim DOMINUS (ibid. v. 33) : *Non
perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua;*
et in Veteri Lege jam praescriptum erat : *Non
assumes nomen DEI tui in vanum (Exod. XX.,
7.) : Non perjurabis in nomine meo, nec pollues
nomen Dei tui (LEVIT. XIX., 12.) : Domi-
num Deum tuum timebis, et illi soli servies,
ac per nomen illius jurabis (DEUTERON. VI.
13, et X., 20).*

Ipsemet APOST. mentionem juramenti fa-
cit, et illud *omnis controversiae finem* appollat
(Ep. ad Hebr. VI, 13, et seq.); et ad ROMA-
NOS scribens (C. I, 9.), memoriam sem-
per in orationibus suis eorum facere, conte-
statione confirmat, dicens ; *Testis enim mihi
est DEUS...* In APOCALYPSI (C. X.) men-
tionem etiam facit S. JOAN. juramenti *Angeli*,
quem viderat stantem super terram, jurantis
*per viventem in saecula saeculorem, qui creavit
caelum, terram, et mare, et omnia quae in eis
sunt.*

Indubium est igitur, 1) licitum esse jura-
mentum, et per illud DEI attributa nos
manifestare, et ejus gloriam illustrare, quo-
tiescumque in *veritate, in judicio, et in justitia*
fiat ; *laude enim esse dignos, et ascensuros in
montem sanctum ejus, qui jurant proximo suo,*

et non decipiant, nec in dolo proximo suo jurant, ait DAVID (*Psalm. XIV, 1, et 5; XXIII, 3, et 4; LXII, 12*): 2) contra, vero illicitum, in DEI quæ obscuratorem vergens, cum Divinum ejus Nomen in vanum assumitur, seu temere ac inconsiderato, sinequæ necessitate ulla, ut faciebant Judæi, præstatur. *Jurationi non asueat os tuum, multum enim casus in illa: Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga (ECCLES. XXIII, 9, et 12).*

Schol. Monet S. THOM. 2. 2. q. 89, art. 5. "juramentum, quamvis licitum, non esse tamen de genere bonorum, quæ sunt per se bona, et appetenda, ut oratio, elemosinae, cæc.; sed illorum, quæ tantum bona sunt, et appetenda, posita aliqua necessitate, sicut medicina, quæ non nisi premente ægitudine, prodest. Unde similiter juramentum, cum sit, velut remedium, quod in fidelis humanæ defectum assumitur, non nisi raro, et urgente necessitate usurpandum est. Et aiebat S. AUG. in *Libr. de Serm. Dom. in monte c. 17.* "jurando ad facilitatem jurandi venit; ex facilitate ad consuetudinem; et ex consuetudine in perjurium inciditur."

Non nisi per DEUM jurare licet.

§. 721. Motiva, quæ jurantem impellere debent ad dicendam veritatem, aut pactum servandum, sunt DEI omniscientia, omnipotentia, et justitia. Inutile igitur est jusjurandum, si vel per id præstatur, quod pro tali Ente jurans non agnoscit, veluti per caput, oculos, salutem Principis, anserem, numerum tornarium, cæc.; aut si is juret,

qui DEUM esse negat, vel illum putat res humanas parum curare (§. 256, 5).

Schol. Non desunt, qui ejusmodi adseverationes, quas *Socratica juramenta* dicere solent, vera juramenta esse contendunt; quia sit idem, ac per earum rerum Creatorem jurare, et ea ratione jurans DEUM invocet, ut, si sciens fallat, eum puniat in ea corporis parte, aut in illis rebus, per quas jurat. Verumtamen 1) verbis repugnat caput, ex. gr., ejus Creatorem significare; 2) et esset DEO praescribere poenam, a vobis exigendam, 3) poenaeque innocentes plecti velle, quod absurdum sane.

Religioni jurantis adcommodandum;

§. 722. Ex quo consequitur, ut jusjurandum religioni jurantis adcommodandum sit. Qui enim per falsos DEOS jurat, quos veros credit, eos, ut omniscios, omnipotentes, et justissimos sibi repraesentat; proindeque ejus respectu perinde est, ac si per verum DEUM jusjurandum praestitisset.

Etsi ea sit falsa.

§. 723. Et quia tale juramentum acceptans, aut etiam deferens, causa moralis non est, cur alter erroneam de DEO opinionem foveat; cessat ratio, ob quam eidem actus superstitionis, et idololatriae imputetur. *Vid. GENES. XXXI, 53.*

Jurisjurandi effectus.

§. 724. Cum autem non alius jurisjurandi sit finis, quam ut ex parte jurantis certum
Tom. I.

Gg

tiorem reddat alterum, et omnem mendacii suspicionem a se amoliat; ex alterius vero parte, ut de sinceritate jurantis fiat certior, (§. 716); illud evidens certe, nullam novam obligationem ex jurejurando oriri, sed ejus, quae jam aderat, confirmationem tantummodo. Siquis ergo Caio ex. gr. centum aureos promiserit, et eos daturum juraverit, centum quidem, non vero plures, dare tenetur; et si sub conditione promiserit, non ideo pure, quod promissionem suam juramento confirmaverit, vel alio modo obligatus manet.

Obligatio itaque, qua *justitiae* vinculo ligabatur jurans, eadem manet; et jurejurando, seu religionis vinculis, fortior tantummodo redditur, et promittens, tamquam perjurus (a), si fidem fefellerit, regidiori imputationi subjicitur.

(a) Dicitur *perjurium* violatio juramenti rite praestiti; *pejeratio* vero jusjurandum ejus, qui se verum dicere jurat; dum sciens falsum dicit. Est ergo perjurium perfidia jurata, et pejeratio mendacium juratum: Utraque actio Divinis perfectionibus contraria est, et blasphemiae species. *Conf. Cic. de Off. III. 29.*

*Jusjurandum sequitur naturam actus,
cui accedit.*

§. 725. Accessoria igitur est jurisjurandi obligatio. Sicut enim poena praesupponit delictum; ita etiam, cum juratur, jam ante ad aliquid praestandum jurantem teneri existimandum; quomodo enim divinam justi-

tiam provocare quis posset, si promissa non praestet; nisi ad aliquid praestandum obligatus jam esset?

§. 726. Ex eo itaque patet, 1) jusjurandum, tamquam accessorium principalem obligationem neque augere, neque minuire, neque tollere; neque ex non pacto pactum facere; absurdum enim foret confirmare obligationem, quae numquam existit (§. 525); aut, quae exstat, se non exsolviturum jurare (§. 537); ac proinde, 2) nullo effectu esse, sed mere temerarium, et veritate, judicio, ac justitia destitutum; quod a) contractui, in errore essentiali, aut invincibili ignorantia principium habenti, fuerit adjectum (§. 506—509); b) aut in quem consensus dolo malo fuerit elicitus (§. 510—512), vel vi extortus (§. 513—516); aut 3) in quo conditiones, quae pactis omnibus naturaliter, et tacite insunt, non observentur (§. 534) (a); aut 4) cujus materia sit physice; aut moraliter impossibilis (§. 521—526).

(a) Sic, si quis gemmas spurias pro genuinis emat, et juret pretium se solviturum; tacite intelligit, si gemmae sint genuinae; quae ipsa conditio etiam juramento inest.

§. 727. Sicut enim ad ejusmodi exsolvenda pacta *Justitiae* vinculis, ita etiam *Religionis*, nemo devinciri potest (§. 521 et 525). Simplici enim sola DEI invocatione minime fieri potest pactum, quod pactum esse ne-

quit; neque validum, quod naturæ, aut civitatis legibus repugnat; esset enim religio iniquitatis vinculum, et religionis praetextu, quæ in ejusmodi hypothese impietas potius dicenda, ad illud teneremur, quod ipsa religio, seu lex, fieri verat. Hoc solum cogitare absurdum est immane.

§. 728. Ejusmodi juramenta, tamquam *veritate, judicio, et justitia* destituta; re quidem ea sunt, quæ a DIV. SALVAT. improbata fuerunt (§. 720), ad DEI quæ magis obscurandam, quam illustrandam gloriam vergunt; ac proinde quæ neque facere, neque facta adimplere licet. Divinam itaque violat legem, qui *a*) sciens pacta legibus contraria jurat; et *b*) qui alterum dolo, aut vi consensum extortum jurare cogit; contra vero DEI mandata minime spernit, qui temeritatem suam agnoscens, ejusmodi juramenta, tamquam sine deliberatione animi, ac proinde temere, et perperam facta, non servat. Qui ea perficeret, bis legem violaret.

Stolida igitur fuit HERODIS religio, JOANNEM BAPTISTAM occidere jubentis, quia privignæ saltatriculæ optionem juraverat quidvis petenti (MATTH. C. XIV. v. 6, et seq.). Aliter, et recte quidem, fecit DAVID, cum per iracundiam jurans, se universam *Nabalis* familiam eversuram, injustitiam vero juramenti sui agnoscens postea, poenituit, gratiasque DEO egit, quod in ejus

occursum *Abigail* mitteret, et ita eum prohiberet, ne tantum facinus committeret (I. REG. C. XXV. v. 22, et 32).

Schol. Veteres Decretalium Interpretes (ad L. II. tit. 24) novam obligationem ex iurejurando oriri docuerunt, eamque obligationem religionis intuitu DEI dixerunt. Sibi persuaserunt, jurantem, quotiescumque validus fuisset contractus, DEO et homini obligatum manere; et, quoties invalidus, non homini sed DEO; consequenterque, ne DEI nomen in vanum sumere videretur, promissionem juratam adimplere debere, et postea relaxationem juramenti petere, et iudicis implorato officio rem solutam; ex. gr. usuras immodicas, aut quod latroni juramento promissum, repetere. Hinc apud eos prologium: *omne iuramentum servari debet; quod servari sine dispendio animae potest*, propter religionis vinculum; ejusmodique contestationes, sane quidem veritate, et iustitia destitutas, consequenterque à *Divino Servatore* damnatas (§. 720), *iuramentum per se non dicitur*.

Asserebant insuper ipsos, contractus illicitos, civiles scilicet societatis legibus advoquant, juramento confirmari, et ejus virtute validos fieri, quotiescumque neque a) Naturae Legibus, b) neque communi civitatis bono adversantes fuissent, c) neque in alicujus praesudicium vergerent. Hoc autem auctoritate confirmabant Cap. *Debitorum* 6, et *Cum contingat* 28 *de iurejur.*, et C. *Quamvis* 2, *de pact.* in VI; addentes insuper Imperantiam Civiliam Reges ab Ecclesiastica Auctoritate corrigi posse, et hac in parte correctas manere. Quantum vero ea absurda! Valere juramenta iudicio, ac iustitia destituta! actionem prohiberi a lege, et ad eam faciendam teneri! obligari, et simul non obligari! reddere promissum juratum, et illud postea repetere! Supremos Imperantes, qui in his quae ad eorum officium pertinent, solum DEUM superiorem habent, externa auctoritati esse subjectos! posse subditos vi cujusdam arbitrariae contestationis, a Divina Lege prohibita (MATTH. C. V. v. 22, et *Ep. Apost. ad Rom.* C. XIII.) a Civili Societatis Legibus, se exsolvere!! Ita tamen communis illorum temporum opinio erat. *Cohf.* §. 245, 498 not. a, 525, et 529; et Clariss. MELLIUM *Inst. Jur. Civ. Lusit.* L. I. tit. 3. §. 10, et tit. §. 42, et seq.

VID. GROTI. *de Jur. Belli et Pacis*. L. II. C. 12; PUFFENDORF. *de J. N. et G.* L. IV. C. 2, et L. V. C. X, et *de Off. H. et Civ.* L. I. C. 11, et C. 15; HEIN. *de J. N. et Gent.* L. I. C. 13, et C. 7. § 203; WOLFF. *de J. N. et G.* P. III. C. 5, et P. V. C. 5; DE FELICE *Leg. de Dr. de la N. et des G.* Lec. 24.

CAPUT X.

DE MODIS, QUIBUS JURA, ET OBLIGATIONES
HOMINUM CESSANT, AUT AMITTUNTUR.

§. 729. **J**ura et obligationes hominum exposuimus, quae in ipsorum natura principium et fundamentum habent, et quibus ab ipsa Natura sumus instructi (C. I. et VI, P. I.), et quae ideo *naturalia absoluta, con-nata, et primigenia* dicuntur (§. 144). Modum etiam manifestavimus, quo ea recte exercere debemus (C. X. — XV., P. I.), ut ita creationis finem ultimum, intermediosque ceteros (§. 28) obtinere, ac proinde esse, bene esse, et felicitatem, ad quam creati (§. 27), consequi tandem possimus.

De illis etiam verba fecimus, quae in Natura, et aliquo simul hominis facto principium habent; et quidem 1) generatim (§. 168), et deinde 2) speciatim, ac in primis de illis, quae ad statum hominis internum, externumque pertinent (C. XI. P. I.) § de-

inde vero de eis, quae ad rerum, in usus vitae necessariorum, acquisitionem, et jura ac obligationes ex ea provenientes spectant (a C. I. usque ad VIII. P. II.).

Superest igitur, ut de modis, quibus jura et obligationes nostrae cessant, aut amittuntur, sermonem quoque instituamus. Nemini autem ignotum esse potest, eis, quae jura *naturalia-absoluta* dicuntur, a Natura solum privari nos posse (§. 147), ac proinde sola aetate, morbis, et ipsa tandem morte, ea cessare ac amitti. Ad *hypothetica* vero et acquisita quod attinet, ex hucusque dictis jam satis cognitum, eodem modo, quo acquiruntur, facto scilicet hominis aliquo, ea naturaliter amitti posse, ac cessare.

ICTI Romani copiose hanc provinciam egerunt toto titulo *de solutionib. et liberation.* Lib. XLVI. DIG. tit. 3. et Lib. III. INST. tit. ult. Cum itaque eorum sententiae rectae rationi congruentes sint, omnibusque Gentibus ideo placuissent; generales, praecipuosque modos, quorum mentionem faciunt, referemus. Sunt itaque 1) solutio; 2) rei interitus; 3) alterius perfidia; 4) compensatio; 5) lapsus temporis, defectus conditionis, et status mutatio; 6) condonatio, seu remissio, et motus dissensus; 7) novatio; 8) confusio, 9) et tandem mors.

De solutione.

§ 730. Cum obligatus ille dicatur, qui alteri aliquid dare, vel facere promisit (§. 591), ab ejusmodi obligatione sane quidem solutus manebit, quotiescumque illud praestet, quod dare, vel facere promisit. Est igitur *solutio*, aut *solvere*, illud praestare, quod debetur. Solutio tamen non est, nisi *totum, loco, tempore, modoque debito* praestetur (a). Dari ergo in solutum, seu aliud pro alio solvi nequit creditore invito, nisi praecisa ac vera solutio sit impossibilis, et tamen obligatio ad tantundem praestandum subsistat.

(a) Si ergo Olisipone me solutum promisi; si prima die Junii; si pecunia numerata: solvere non possum. Contra-
bricae, nec die prima Augusti, nec pecunia chartacea.
Qui ergo alio loco, vel tardius, vel contra quod pacto con-
ventum solvit, ad id quod interest, creditori tenetur (§.
359, et 602).

An rei interitu debitor liberetur?

§. 731. Cum ad impossibilia praestanda nemo teneatur (§. 203, et 522), cessat etiam obligatio, quoties *res specie debita* perierit; nemo enim ad praestandum, quod in rerum natura non est, cogi potest (a). Quod si vero factum aliquod injustum alterius sit rei interitus causa, tum sane jus reparationem petendi succedet, quia solum casus in contractibus non praestantur (§. 589, 602, et 639).

(a) Ex. gr. si hanc dare domum, hunc equum, qui in stabulo est, quis se obligaverit. Si enim debeat genus, aut quantitatem, ex. gr. equum, centum aureos, minime rei interitus liberare se poterit, quia genus aut quantitas ab alio genere, et quantitate substitui potest, et nunquam perit (§. 586. not. a).

An alterius perfidiae?

§. 732. Et quia in pactis reciprocis capita praestandorum priora posterioribus insunt per modum conditionis, quasi ita dictum foret: praestabo si praestiteris; patet, cur ob alterius perfidiam obligatio partis innocentis (a) rumpatur.

(a) Qui tamen fidem non praestat, ab obligatione solvendi minime liberatur (§. 538); et illum ad pactum implendum jus cogendi est alteri. Cessat itaque ejus obligatio; quia suo jure alter uti non valet, et ideo utriusque consensu extinguitur.

De compensatione.

§. 733. Alter obligationis solvendae modus est compensatio, seu debiti et crediti mutua inter se contributio. Is itaque compensat, qui debitum solviturus; id. in solutum imputat, creditori, quod hic ipsi debet. Quia vero aliud pro alio invito solvi nequeat; ea tantum compensari poterunt, quae sunt omnino aequivalentia, nimirum genus cum genere eodem; tunc enim, qui compensat, brevi manu solvit, et ab obligatione liberatur. Contra debitum liquidum, in quo certo constat, quid, quantum, et quale debeatur, cum illi-

quido, facta cum factis, vel genus unum cum genere diverso, aut cum specie compensare non licebit, nisi et alter consenserit.

De obligatione conditioni, diei, vel statui adligata.

§. 734. Cum nemo plus juris in alterum transferat, quam se transferre velle declaravit (§. 534); evidens etiam eom, qui ad tempus, vel pro certo statu, aut sub conditione se obligat, si tempus labatur, status mutetur, vel conditio deficiat, ab obligatione esse immunem.

De remissione, seu condonatione, et mutuo dissensu.

§. 735. Jus, quod quis ex pacto habet, in alterum potest transferre (§. 471, et 540), et etiam in ipsum debitorem. Haec translatio si fiat ab uno gratis, dicitur debiti *remissio*, *acceptilatio*, *pactum de non petendo*; si autem remissio sit reciproca in pacto bilateralis, vocatur *mutuus dissensus*. Itaque tam remissio, quam mutuus dissensus, re adhuc integra, sunt pacta liberatoria, jus creditoris tollunt, et obligationem extinguunt.

Schol. Cum perinde sit, sive quis animi sententiam verbis, vel factis, aliisque signis declarat, facta intelligenda condonatio, sive verbis acceptum quis ferat; sive factis, ex gr. redditione, combustione, lacerationeve chirographi; dummodo de contraria mente, aliove creditoris consilio non constet (§. 503 *Schol.*).

De novatione, et variis ejus speciebus.

§. 736. Sicut creditor totum debitum simpliciter remittere potest, ita eidem licet illud sub conditione alterius praestationis condonare; ac proinde obligationem a) *novare*, b) *adsignationem* sibi factam acceptare, et ita c) *delegationem* perficere, aut d) *ius suum tertio cedere*.

§. 737. Est autem *novatio* pactum, quo prior obligatio in aliam transfunditur, manente eodem debitore et creditore, mutata scilicet debendi causa, vel modo.

§. 738. *Adsignatio* autem est actus, quo debitor soluturus alium substituit, qui vice sua solvat, namque creditore consentiente. Is, qui substituit, *assignans*; qui substituitur, *assignatus* appellantur.

§. 739. *Delegatio* pactum est, quo creditori acceptanti debitor vice sua alium debitorem ex promittentem substituit. *Expromittens* vero dicitur, qui obligationem alterius principalem in se suscipit: quare tres in delegatione debent consentire, *delegans*, seu debitor primus; *delegatus*, seu debitor substitutus; et *delegatarius*, seu creditor.

§. 740. *Cessio* est actus, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero; qua in re consensu *cedentis* quidem et ejus, cui ceditur, seu *cessionarii*, opus est, non vero debitoris. Cujus rei causa non est, quod

cedens mandantis, cessionarius vero mandatarii vice fungantur; sed quia cuilibet de jure suo licet disponere, etiam inscio altero atque invito, dummodo nullum inde debitorum detrimentum patiatur.

§. 741. Ex his haud obscurum est a) *novatione* quidem obligationem priorem tolli, ejusque accessorias, veluti fidejussionem (§. 707), et pignora (§. 710); sed debitorem principalem ex alio debito teneri, b) *Adsignatione nuda* primum debitorem non liberari, bene vero *delegatione*, etiam si secundus debitor, seu delegatus solvendo, non sit. γ) Denique per *cessionem* salvi quidem jus prioris creditoris; sed in ejus locum venire cessionarium, et re ipsa obligationem debitoris haud cessare.

De confusione.

§. 742. Secum ipso pacisci, atque adeo ex contractu sibi aliquid debere nemo potest (§. 502). Si ergo debiti fiat, et crediti *confusio*, cum scilicet vel debitor in personam creditoris, vel creditor in personam debitoris succedit, necesse est obligationem perire.

Quatenus mors ab obligatione liberet?

§. 743. Est etiam vulgare adagium: *mors omnia solvit*; mortui enim nec obligationis, nec juris sunt capaces. Attamen non indistinctim creditores, mortuo debitore, jure suo

CAP. X. DE MOD. QUIB. OBL. SOLV. 477

cadunt ; si enim jus est hujusmodi, quod in rebus a defuncto relictis aequè potest exerceri ; tunc obligatio ad earum possessores transmittitur ; et ideo emptio venditio (§. 625), locatio conductio (§. 631), et quae ejusdem generis sunt conventiones, etiam ad hos pertinent.

§. 744. Ast si jus erat in sola persona radicatum, cujus nimirum specialis industria et conditio fuerat electa ; eatenus verum est, morte paciscentis hujusmodi obligationes atque jura exspirare. Quam ob rem contractus *societatis* (§. 702), vel *mandati*, (§. 595) mortuo alterutro contrahente, plene finiuntur.

Vid. PUFFEND. de *J. N. et G.* L. V. C. 11 ; et de *Off. H. et Civ.* L. I. C. 16 ; HEINFC. de *J. N. et G.* L. I. C. 15 ; WOLF. de *J. N. et G.* P. V. C. 4.

Explicit II. Pars. L. D.

INDEX

VERBORUM, ET RERUM

PRAECIPUARUM.

A.

Ablatio rerum quid? §. 474 : an res alienas aliquando auferre liceat? §. 479, et 480 : res ablatae suo domino restituendae §. 476 : quid, si dominus non appareat? §. 478.

Absolutum Jus quid? §. 144, et 223 : quae jura absoluta? §. 144, et 152, et seq. : absolutus hominum status quoad eorum essentiam §. 104 ; et quoad positionem in qua collocati existunt §. 106, et 421.

Abstinentia quid? §. 305.

Acceptatio quid? §. 501 : quomodo fieri possit? §. 503 : acceptatio hereditatis, et quomodo facienda §. 561.

Accessio quid? §. 460 ; quae ejus species *ibid.* : officia, et jura quoad accessionem naturalem, et ejus diversas species §. 461 : quoad industriale §. 463, et quoad mixtam §. 465.

- Accessorium; et principale* quid? §. 464 Sch. : quando accessorium sequi principale debeat §. 465.
- Accidentalibus contractuum* §. 589 Schol.
- Acquiescentia* in divina providentia necessaria hominibus §. 263.
- Acquisitio domini* quid? §. 433, et 434: generales illud acquirendi modi 441, et 443: originarius quid? §. 433: an licite introductus? 437, et seq.: ejus origo §. 429, et seq.: diversae ejus species §. 446. Derivativus qui? §. 446: ejus origo, et causa §. 500, et 536: diversae species §. 500, et 545.
- Actio, et passio* quid? §. 72: quae physica, et mechanica; et quae moralis, et humana? *ibid.* Actionum distinctio ratione agentis in possibles, aut contingentes §. 75: in impossibiles §. 76: in necessarias §. 77: in necessarias absolute §. 78, et 79; et necessarias hypothetice §. 80: in voluntarias, liberas, seu ultroneas; et in involuntarias, coactas, aut invitae §. 81, 82, et 83: et in bonas, et malas §. 93. Alia distinctio ratione Legis in moraliter possibles; aut licitas §. 85: in moraliter impossibiles, aut illicitas §. 86: in moraliter necessarias, aut debitas §. 87: in moraliter impossibiles; et necessarias absolute, vel hypothetice tantum §. 88: in bonas, et malas §. 89: et in pias, ho-

- nestas, et justas; impias, inhonestas, aut turpes, et injustas, ratione objecti, §. 173: quae sint objectum Juris, et Legum §. 55: quae imputentur §. 195, et quae non §. 196, et 203: an de aliorum actionibus judicare sit cuique permissum §. 193 Schol.: actionum moralitas intrinseca, et unicuique inhaerens §. 92: an actiones morales esse possint indifferentes §. 100.
- Addictio indiem* in emptione et venditione §. 628: in pignore §. 714.
- Additio hereditatis* §. 561.
- Adfectionis pretium* §. 609 n. b.
- Adferruminatio* §. 463.
- Adfines* quando ab intestato succedant §. 573.
- Adjunctio* §. 463.
- Adplicatio legis ad facta* §. 192: quomodo faciendi §. 193.
- Adplumbatura* §. 463.
- Adseveratio* §. 715.
- Adsignatio* §. 738.
- Adversa fortuna* quid, et quomodo in ea nos gerere debeamus §. 314.
- Aequalitas naturalis* hominum in quo consistat? §. 150 — 152: aequalitatis jura §. 152: aequalitatis officia §. 325: objectum §. 326 et seq.
- Aestimatio* quid? §. 604: aestimatoria permutatio §. 622.
- Aetas* quae, ut quis se obligare possit, sufficiens dicenda §. 518 n. a.
- Tom. I. Hh

- Affectus* §. 34: an libertatem hominis impediunt §. 36: a ratione regendi §. 294: an imputationi subjecti §. 206, et 213, IV.
- Agnitio DEI* necessaria omnino §. 249: quae de DEO necessario scienda §. 250.
- Aggressorem* quando occidere liceat? §. 378: quae observanda prius, ut licita aggressoris sit occisio §. 376, et 379: an licita pro existimatione, et honore servando §. 387; pro integritate corporis §. 383; pro pudicitia §. 384; pro rebus, et juribus §. 388: an licitum defensionem omittere, et juri nostro renuntiare? §. 392.
- Agri vectigales* qui? §. 643 Sch.: qui allodialles? §. 650 not.
- Alea* quid? §. 689: aleatorii contractus *ibid.*: eorum species diversae §. 692.
- Alienae* res domino restituendae §. 476, et 480: an aliquando res alienas auferre, destruereve liceat? §. 367, et seq., et 479.
- Alienatio*, et alienandi jus §. 468, et 471: hujusce juris fundamentum §. 467.
- Allegorici*, ambigui, et simulati sermones qui? §. 403, et 415: eorum moralitas, *ibid.*, et §§. seq.
- Alimenta Naturae* Legibus filiis debentur §. 550 n. c: etiam illegitimis, seu aliquo damnato coitu natis §. 568 Schol.
- Allodialia* quae dicenda? §. 650 not.
- Alveus* derelictus ad quem spectet §. 461, et 462 Schol., et 458.

Alluvio quid, et cui acquiratur §. 461, et 462.

Ambitio §. 311.

Amici an ex defectu consanguineorum in hereditatem amici ab intestato succedant §. 572
Schol.

Amissio hereditatis §. 563: jurium et obligationum §. 729, et seq.

Amor quid? §. 286. n. a: erga DEUM qualis esse debeat §. 260: erga nos quam naturalis sit §. 286; et quam necessarius erga alios §. 324: ejus principium ac fundamentum §. 325: objectum §. 326.

Anatecismus, et an licitus? §. 678.

Androlepsia §. 459.

Anima hominis §. 5: ejus natura §. 6: præcipuae facultates §. 9. et seq.

Animalia quomodo occupentur? §. 451: quæ fera, mansuefacta, et mansueta dicantur? §. 452: an eorum amittatur proprietas, simulac nostram custodiam evadant? §. 453: an ad ea occupanda sola vulneratio sufficiat? §. 454: an ea occidere, et in cibum convertere liceat? §. 455.

Animus gratus quid? §. 343: obligatio ad grati animi significationem *ibid.*

Antichresis quid? §. 712, et §. 713: quando licitum antichreticum pactum? *ibid.*

Annuus census §. 686: quomodo constituatur? §. 687: ejus species §. 687, et not. a.

Anni chmaeterici §. 518 not. a.

Appetitus sensitivus, et rationalis §. 14.

Apollices §. 614 Schol.

Apprehensio §. 434.

Arbores in confinio positae ad quem spectent §. 466.

Arrogantia quid? §. 311.

Assecuratio, et quando licita? §. 684.

Atheismus §. 252 : diversae ejus species §. 254, et 256.

Avaritia §. 306.

Aversio, et emptio per aversionem §. 693.

Auferre aliena an aliquando liceat? Vid. supra *Ablatio*.

Autochiria an aliquando liceat §. 319, et seq. Vid. *Suicidium*.

B.

Beatitudo, seu felicitas §. 29 : perfecta, aut imperfecta §. 30 : quae in hac vita obtineri possit *ibid*.

Belli jus §. 159 : quando locum habeat §. 164 ; an sit naturalis hominum status §. 160.

Beneficentia §. 336 : beneficia sapienter dispensanda §. 337 : an conferenda invitis §. 342 : cur imperfecta dicantur §. 345 : an in perfecta aliquando commutentur §. 347.

Beneficium cedendarum actionum, excussionis, et ordinis, seu divisionis, et liberationis fidejussoribus competens §. 709.

Bodemeria §. 683.

Bona fides §. 483: ad quid teneatur qui bona, aut mala fide possidet §. 484, et 486.

Bonitas actionum respectu legis §. 89: respectu agentis §. 93: eorum moralitas, cum sint tantum physicae bonae §. 96: cum bonae physice, sed male moraliter §. 98: cum malae physice, sed bonae moraliter §. 99: bonitas, et malitia actionibus inhaerens §. 92.

Bonum quid? §. 9. Schol.

C.

Coeritionae partem cultus extérni constituunt §. 268.

Calumniae quomodo vitandae? §. 312: an calumniatorem occidere liceat? *ibid.* Schol. et 387.

Cambium quid? §. 672: locale, seu manuale *ibid.*: trajectitium, seu trassatum, et mercantile §. 673: ejus origo, et perfectio §. 675 Schol.: quot personae ad illud requirantur §. 674: per litteras cambiales exercetur §. 675: cambium siccum §. 676.

Capti in bello an in servitutum juste detrudantur? §. 459.

Causae actionis alicujus quae esse possint §. 207: earum diversae species §. 208: causae morales §. 209: quomodo earum facienda imputatio §. 210, et seq.

Cautio fidejussoria, pignoratitia, et juratoria §. 715. n. a.

- Census*, et censualis contractus §. 686.
Cessio §. 740.
Civitas quid, et quid Jus Civitatis, seu Politicum §. 229.
Coacta actio §. 80 et seq.; an coactio libertatem tollat? §. 83 Schol.: quando jure fiat §. 515: an imputationi subjectae sint actiones coactae §. 213, et 214.
Cognitio DEI absolute necessaria hominibus §. 247: theoreticam religionis partem constituit §. 249: quae acquiri possit §. 250.
Collateralium successio §. 572.
Collisio quid, et quid in ejusmodi statu faciendum? §. 60: quoad Leges Divinas negativas ad DEI cultum spectantes §. 67: quoad affirmativas §. 69: quoad leges humanas §. 70: quoad officia erga nos §. 316, et seq.: erga alios imperfecta §. 338: perfecta §. 365, et seq.: circa significationem mentis §. 408, et seq.
Colonus §. 631: partiarius §. 633: quando remissionem pensionis petere possit §. 639.
Commercium §. 600: ejus origo causa, et necessitas §. 601: inter perennes divitiarum fontes numerandum §. 664 n. 4.: ejus praecipua lex §. 602.
Commissoria lex §. 628 II., et 714.
Commixtio §. 463 II.
Commodatum §. 588: commodantis, et commodatarii jura, et officia §. 589.
Commodum, et periculum rei venditae, et

nondum traditae ad quem spectet §. 629
Schol.

Communio rerum primaeva, et negativa §. 427:
cur ab ea homines recederent §. 429: com-
munio positiva §. 448.

Compensatio §. 733.

Conditio, et quae ejus species §. 533; effe-
ctus §. 534.

Conductio, et locatio §. 631: conductoris
jura, et officia §. 636.

Confusio §. 463 II., et 742.

Conjuges, et adfines cum ab intestato succe-
dant §. 573.

Connata jura §. 144; eorum natura §. 147:
species 152, et seq.

Conscientia §. 179; ejus genera §. 181; spe-
cies §. 184: quid agendum cum erronea
fuerit §. 186; cum dubia §. 188; cum pro-
babilis §. 190, et in conflictu probabilis
cum probabiliori §. 191.

Consensus in contractibus quomodo praestan-
dus §. 503; an valeat errore, aut ignorantia
praestitus §. 507; dolo malo elicitus
§. 510; vi, aut metu extortus §. 513.

Conservationis jus §. 154: conservare quid
§. 9 Schol. II.

Contestatio §. 715.

Contractus §. 600: in quo differant a pactis
§. 501 Schol., et §. 600 Schol.; eorum
origo, et necessitas §. 536, et 601; alea-
torii §. 689; lusorii §. 700; contractus
trinus §. 685. Vid. *Pacta*.

- Conventio*, et ejus discrimen a pactis, et contractibus §. 501 Schol.
- Corporis* humani descriptio §. 2; erga corpus nostrum officia §. 295.
- Culpa* §. 81 n. a: ejus species, et a dolo discrimen §. 213 Schol.
- Cultus* DEO præstandus §. 258: internus, et externus §. 259: interni partes §. 260, et seq.: externi §. 266, et seq.: cultus externi necessitas §. 271: errores interno, et externo cultui oppositi §. 272, et seq.

D.

- Damnum*, et ejus diversae species §. 360; illud reparandi obligatio §. 359, et 473; reparandi modus §. 361: quomodo determinanda ejus quantitas §. 362; quomodo a pluribus datum præstandum §. 363; an ad illud teneantur mantecapti, furiosi, et impuberes §. 364; illius causae morales §. 209, et seq.; de damno ab animalibus dato §. 475: damnum emergens quid? §. 667. n. a.
- Debitorum* obligationes, et jura §. 587.
- Defensionis* jus §. 157; quando locum habeat defensio violenta §. 164: quando caritati repugnet §. 389; an defensionis juri renuntiare licitum §. 392.
- Defensor* quis dicatur §. 528. n. b.
- Defraudatio* quid §. 474.
- Delegatio* §. 739.

Depositum quid §. 593 : miserabile §. 592
 . n. a : depositarii, et deponentis obligatio-
 nes, et jura §. 594.

Dissimulatio quid §. 399 : quando licita §. 416.

Divisio rerum §. 426 : divisionis beneficium
 §. 709.

Dolus quid §. 81 n. a, 213 Schol., et 510
 n. a : an vitiet contractum §. 510, et seq.

Dominium §. 467 ; directum, et utile, ple-
 num, et minus plenum §. 471 ; quae jura
 domini §. 468.

Donatio inter vivos, aut causa mortis §. 548 ;
 an revocari liceat §. 550.

E.

Ebrietas, et ejus species §. 200 : an ebrio
 imputari aliquid possit *ibid.* : an valcant
 pacta ab ebriis inita §. 518, et n. b.

Egoismus moralis §. 328 ; philosophicus *ibid.*
 n. a.

Emphyteusis §. 642 ; ejus origo *ibid.*, et §.
 643 Schol. ; species variae §. 645 n. d :
 emphyteutae jura, et obligationes §. 648 :
 domini directi §. 646.

Emptio, et venditio §. 625, et seq. : empto-
 ris, et venditoris jura, et officia §. 629.

Error §. 187 Schol. ; juris, et facti §. 197,
 et seq. ; essentialis, et accidentalis §. 508 :
 an vitiet contractum §. 507, et seq. ; an
 imputationi subjectus §. 197, et seq.

Evictio, et evincere quid §. 630 n. b.

Excussionis beneficium §. 709.

Exhaereditatio quid §. 559; filiorum, et parentum *ibid.*, et §. 550 n. *b*, et *c.*; naturali amori repugnat §. 559.

Existimatio quae vera, falsa, simplex, et intensiva §. 309; obligatio bonam existimationem acquirendi, et adversus calumniatores tuendi §. 310, et seq.

Expromissio, et expromittere quid? §. 707 Schol., et §. 739.

Externus DEI cultus. Vid. *Cultus*.

F.

Factum quid? §. 192 Schol.

Facultas moralis §. 143.

Falsiloquium morale §. 404: ejus moralitas §. 407.

Fama, et ejus species. Vid. *Existimatio*.

Favor necessitatis, et ejus usus §. 63, et 214.

Felicitas. Vid. *Beatitudo*.

Ferorum occupatio §. 451: an ad earum occupationem sola vulneratio sufficiat §. 454: an eorum amittatur proprietas, statim ac nostram custodiam evadant? §. 452.

Feudum §. 650; ejus origo *ibid.* n. *a*: domini, et vassalli obligationes, et jura §. 652.

Fidejussio §. 707: fidejussoris beneficia §. 709: an mulieres pro aliis fidejubere possint §. 708 n. *a*: an in capitalibus criminibus fidejussores admittere liceat *ibid.* n. *b*.

Fides in contractibus religiosissime servanda §. 537, bona fides §. 491: mala §. 486: ad quid teneatur qui bona fide rem aliquam possidet §. 482, et seq.; qui mala §. 486.

Filii quomodo parentibus ab intestato succedant §. 568, et 569: quid de successione illegitimorum, et incertae originis dicendum §. 568 Schol.; filios alere parentes tenentur §. 550 n. c, et 569 n. b; et portione legitima non privare §. 550 n. b; neque testamento nisi gravissima de causa praeterire §. 559: filiorum diversae species §. 559 n. a.

Finis, diversaeque ejus species §. 27 n. a: ultimus, ad quem homo creatus §. 27; intermedius §. 28.

Fluminis vis §. 461; ad quem pertineat quod ex vi fluminis provenit §. 462, II.: ad quem alveus derelictus, fluminisque ripae *ibid.* Schol., et §. 458.

Foeminae an fidejubere pro aliis possint §. 708 n. a.

Foenebris contractus §. 654; an Divinae Legi naturali, aut positivae adversetur §. 657 et seq.

Foenus §. 654; foenus nauticum, et quasi nauticum §. 681, et seq.

Foetura, et fructus animalium ad quem spectent §. 461.

Fortuna prospera, et adversa §. 314: quo-

modo in ejusmodi statu nos gerere oportet *ibid.*

Forum divinum, et humanum; internum, et externum §. 179 Schol.

Fructus, et eorum diversae species §. 482 Schol.

Fuga an violentae defensionis praeferenda §. 380.

Fungibiles quae res dicendae §. 426, et 586 n. a.

Furtum §. 474; an aliquando excusabile §. 367, et 479.

G.

Gentium Jus §. 231; gentis notio *ibid.* n. a.

Gerere se pro herede quid? §. 561.

Gloria §. 309: divinam gloriam illustrare, et nunquam obscurare tenemur §. 67, et 321.

Gratus animus quid, et quam turpis sit ingratitude §. 343, et 344.

H.

Hæreditas, et heres §. 553 Schol.: est res jacens §. 560; quomodo acceptetur §. 561; quomodo amittatur §. 563; heredum jura, et obligationes §. 562.

Homo est animal duabus substantiis compositum §. 1: a ceteris animalibus distinctus §. 7, et seq.: est animal sociale §. 25.

Honestas §. 173: honestatis officia §. 290, et seq.

Honor §. 309; an pro ea servanda licita sit violenta defensio §. 387.

Humanitas §. 327: humanitatis officia §. 331; ad ea omnes, et erga omnes, indistinctim tenemur §. 334.

Hymni, et cantus partem externi cultus constituunt §. 267.

Hyperocha §. 714.

Hypothetica jura §. 144, et 168: Jus Naturale Hypotheticum §. 225: diversa ejus genera *ibid.*, et seq.

I.

Jactus mercium alienarum quando licitus §. 369: quomodo earum domino resarciendum damnum §. 480: jactus retium emptio §. 692.

Ignorantia, et ejus species §. 187 Schol.: an ignorantia juris, aut facti sit imputabilis §. 197, et seq.

Imagines partem externi cultus constituunt §. 268.

Inclusio gemmae §. 463: cum sit legitimus acquirendi modus §. 464.

Ingratitudo §. 343, simplex, et praegnans 344: pessimum, et turpe vitium *ibid.*

Impensae, earumque diversae species §. 487 n. a.

Imperium §. 153 Schol.

- Imputatio* §. 192: ejus fundamentum, et objectum §. 195: diversi gradus §. 212.
- Indossare*, et cambium indossatum §. 674.
- Inimicus*, et hostis §. 334 n. a; an eis officia humanitatis praestanda §. 334, et 335.
- Injuria* §. 357.
- Innoxiae*, et noxae utilitatis officia §. 331.
- Inquilinus* §. 631; ejus obligationes, et jura §. 636; cum mercedis remissionem petere possit §. 637: an eum expellere a domo locata liceat §. 635 n. a: an domum locatam sublocare valeat *ibid.*
- Insula* in medio maris, aut fluminis ad quem spectet §. 461, et 462, et 458.
- Intellectus* §. 9 Sch. I.: intellectuales virtutes §. 177; obligatio intellectuales facultates excolendi §. 291.
- Intentio*, et ejus diversae species §. 213 Sch.
- Interdicta* §. 469 n. a.
- Internus DEI cultus*. Vid. *Cultus*.
- Internus hominum status* §. 290, et 356.
- Intextura* §. 463.
- Invasio* §. 474: an hostium invasio justa sit causa ad mercedem, aut pensionem locationis remittendam §. 637, et seq.
- Inventio* §. 456: an praeter inventionem necessaria sit etiam rei adprehensio *ibid.*; inventio thesauri *ibid.* n. a.
- Invitae actiones* quae §. 82: earum species §. 83: quomodo imputandae §. 213, et 214.

Jura hominum stricte talia §. 143, permissiva *ibid.* : connata, et absoluta 144 : hypothetica *ibid.*, et 168 : primitiva §. 145 : derivativa *ibid.* : perfecta §. 166 : imperfecta *ibid.*

Juramentum, ejusque diversae species §. 715 ; ejus requisita §. 717, et 721, et seq. ; effectus §. 724, et seq. ; an validos reddat contractus lege prohibitos §. 727, et seq. ; ejus moralitas §. 720.

Jurisprudencia §. 218 : ejus species §. 720, et seq. : Jurisprudens, Juris peritus, et Juris sciens §. 219.

Jus §. 52 Schol., et 216 : jus, officium, obligatio, et lex sunt correlativa §. 52, et 141. Jus Naturale absolutum, aut Ethicum §. 223 : Hypotheticum non sociale §. 226 : Sociale Oeconomicum §. 227 : Politicum §. 229 : Gentium §. 231 : Juris Naturae usus, et praestantia 232, et seq.

Jusjurandum. Vid. *Juramentum*.

Justitia §. 176 ; ejus species §. 97 Schol., et 176 : justitiae officia §. 173.

Justus quis dicendus §. 97.

L.

Labor §. 302 n. b : laborare, et otium vitare omnes homines tenentur §. 302, et 307 : immodicus labor vitandus §. 296, et 303.

Laesio §. 161 ; neminem laedere tenemur §. 353, et seq. ; et laesionem datam re-

parare §. 359; ex laesione nascitur jus cogendi §. 165.

Laudemium §. 645 n. c.

Legitima portio quid, et quibus debeatur §. 550 n. b.

Lex §. 43; divina, aut humana §. 56; divina naturalis, aut positiva *ibid.*; humanae species *ibid.*; praeceptiva, prohibitiva, aut permissiva §. 57, et 58; qui leges ferre possit §. 45; legum proprietates §. 44; earum subjectum, et objectum §. 55; Legis Naturalis auctor solus DEUS §. 119; ejus existentia §. 121, et seq.; proprietates §. 131, et seq.; earum cognoscendi principium §. 124, et seq.; lex, obligatio, jus, et officium sunt correlativa §. 52, et 141.

Libellarius contractus §. 649 Schol.

Liberalitas §. 305.

Liberi. Vid. *Filii*.

Libertas §. 17; ejus a spontaneitate, et a nudo arbitrio discrimen §. 18; libertate sunt homines praediti §. 19, et seq.; non confundenda eum licentia §. 22; libertas moralis quid §. 143 Schol.; naturalis §. 153.

Litterae cambiales quae, et quomodo faciendae §. 675.

Locatio, et conductio §. 631; locatoris obligationes, et jura §. 635; conductoris §. 636. Vid. *Inquilinus*.

Lotaria §. 697; ejus moralitas §. 690.

Lusorii contractus §. 700.

M.

Magnitudo animi necessaria hominibús §. 314.

Mandatum §. 595; diversae ejus species §. 596, et n. a; mandantis, et mandatarii obligationes §. 596.

Mendacium, et ejus a falsiloquio discrimen §. 404; nunquam licitum §. 405, et seq.; quid in collisionis statu? §. 408, et seq.

Meritum, et dignitas §. 163; ex eo jura imperfecta tantum proveniunt §. 166, et 345.

Metalla cur electa ad pretium eminens constituendum §. 613, et 614.

Moderamen inculpatae tutelae §. 379.

Moderatio animi §. 314.

Modestia §. 311.

Modus acquirendi quid? §. 442: quotuplex §. 441: originarii species §. 446: derivativi §. 500, et 535.

Mohatra §. 688.

Moneta §. 613 n. b: ejus valor intrinsecus, seu materiae, et extrinsecus, et legalis, seu formae §. 615 n. b: quomodo determinandus §. 616, et seq.

Montes pietatis §. 677.

Mors obligationes et jura omnia solvit §. 743.

Mortis causa donatio §. 548.

Mulieres an pro aliis fidejubere possint §. 708 n. a.

N.

Necessitas quid? §. 64 : absoluta, aut hypothetica; extrema, aut gravis *ibid.*, et 65, 78 — 80.

Negotiorum gestio §. 598.

Novatio, et variae ejus species §. 736.

Noxiae, et innoxiae utilitatis officia §. 331.

Nummus, et numisma §. 615 n. b. Vid. *Moneta*, *Pecunia*.

Nummularii, et argentarii §. 672.

O.

Obligatio physica §. 47 : activa, et passiva §. 48 : moralis §. 50 : quibus modis solvatur §. 729, et seq.

Obsequium, et obedientia DEO praestanda §. 264.

Occasio §. 214 Schol.

Occidere se ipsum nunquam licitum §. 297, et seq. : neque nostri similes §. 353—356.

Occupatio quid? §. 434 : quibus occupare liceat §. 447 : et quae res §. 449 : occupationis jura, et obligationes §. 436 : occupatio bellica §. 459.

Odium quid §. 328.

Officiositas §. 336.

Officium §. 52, et 170, diversae officiorum species §. 171, et seq.

Olla fortunae §. 698.

Opprobrium §. 309.

Orationes cultus externi partem constituunt §. 267.

Ordinis beneficium §. 709.

Otium fugiendum §. 302, et 307; quale licitum §. 302.

P.

Pactum quid? §. 501: pactorum origo, et necessitas §. 536, et 601: obligatio ex eis proveniens §. 537, et 538: discrimen a contractibus §. 501, 535, et 600 in Scholiis: requisita §. 502: variae species §. 531 — 535: an aliquando valida, cum a lege fuerint prohibita §. 528: an illicita juramenti adjectione valida reddantur §. 725 — 728. Vid. *Contractus*.

Parsimonia §. 305.

Partiarius colonus §. 633.

Passio, et actio §. 72.

Pecunia §. 611: chartacea, coriacea, plumbea, aliaque symbolicae pecuniae genera §. 614 Schol.: cur ad materiam pecuniae electa fuere metalla *ibid.*: cum in usu metallica esse coepit *ibid.*: cur signanda, et numeranda §. 615 n. b.: ejus valor numerarius *ibid.*: intrinsecus *ibid.*: ad quem illum definire spectet §. 615: quomodo definiendus §. 616: praecipuus pecuniae numeratae usus §. 619.

Pejeratio, et perjurium §. 724 n. a.

- Pensio*, et locationis merces an, et quando, remittenda §. 637.
- Perfectio* §. 2 Schol.: perficere, et conservare §. 9 Schol. II.
- Perfidia* §. 537: an obligationem tollat §. 732.
- Periculum*, et commodum rei venditae, et nondum traditae ad quem spectet §. 629 Schol.
- Permutatio* diversaeque ejus species §. 622: obligationes, et jura ex ea manantia §. 623.
- Pictura* in aliena tabula facta ad quem spectet §. 464, et Schol.
- Pignus* §. 710: an ei licite adjiciatur pactum *antichreticum*, aut *legis commissoriae* §. 713, et 714.
- Pigritia* §. 306.
- Plantatio* §. 465: quid justum circa plantationem in alieno solo factam *ibid.*: ad quem spectet arbor prope confinium posita §. 466.
- Pollicitatio* §. 541 n. b.
- Possessio*, et ejus species §. 435.
- Possessor* bonae aut malae fidei ad quae teneatur §. 483, et seq.
- Praescriptio* §. 492 n. a. Vid. *Usucapio*.
- Precarium* §. 591.
- Preces* partem externi cultus constituunt §. 267.
- Pretium* rerum §. 604: est arbitrarium ac morale §. 605: ad quem illud determinare spectet §. 607: quomodo definiendum §.

608: vulgare, et eminens §. 610, et 612: conventionale, legitimum, aequum, iniquum, et justum, aut injustum §. 607 Sch.: vulgare, et eminens §. 610, et 612: affectionis §. 609 n. b.

Praeteritio liberorum naturali amori repugnat §. 559.

Primaevus hominum status §. 107, et seq.

Principium, et ejus diversae species §. 3 n. a: leges naturales cognoscendi §. 124, et seq.

Proaeresis §. 213 Schol.

Prodigalitas §. 306.

Promittere an pro aliis licitum §. 519: quanam res promitti possint §. 521: promissio rei illicitae an juramento firmata valeat §. 725, et seq.

Promulgatio legum necessaria §. 44, 4: naturales an sufficienter promulgatae §. 134.

Propensiones naturales §. 16.

Propositum §. 213 Schol.

Protimeseos pactum §. 628, IV: jus §. 647.

Prudentia §. 6 n. a.

Pubertas quomodo aestimanda §. 518 n. a.

Publicae res §. 458 n. a.

Pudicitia §. 384: an pro ea servanda licita sit violenta defensio *ibid.*, et 385.

Pupillus naturaliter, et civiliter quis §. 518 n. a.

Pusillanimitas §. 314.

R.

Rapina §. 474.

Ratio praecipua hominum facultas, qua ab animalibus ceteris secernitur §. 9: ratione sunt homines praediti §. 10, et 180.

Reatus §. 81 n. a.

Reddituum annuorum emptio §. 686.

Religio §. 249: theoretica, et practica *ibid.*: vera, falsa, naturalis, revelata *ibid.* Sch.: necessaria omnino hominibus §. 248, et 274: naturalis insufficientis §. 279, et seq.: ejus usus §. 285: vera, et sufficiens sola revelata §. 283: errores religioni oppositi §. 252 — 256, et 272, et seq.

Relocatio §. 636 n. a: an ab inquilino, vel colono sublocari, res locata possit §. 635 n. a.

Remissio debiti §. 735: mercedis, et pensionis quando locum habeat §. 637, et seq.

Renovatio emphyteuseos an fieri a domino debeat §. 646.

Reparatio damni quomodo facienda §. 361: ad reparandum damnum omnes tenentur §. 359. Vid. *Damnum*.

Repraesentationis jus in successione descendentium §. 569: et collateralium §. 572.

Repressaliae quando locum habeant §. 459.

Res §. 155 Sch.: variae earum species §. 426, et 458 n. a.

Reservatio pure mentalis §. 417: reservatio-

nes externae §. 419 : an licitae §. 417 , et seq.

Restitutio §. 361 : quomodo facienda §. 362 : restituendi obligatio §. 359 , et 476 : quid si dominus non appareat ? §. 478.

Retorsionis jus §. 313 Schol. , et 346.

Retro vendendi pactum §. 628 , III.

Revocatio donationis cum locum habeat §. 550.

S.

Sapientia §. 6 n. a.

Satio , species accessionis mistae §. 465 : cui cedat seges in solo alieno sata *ibid.*

Satisfactio quid , et cum locum habeat ? §. 361 : a restitutione discrimen *ibid.*

Scriptura accessionis industrialis species §. 463 : cui cedat in aliena charta , vel membranis alienis facta ? §. 464 Schol.

Scrupulosa conscientia §. 182 Schol.

Securitalis jus §. 156.

Sensus moralis §. 16.

Sermo est proprietas hominis , qua a ceteris animalibus secernitur §. 24 , et 397 n. a : quomodo sermone utendum §. 396 : tacitus , aut expressus esse potest §. 398 : sincerus , et simulatus §. 402 : figuratus §. 415 : utriusque moralitas *ibid.* , et seq.

Servitus §. 459 n. a.

Servitutis jus , et variae ejus species §. 471 n. b , et 653 Schol.

Signata pecunia §. 615 n. b. Vid. *Pecunia*.

- Silentium* quando virtus, et quando vitium
§. 399.
- Simulatio*, et sermones, actionesque simulatae §. 402.
- Sobrietas* §. 305.
- Societas* §. 702: diversae ejus species §. 703: sociorum jura, et obligationes §. 704: an liceat socio invito altero a societate discedere §. 705 n. a.
- Solemnitates* testamenti tam internae, quam externae §. 558.
- Solutio* quomodo facienda §. 539, et 730; est modus obligationem tollendi *ibid.*
- Somnus* §. 201: an actiones in somno, aut per somnium patratae sint imputationi subjectae *ibid.*
- Sors*, et ejus species §. 699.
- Specificatio* §. 463: quid circa eam licitum §. 464.
- Spei emptio* §. 692: ejus moralitas §. 690.
- Sponsiones*, vulgo *apostas* §. 696: earum moralitas §. 690.
- Spontaneitas* §. 18: ejus a libertate discrimen *ibid.*
- Status* hominis §. 101: ejus variae species ratione ipsius hominis §. 102 — 104: ratione positionis in qua collocatus existet §. 105, et seq. Primaevus hominum status qualis fuisset? §. 107, et seq.
- Sterilitas* quando a pensionis solutione liberet §. 639, et seq.

- Subemphyteuticatio* §. 649 n. a.
Successio testamentaria , et ab intestato §. 551 :
 utriusque principium , et fundamentum §.
 554 , et 566 : an a Naturae Lege probetur
 §. 577 , et 583.
Suicidium nunquam licitum §. 319 : officii
 erga DEUM , nos , et alios opponitur
 §. 297 , et seq.
Superbia §. 314.
Superficiarius contractus §. 649 Schol.
Superstitio , et ejus species §. 252 , et 273.
Symbolica pecunia , et ejus usus §. 614 Sch.

T.

- Taciturnitas* quando sit virtus , et quando vi-
 tium §. 399 , et 410.
Templa externi cultus partem constituunt
 §. 268.
Testamentum §. 553 : ejus principium ac fun-
 damentum §. 554 : solemnia §. 558 : an
 a Naturae Lege probetur §. 577 , et seq.
Thesaurus ad quem inventus pertineat §. 456
 n. a.
Timor Domini partem interni cultus consti-
 tuit §. 261 : filialis , et servilis *ibid.*
Titulus ad aliquid acquirendum necessarius
 §. 444 : qualis in occupatione rerum nul-
 lius , aut alicujus *ibid.*
Tractatus §. 505.
Traditio , et ejus variae species §. 541 , et

n. a: an ad dominium transferendum sit necessaria §. 540.

Trapezita §. 672.

Trassans, et *trassatus* §. 674.

V.

Vades, et an *vadem* pro altero se dare cuique liceat §. 708 *n. b*.

Valor rerum, et *operarum* §. 604: quomodo determinandus §. 608, et seq.

Welleianum SCtum §. 708 *n. a*.

Venditio. Vide *Emptio et venditio*.

Veriloquia §. 401.

Veritas §. 9. Schol. II.

Vindicta §. 313 Schol.

Vis externa an libertatem tollat §. 83 Sch.

Vituperium §. 309.

Voluntaria, et *ultronea actio* §. 81, et 82.

Voluntas §. 12: ejus ab appetitu sensitivo discrimen §. 14: eam emendandi, et excolendi obligatio §. 293.

Usucapio §. 490: an *Naturae Legi* repugnet §. 493, et seq.

Usura §. 654, et *n. b*: an *Divinae Naturali*, *Positivaeque Legi* repugnet §. 657, et seq.

Finis. Laus Deo.

CORRIGENDA.

- PRAEFAT. l. 5 axplanare *lege* explanare
 ELENCH. l. 4 *pertractanda* l. *pertractan-*
dae
 Pag. xvii l. 19 collocanda ratione l. col-
 locanda ; ratione
 §. 14 l. 7 omnino sensitiva l. omni-
 no sit sensitiva
 Ibid. l. 16 et an vere bonum l. et an
 vere sit bonum
 §. 15 l. 9 cum ratione l. cum ra-
 tione est
 §. 19 l. 13 moveri, satis sit l. mo-
 veri, ut probe cognoscatur,
 satis sit
 §. 25 l. 9 reliquum, quam quod no-
 stri l. reliquum est, quam
 ut et nostri
 Ibid. l. 12 praeditos l. praeditos fuisse
 dicamus.
 §. 30 Sch. l. 9 a nobis l. nobis
 §. 31 l. 7 propria ; non fieri l. est
 propria ; fieri
 §. 36 l. 2 impossibile l. impossibile
 sit
 §. 37 l. 3 a deo l. adeo
 §. 38 l. 3 et 4 asserentes refe-
 rentes l. asserentium
 referentium

- §. 41 n. a 1. 8 amplecti *l.* amplexi
 §. 46 1. 4 quam quod *l.* quam qui
Ibid. 1. 4 et 5 possimus *l.* debeamus ;
- §. 51 1. 6 moralem *l.* moraliter
 §. 55 Sch. 1. *pen.* habentis *l.* habentes ,
 §. 59 1. 5 subditus *l.* subditus est
 §. 100 1. 9 plures *l.* plura
 §. 107 1. 6 sit *l.* sint
 §. 110 1. 29 in moribus *l.* moribus
 §. 114 1. 36 imaginantur *l.* imaginati sunt
- §. 118 1. *pen.* prosiliet *l.* prosiliat
 §. 121 1. 2 et 3 et nos ab eo absolute dependentes *l.* et nostra ab eo absoluta dependentia
- §. 125 1. 2 occupemur *l.* occupemus
Ibid. 1. 10 creaturum *l.* creatarum
 §. 142 in epigraphi et libertas moralis *l.* et jura permissiva , seu libertas moralis
- §. 143 1. *pen.* relicta , libertas . . . nominatur *l.* relicta , jura permissiva , seu libertas moralis , nominantur
- §. 148 1. 3 quaevis enim videatur *l.* quaecumque enim nobis videatur
- Ibid.* 1. 5 et 6 pertinent *l.* pertinet
Ibid. 1. 8 exercenda *l.* exsequendae


- §. 225 l. 8 *reducere* l. *reducere*
 §. 227 l. 1 *dicimus* l. *diximus*
 §. 244 l. 8 *eam* l. *ea*
 §. 250 l. 6 *eae* l. *ea*
 §. 256 l. 15 *curandum, quam* l. *cu-
randum asseritur, quam*
 §. 264 l. 1 *omniscius* l. *omniscius*
 §. 279 l. 4 *theoria* l. *theoretica*
Ibid. l. 19 *miram! in miseros* l. *mi-
rum! in quam miseros*
 §. 288 l. 10 *homini* l. *hominis*
 §. 289 l. 8 *vitas* l. *in vitas*
Ibid. in n. a l. *ult.* ΓΝΩΣΘΙ l. ΓΝΩΘΙ
 §. 293 l. 2 *hausti* l. *haustis*
 §. 308 l. 3 *esset* l. *sit*
 §. 313 l. 4 *potest* l. *possit*
 §. 322 l. 6 *immeditate* l. *immediate*
 §. 334 l. 4 *patet; ut et* l. *patet, et*
 §. 348 l. 8 *ne quis* l. *quominus quis*
Ibid. l. 10 *non simus* l. *ne simus*
 — — l. 12 *remoremur* l. *remore-
mus*
 §. 352 l. 8 *eo loco* l. *hoc loco*
 §. 366 l. 8 et 9 *sumus,* l. *simus,*
 §. 383 l. 2 *ipsa vita* l. *ipsa vitae ja-
ctura*
 §. 388 l. 10 *laeso* l. *a laeso*
 §. 410 l. 2 *fuisset* l. *fuerit*
Ibid. l. 18 *ex. gr.* l. *ex. gr. si oporteat*
 §. 417 l. 7 *adjiciantur* l. *adjiciuntur*

- §. 430 l. 17 enatum l. enatum fuisse
 §. 432 l. 4 impulsus, procul dubio l. sunt impulsus, procul dubio esse
- §. 435 n. b l. 2 incapacia l. sunt incapacia
- §. 448 l. 2 quicumque l. quivis
 §. 450 l. ult. v. 229 l. v. 230
 §. 453 l. 16 imaginaverint l. imaginati sint
- §. 461 l. 4 pilum l. pilus
 §. 463 l. 8 scapulum l. capulum
 §. 473 l. 5 ut l. ne
 §. 480 l. 13 maris l. mercium
 Ibid. l. 14 amissione l. detrimento
- §. 483 n. a l. 6 ignoramus l. ignoremus
 §. 498 n. a l. 12 obediendum l. obedire
 §. 504 l. 12 (§. 502). Si quis l. (§. 502); sicut et acceptatio sine praecedenti promissione. Siquis
- §. 506 l. 5 sufficientiaque l. nec sufficientia
- §. 509 Sch. l. pen. pro quo l. pro eo
 Ibid. l. ult. redderit l. reddat
- §. 514 l. 9 ab alio l. ab eodem
 Ibid. Sch. l. 28 incutendum l. incutiendum
 Ibid. l. 31 IX l. XI
- §. 518 l. 2 ejus l. eorum
 Ibid. n. b. l. ult. dici recedere l. diei solummodo recedere
- §. 520 l. 3 subjecta l. subjectae

- §. 530 l. 31 *quam primum l. cum primum*
- §. 549 l. 6 *donatario l. donatori*
- §. 550 n. b. l. 4 *libuerit l. liberet*
- §. 553 l. 6 *morientis l. morientes*
- §. 559 l. 5 *necessarium l. necessaria est*
- §. 569 n. b l. 2 *ulteriorem l. ulteriorum*
- §. 584 in epigraphi *De donatione rei l. De donatione usus rei*
- §. 586 n. a l. 5 *cenutum l. centum*
- §. 588 in epigraphi *De donatione rei l. De donatione usus rei*
- §. 591 l. 2 *rei fungibilis l. rei non fungibilis*
- §. 596 l. 12 *mandatario l. mandanti*
- §. 601 l. 16 v. 159 *l. v. 177*
- §. 602 l. 4 *ut is l. ut hic*
- §. 607 Sch. l. 9 *conventionalem l. conventionale*
- §. 611 l. 7 *neque eam tamen excedere l. neque eam excedere*
- §. 612 n. b l. 10 *Coeptum spectare l. Coepta spectari*
- §. 614 in epigraphi *nobilioria l. nobiliora*
- Ibid.* Sch. l. 23 et 24 *fungere l. fungi*
- ——— l. 44 *usitari l. usurpari*
- §. 629 Sch. l. 12 *et illum ullum jus . . . nolle l. et hunc nihil juris . . . velle*
- §. 640 l. 15 *tempus aestimari l. tempus perceptis aestimari*

- Ibid.* l. 18 unquam l. nunquam
 §. 647 l. 2 §. 627 l. 628
 §. 656 l. pen. deligere l. diligere
 §. 665 l. 12 tollerentur l. tolerantur
 §. 674 l. 12 quarta l. quinta
 §. 675 Sch. l. pen. locatorum l. locorum
 §. 684 pag. 439 l. 13 est l. sit
Ibid. Sch. l. 2 habe l. labe
 ——— l. 3 a mutuo l. , et a mutuo
 §. 699 l. 8 *electricem* l. *electricem*
 §. 700 l. ult. v. 328 l. v. 109, et 305
 §. 708 n. c l. *antep.* oblgatus l. obligatus
 §. 709 Sch. l. pen. longinguas l. longinquas
 §. 711 l. 3 regidiori l. rigidiori
 §. 714 n. a l. 1 *Theod.* l. *Theodos.*
 §. 720 l. 4 obscuritatem l. obscuracionem
Ib. pag. 464 l. 8 asuescat l. adsuescat
 §. 721 l. 4 esset l. erit
Ibid. l. 5 praestaretur l. praestetur
 §. 732 in epigraphi *perfidiae.* l. *perfidia*
 §. 734 l. 2 transfert l. transferat





UC SOUTHERN REGIONAL LIBRARY FACILITY



A 000 062 871 9

